


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 N
25

R.P.F. GABRIELIS A SANCTO VINCENTIO

Carmelitæ Discalceati

TRACTATVS DE SACRAMENTIS

Iuxta Angelicam D. Thomæ Aquinatis doctrinam.

Eidemque Angelico Magistro dicati.

PARS TERTIA

De Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis.





ROMAE, Typis HH. Francisci Fælicis Mancini. MDCLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

D. THOMAE
AQVINATI
DOCTORI ANGELICO

FR. GABRIEL A S. VINCENTIO
Carmelita Excalceatus. D. D.



T ecce ad locum, vnde exiuit, iam nunc tertiò reuertitur Theologiæ meæ fluuiolus (Doctorum sanctissime, Sãctorum THOMA doctissime) vt scilicet tuo munere iterum fluat. Hinc omnia Carmeli flumina, & Complutense, & Salmanticense, & Lugdunense in mare

tuum magnum, & ſpatioſum manibus intrant, & mare non redundat ab eis. Quod qui in intelligentiæ nauibus aſcendunt; vident ſanè opera Dei, & mirabilia eius in profundo Sapientiæ tuæ: Vident ſanè in hoc etiam Eccleſiæ ſuæ myſtico mundo dixiſſe Omnipotentem: Congregentur aquæ Sapientiæ in locum vnum, Congregationemque huiuſmodi appellaſſe Abyſſum, ideſt THOMAM. O Mare, ò Salum, ò ſal. O Mare ſcientiarum, ſcilicet omnium. Nullum enim fuit Scriptorum genus, in quibus nō eſſes diligentiſſimè verſatus, Hinc reptilia illic, quorum

non

non eſt numerus, & animalia puſilla cum magnis. Illic naues pertranſeunt de longè (de cœlo ſcilicet) portantes panem Sapientiæ tuæ. O Salum, ò Sal, ſine quo inſulſa, & inſipida omnia, in quo ſapida, & benè condita omnia. O Sapientiam, ò Sapientiæ Abyſſum THOMAM, de quo ter meritò increata ipſa (de creata nimirum) aſſeuerarit Sapientia. Benè ſcripſiſti de me THOMA. Conticeſcat hìc lingua carnis, vbi encomiaſtes eſt ipſe Deus, & tantæ dignitatis, ac dignationis ſilentio humili veneretur elogium.

FACVL-

FACVLTAS R. A. P. N.

FR. IOACHIMI

A IESV MARIA

Præpositi Generalis Carmelitarum discalceatorum.

TEnore præsentium facultatem impertimur R. P. F. Gabrieli à Sancto Vincentio Lombardo in Seminario Sãctæ Mariæ de Victoria Romæ Sacræ Theologiæ, & controuersiarum Lectori eiusdem nostræ Congregationis Sacerdoti professo Typis mandandi opus quod inscribitur (tractatus de Sacramentis iuxta Angelicam D. Thomę Aquinatis doctrinã) dummodo prius duo nostræ Congregationis Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint. In quorum fidem præsentes dedimus sigillo nostro munitas, ac propria manu subscriptas. Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de Scala die 28. Septembris 1655.

Fr. Ioachimus à Iesu Maria Præpos. Gen.

Fr. Faustus à S. Basilio
Secretarius.

Opus

OPus cui titulus est *Tractatus de Sacramentis à P. Gabriele à S. Vincentio*, compositum ex commissione Reuerendi Adm. P. N. Ioachim à Iesu Maria Congregationis nostræ Præpositi Generalis diligenter perlegimus, & nihil incidit contrarium, aut fidei, aut bonis moribus, sed plenum solida D. Thomæ doctrina, ac plura in eo reperimus, quæ plurimum prodesse poterunt doctis ad maiorē profectum, & indoctis ad eorum pacem conscientiarum, & ideo dignum illud iudicamus, quod ad communem vtilitatem, publicam lucem videat. Romæ in nostro Conuentu Sanctæ Mariæ de Victoria die 16. Maij 1657.

Fr. Seraphinus à Conceptione
S. Theologiæ Lector.
Fr. Io: Franciscus à S. Bernardino
S. Theologiæ Lector.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

M. A. Oddus Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Sacri, & Apost. Pal. Mag. Ord. Prædicatorum.

DI-

DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM INDEX

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

An

Quis

An

De

De

LAVS DEO.

TRA-



TRACTATVS SEXTVS DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

PROOEMIVM.



PEruicacissimus hostis ille Diabolus nunquã malitiæ suç otium facit; sed tunc maximè sæuit, cum hominem plenè sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat, & ingemiscat necesse est, venia per regenerationis lauacrum præmissa, tot in homine mortis opera diruta tot damnationis titulos fuisse erasos; inde obseruat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos concupiscentia carnis ferire, aut animum illecebris sæcularibus irretire, aut fidẽ terrenæ potestatis formidine euertere, aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit. Ob hæc

venena Diaboli, prouidens Deus, clausa licet innocentiæ ianua, & intinctionis sera obstructa, aliquid aliud voluit patere. Collocauit in vestibulo pęnitentiam secundã, quæ pulsantibus salutis iter aperiat. Sed non iam semel, quia iã secundo: sed amplius, quia proximè frustra. Nemini semel sufficit. Habes quod non merebaris, amisisti quod acceperas. Sed vide indulgentiam Domini, comodat vnde restituas, quod amiseras: iterato beneficio gratus esto, ne dum ampliato; minus est enim restituere, quam dare; quia miserius perdere, quam omnino non accipere: Vnde non est animus desperatione subruendus, si secundæ quis fiat debitor pęnitentiæ; pigeat peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat; pigeat periclitari, sed non pigeat liberari; neminem pudeat: iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus Domino eris, si quod tibi Dominus offert non recusas. Offendisti: habes quo reconcilieris: habes cui satisfacias, & quidem volentem Igitur per Baptismum Christo Domino fuisti regeneratus; per Confirmationem Miles conscriptus; per Eucharistiam annona refectus; per pęnitentiam remedio munitus, quo vulneratus sanitate doneris, vt pugnam fortius redintegres. De hoc ergo Sacramento mirabili, noster hic labor erit. Vnde sit.



DISPV-

DISPVTATIO PRIMA DE POENITENTIA VT EST VIRTVS.

POenitentia ex D. Isidoro 3. Etymologiarum cap. vlt. Et ex D. Augustino de vera, & falsa poenitentia cap. 19. dicitur à *pœna*, & *tenentia*; ita quod pœnitere sit *pœnam tenere*, & pœnitentia, sit *pœna tenentia*. Vel etiam pęnitentia dicitur, quasi *punientia*. Et quia dolor de peccatis, est prima, & præcipua *pœna tenentia*, vel *punientia*; nihil enim est in mundo de quo magis homo dolore debeat, quam de peccato commisso; cum sit maius omnium malorum malũ, ideo nomine pœnitentiæ absolutè, & simpliciter dolor, & displicentia venit peccatorũ. Nota tamen, quod cum nostri temporis hæretici, omnẽ abhorreant austeritatem, nolunt pœnitentiam esse pænæ tenentiam, nec dolorem, nec afflictionem, nec propriam peccatorum displicentiam; sed volunt pœnitentiam esse quandam resipiscentiam, seu vitæ amorem. Sed hæretici contra Catholicorum sensum loquuntur, imò contra sensũ sanctorum Patrum, & sacræ Scripturæ, quæ quoties de pœnitentia loquitur, quæ aduersus peccata versatur, semper de illa loquitur tanquam de *pœna tenentia*, seu de eorumdem peccatorum dolore, & afflictione. Diuiditur pœnitentia, in pœnitentiam Dei, & hominis: Dei non quod hominum more de transactis doleat operibus, hoc enim

nequaquam dici poteſt, ſed quia rem mutat de bona, in malam, vel vt loquitur Auguſtinus ſuper illum locum *pœnitet me feciſſe hominem*, quia nouit ſtatuta mutare de bono in melius. Pœnitentia hominis duplex eſt, falſa, & vera: falſa tunc eſt cum homo ſe peccaſſe pœnitet, ob huius vitæ mala, vt facit latro, qui dolet de furto patrato, quãdo de ſupplicij pæna agitur, quæ ſi deſit ad latrocinia reuertitur: falſa tunc etiam intercedit pœnitentia, cum quis inuitus ſua confitetur peccata. non boni amore, ſed vt incomoda fugiat ſæculi, vt faciunt illi, qui Paſchatis tempore, inuiti confitentur. Falſa etiam eſt illa pęnitẽtia, imò diabolica, quando quis dolet ſe, vel alios non peccaſſe. Vera verò pænitentia tunc eſt, quando quis de peccatis dolet, & de dolore gaudet.

Diuiditur vera pęnitentia, in pœnitentiam virtutem, & in pęnitentiam Sacramentũ: quæ duæ pœnitentię differũt primò quia pœnitẽtia vt virtus, eſt quodammodo de iure naturali, in quantum quod ius naturale dicat hominem debere de eo dolere, de quo dolendum eſt: vt vero Sacramentum eſt, ex diuina inſtitutione eſt. Differunt ſecundò, quia qua Sacramentum eſt, tres habet partes, ſcilicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem: non vt eſt virtus. Tertiò, quia vt virtus dari poteſt in hominibus ante Baptiſmum, ſecus qua Sacramentum. Quartò, quia qua virtus à mundi cæpit exordio, & ad omnes adultos deſcendebat, qui iuſtificabãtur, vt verò Sacramentum eſt, Chriſti fuit inſtitutionis. Quintò, quia vt virtus, non iuſtificat, niſi per ipſius actum perfectum, qui eſt perfecta contritio; vt vero eſt Sacramentum, per ſolam etiam iuſtificat attritionem. Sextò, quia qua Sacramentum, eſt quid ſenſibile, ſicut & omnia alia ſacramenta, vt vero eſt virtus, eſt quid inſenſibile.

Conueniunt hæ duæ pęnitentiæ in nomine, conueniunt in effectibus, quia vtraque hominem in gratiam, & Dei reſtituit amicitiam; conueniunt

niunt etiam, quia ſtraq; peccati requirit deteſtationem, & vitæ emendandæ propoſitum. Sed quia pœnitentia virtus, breniorem requirit tractationem, quam pœnitẽtia Sacramentum, prius pœnitentiam expediemus virtutem, ſubinde de pœnitentia Sacramento, & de omnibus ad ipſam pertinentibus fuſius agemus, ſit ergo.

QVAESTIO I.

An Pœnitentia ſit virtus.

LVtherani omnes, vt videre eſt apud Rophenſem in lib contra dogmata Lutherana docent, pœnitentiam quæ eſt cum triſtitia & dolore de peccatis commiſſis, non eſſe virtutem, ſed vituperabilem hypocriſim.

Noſtra ſententia ſequenti explicatur concluſione. *Pœnitentia, quæ eſt dolor de peccatis commiſſis eſt vera, & propria virtus.* Hæc concluſio eſt definita in Tridentino ſeſſ.6. cap.6. & ſeſſ 14.cap.4. Et aperte colligitur ex Pſal.6. *Laboraui in gemitu meo, lachrymis meis ſtratum meum rigabo* Iſa. 38 *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Baruch. 2. *anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudinem mali, & incedit curua, & infirma & oculis deficiens dat tibi gloriam, & iuſtitiam.* Pro quo obſerua pœnitentiam de qua agimus, nõ eſſe ſolum ſimplicem quandam diſplicentiam, ſine vlla animi inquietudine, anxietate, & afflictione, qualis reperitur in Deo de peccatis noſtris, & in beatis de proprijs, & noſtris; ſed eſſe diſplicentiam abſolutam, quæ dicit quandam animi inquietudinem, angorem, & afflictionem, hæc enim ſola propriè pœnitentia eſt, iuxta etymologiam ſupra dictam, qua pœnitentia dicitur punientia, vel pænæ tenentia, deq; hac Scriptura, & Patres loquuntur, dum de peccatorum pœniten-

nitentia agunt, & illam esse virtutem volunt: hoc posito probanda est conclusio.

Primò auctoritate Doctoris sancti art. 1. q 85. cuius in corpore fatur: *Pœnitere est de aliquo prius à se facto dolere. Dictum est autem supra, quod dolor, vel tristitia dupliciter dicitur, vno modo secundum quod est passio quædam appetitus sensitiui, & quantum ad hoc pœnitentia nõ est virtus, sed passio. Alio modo secundum quod consistit in voluntate, & hoc modo est cum quadam electione, quæ quidem si recta sit, necesse est quod sit actus virtutis: pertinet quidem ad rationem rectam, vt aliquis doleat de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quo dolendum est, quod quidem obseruatur in pænitentia de qua nunc loquimur.*

Probatur secundo ratione desumpta ex citato D. Thomæ testimonio; nam de ratione virtutis est, quod sit habitus electiuus in mediocritate consistens; Atqui huiusmodi est pœnitentia; ergo est virtus; Minor non solum est D. Thomæ, verum etiam est definitio virrutis, quam tradunt communiter Philosophi morales cum Aristotele in Eth. Minor etiam clarã est, præsertim si attendamus ad scripturæ loca adducta, vbi pœnitẽtia laudatur maximoperè, quod non fieret si actus bonus, & laudabilis nõ esset; quis namque dicet non esse laudabile detestari malum, vel vt loquitur D. Thomas, dolere de quo dolendum est?

Cõfirmatur præcedens ratio ex alijs Philosophi, & aliorum, virtutis deficientibus: est nanq; *virtus dispositio perfecti ad optimum: est habitus qui bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit: est bona qualitas mentis, qua nullus malè vtitur*. Atqui hæc omnia pęnitentię conueniũt; ergo pœnitentia est vera, & propria virtus. Minor ostenditur; nam pænitentia de qua loquimur, est dispositio perfecti ad optimum; cum eius actus, qui est cõtritio ad gratiam disponat: bonum facit habentem, quia ex pecca tore iustũ facit, & opera illius bona, seu hominis iusti; est bona qualitas mentis, qua nullus malè vtitur, cum nullus

vti

vti possit vera pænitentia ad malum finem, quantum est ex fine operis; an vero quantum ex fine operantis patet ex dictis in prima secundæ, & patebit ex dicendis de virtutibus Theologalibus solluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est. Pęnitentia supponit essentialiter peccatum; ergo nequit esse virtus: Antecendens est notum, cum nanque pęnitẽtia ad tollendum peccatum ordinetur, non potest non esse vbi peccatum non supponitur, ideoque Theologi communiter docent in Christo Domino non fuisse pœnitentiam, quia peccatum nullo modo supponi poterat. Consequentia probatur, quia implicat virtutem supponere vitium oppositum, sicut vnum contrarium nequit aliud supponere.

Respondetur distinguẽdo. Antecedens pœnitentia supponit peccatum quod destruat, & conceditur; supponit peccatum cum quo esse queat, & negatur; per quod patet ad probationes: virtus enim non supponit vitium, cũ quo maneat; potest tamen supponere vitium, quod expellat; sicut contrarium non supponit suum contrarium, cum quo maneat, sed supponere potest quod expellat.

Secundum argumentum: omnis virtus est per se appetibilis; sed pœnitentia nõ est per se appetibilis; ergo non est virtus. Maior docetur ab omnibus. Minor ostenditur; nam qui pœnitentiam appeteret peccatum appeteret; cũ enim pęnitentia peccatũ supponat, nequit ipsa appeti, quin appetatur id sine quo esse nequit.

Respondetur concessa maiore, negando minorem; Pænitentia nanqoe est per se appetibilis ex peccati suppositione: non enim Pænitentia appetitur per se absolutè, sed in remedium peccati, quod Pœnitentia destruit.

Tertium argumentũ quod proponit D. Thomas est: Verecundia non est virtus per Philo.Ethic.4 ergo neq, pœnitentia. Antecedens patet; tum quia verecundia est cum passione corporali. Tum etiã

quia,

quia, non est dispositio perfecti, cum sit de turpi actu, quod nō habet locum in homine virtuoso. Consequentia probatur, quia etiam Pœnitentia est cum passione corporali, nempe cum dolore,& tristitia, & ploratu; & etiam quia est de turpibus factis,scilicet de peccatis, quæ in homine virtuoso, locum non habent.

Respondet Angelicus differentiam esse inter verecundiam, & Pœnitentiam, quod *verecundia respicit turpe factum vt præsens, pro quo timet confundi; Pœnitentia vero vt præteritum; est autem contra perfectionem virtutis, quod aliquis in præsenti habeat turpe factum, de quo oportet eum verecundari, non est autem contra perfectionem, quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oportet eum pœnitere, cum ex vitioso, fiat aliquis virtuosus.*

Vbi vt vides profundam assignat differentiam, inter verecundiam, & Pœnitentiā, quod ideo verecundia non est virtus, quia eius actus efficax non est ad expellendum peccatum, timet quidem verecundus culpam, sed ob timorem infamiæ, qui optimè stare potest cum amore culpæ; Vnde licet in iuuenibus verecundia laudetur, non tamen ideo est, quia sit virtus, sed quia est quoddam virtutis exordium; nam qui peccatū detestatur ob infamiæ timorem, facile potest subinde illud detestari quatenus est absolutè malum, & virtuti oppositum. At si loquamur de pœnitentia, cum ipsa absolutè, & simpliciter peccatum detestetur, virtus simpliciter erit: quod autem pœnitentia fiat aliquādo cum aliqua corporis transmutatione, hoc non tollit quominus non sit virtus, dummodo, vt dicit Angelicus, ex recta fiat electione.

Quartum argumētum est, quia de ratione virtutis est, quod suos eliciat actus & faciliter, & delectabiliter; sed Pœnitentia non est sic; ergo non est virtus. Maior est commune Philosophorum dictū. Minor probatur, nam Pœnitentia suos exercet actus cum dolore, & tristitia. Respondetur

detur concedendo maiorem, & negando minorem, nam licet Pœnitentia de peccato doleat, & tristetur, delectatur tamen de ipso dolore, & sic Pœnitentia dolet de peccato, gaudet, & delectatur de illius dolore, & tristitia:

Quintum argumentum. In fuga mali nulla esse potest virtus; sed Pœnitentia consistit in fuga mali; ergo nequit esse virtus. Maior patet, nam fugere malum, est homini naturale, sicut & cuilibet animali. Minor probatur, nam Pęnitentia non potest esse peccati prosecutio; ergo erit eiusdem fuga; eo namq; ipso quod quis peccatum, vt malum appræhendit, suaptè natura ab ipso fugit.

Respondetur distinguendo maiorem, in fuga mali purè naturalis, nulla potest esse virtus, & conceditur: in fuga mali supernaturalis nulla potest esse virtus, & negatur: sicuti enim homo ad amandũ seipsum amore naturali, nulla indiget virtute, ita ad fugiendum malum naturale: nulla virtute indigebit, & sicut homo ad diligendum se ipsum supernaturali dilectione, habitu indiget supernaturali, ita ad fugiendum huiusmodi malum supernaturale, supernaturali habitu indigebit. Adde Pœnitentiam nõ esse puram peccati fugam, neq; prosecutionem, sed esse tendentiam quandam in peccatum destruendo illud, motus namque fugæ, purum denotat recessum; motus prosecutionis, animi denotat affectum in rem in quam tendimus. At vero pœnitentiæ tendentia in peccatum, est tendentia destructiua peccati. Vnde simplex fuga à peccato explicatur per hoc *nolem peccasse*: Prosecutio explicatur per hoc *volo peccatum*: tendentia vero pœnitẽtiæ explicatur per hoc *volo peccatũ non esse*: Proinde D. Thomas vt ostenderet pænitentiã non esse impossibilium dicit hic art. 1. ad 3. *Dolere de hoc quod prius factum est, cum intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit esset stultum. Hoc autem non intendit Pœnitens, sed dolor eius est displicentia, seu reprobatio facti præteriti, cum intentione remouendi sequelam*

ipsius, scilicet offensam Dei, & reatum pœnæ. Vbi vt vides non vult Angelicus Pęnitentiam esse puram peccati fugam, licet & hanc inuoluat, sed maximè esse tendentiam in peccatum, ipsum destruẽdo. Ob idq; att. 2. ad 3. habet: *qualibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitij oppositi: sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto, sed Pœnitentia expellit omne peccatum effectiuè, in quãtum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex diuina gratia, homine cooperante*. Vnde patet aliquos hic conterere tempus, vt probent actus pœnitentiæ esse actus puræ, & nudę fugæ; nã vt ex dictis liquet, & magis ex dicendis in sequentibus liquebit, hoc est falsum: tum quia est valde dubiũ in Philosophia, an detur actus voluntatis, & intellectus puræ fugæ; videtur enim implicare intellectum, & voluntatem fugere, seu recedere à termino à quo, & non accedere ad terminum ad quem; tum etiã quia cum obiectum intellectus, & voluntatis sit verum, & bonum, seu sit ens sub ratione veri, & boni; ita quod ratio, *qua* harum potentiarũ, sit ratio *entis*, & ratio *sub qua*, sit ratio *veri*, & *boni*; sequitur quod hæ potentiæ, non nisi in ens tanquam in rationem *qua*, versari possunt, & non nisi sub illis rationibus formalibus veri, & boni; & subinde actus puræ, & nudæ fugæ, nequaquam intellectus, & voluntas habere poterunt: possunt quidem fugere à falso, & malo tanquã à termino à quo relicto, tendendo in verum, & bonum tanquam in terminum ad quem acquisitum; sed non possũt per proprios actus positiuos cognitionis, & volitionis recedere à falso, & malo, nisi sub aliqua veri, & boni ratione, alioqui non esset vera cõmunis Philosophorum, & Theologorum doctrina, quod intellectus cognoscat falsum sub ratione veri, & voluntas velit malum sub ratione boni: si enim semel intellectus fugeret à falso pura fuga, sine vlla tendentia in verum cognosceret falsum à quo fugeret, & non ratione veri

in quod tenderet, quod esset exire extra latitudinem sui obiecti; quod esse nequit idē dic de voluntate.

QVAESTIO II.

Quaenam virtus sit Poenitentia.

SVppono primo Pœnitentiam non posse esse ipsū gratiæ sanctificātis habitum, vt tenuerunt aliqui antiqui apud D Bonauẽturam 4 dist. 14. art. 1. q. 1. nam vt in tract de gratia docuimus, habitus gratiæ, est primū esse in linea supernaturali, sicut substantia in linea naturali, & sicut hæc non est operatiua, ita nec illa: at vero pœnitentia, vt patet, est habitus operatiuus.

Suppono secundo. Pęnitẽtiam non esse virtutem generalem, licet habeat modum quendam generalem, cum peccata virtutibus omnibus opposita detestetur, sed sub vna, & determinata ratione, vt postea dicetur; dixi sub determinata ratione, quia vnaquæq; virtus habet peccatum sibi oppositum, qua tale destruere, cum omnis habitus, cum sit sufficiens ad proprium obiectum diligendum, est etiam sufficiens ad oppositum illius odio habendum, fugiendum, detestandum; sed semper sub propria, & determinata ratione, vt charitas, quæ habet diligere Deum, & proximum, habet etiam peccatum detestari, quatenus sibi opponitur, idẽ dic de fide, spe &c.

Suppono tertio. Pœnitentiam non esse virtutem religionis, nam religio respicit formalissimè & per se, immediatè, & directè cultum Dei, at vero pęnitentia, per se, & directè peccatum, vt destruendum respicit; licet hoc subinde in Dei cultum cedat. Tum quia non est adeo difficile Deum externo colere cultu, sicuti est peccata ipsa destruere His positis tres potissimè sunt de præsenti quæstione sententiæ.

Prima ſententia eſt Pœnitentiam eſſe ipſam Charitatis virtutem. Ita aliqui moderni poſt Alenſem 4.p.q.54 memb. 1. art. 2. quorum fundamenta poſtea referemus.

Secunda ſententia magis communis extra ſcholam D. Thomæ eſt, quod pœnitentia ſit ipſa virtus iuſtitiæ Ita Suarez, Coninchius, & alij hoc loco.

Noſtra ſententia ſequenti explicatur concluſione. *Pœnitentia eſt virtus ſpecialis, à reliquis omnibus diſtincta.* Hęc eſt expreſſa D. Thomę ſententia, & diſcipulorum eius. Videatur Nugnus hac quæſt. 85. art. 2.

Probatur primò ratione D. Thomæ, quam habet in huius art. 2. corpore; *quia*, inquit, *ſpecies habituum diſtinguuntur ſecundum ſpecies actuum: & ideo vbi occurrit ſpecialis actus laudabilis, ibi neceſſe eſt ponere ſpecialem habitum virtutis. Manifeſtum eſt autem quod in Pœnitentia inuenitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicet operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quantum eſt Dei offenſa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.*

Sed antequā vlterius progrediamur nota, vt profundā D. Thomæ cupias rationem, quod Pęnitens ſub quintuplici ratione poteſt in peccatum ferri. Primò quatenus peccatum eſt contra rectam rationem; ſeu, vt clarius dicam, contra alicuius particularis virtutis honeſtatem, verbigratia contra temperantiam; & ſecundum hanc rationem, vt dicebamus, ab ipſa temperantia deſtruitur, vnaquæque namque virtus ſuum cōtrarium poteſt deſtruere. Secundò quatenus eſt malum repugnans Dei amicitiæ, & nos eius cōſtituens inimicos, & ſecundum hanc rationem deſtruitur peccatum per charitatem, quod obſeruat Angelicus in ſolutione primi dicens: *ſi ergo in actu pœnitentis conſideretur ſola diſplicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet, ſicut & gaudere in bonis præteritis; ſed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit ſpecialē virtutem ſub charitate.* Sub charitate dicit, quia

quia ex charitatis imperio Pœnitentia operatur, vt in verbis prioribus idem Angelicus aduertit.

Tertiò quatenus Deo infert iniuriam, quod est aliquorum proprium peccatorum, de quo disput. 2. q.4. & secundum hanc rationem destruitur peccatum per virtutẽ iustitiæ cõmutatiuæ similem, quæ habet ponere compensationem non quidem æqualitatis, sed illam quam potest. Quartò quatenus peccatum nos æterna gloria priuat, & cõstituit nos reos pænę æternę: Et secundum hanc rationem deletur per virtutem spei.

Quintò, & vltimò quatenus peccatũ est offensa Dei, & secundum hanc rationem per pœnitentiam destruitnr; differt autem offensa ab iniuria, quod iniuria iustitiæ opponitur, & non nisi per iustitiam tollitur, at vero offensa, dicit quendam dignitatis personæ contemptum, vt cum quis Principis, vel Pontificis mandata transgreditur. & eo maior quando ipso sciente, & vidente, quod peccatori contingit, dum Dei mandata ante ipsius oculos transgreditur. Ex quibus patet, quod nam sit pœnitentię obiectum, auferre nimirum in se ipso hanc Dei offensam, quæ quamdiu peccatum manet, perseuerat, quod magis explicabitur disp. 2. q.4.

Probatur secundo, quia si pœnitentia non esset virtus specialis ab alijs distincta deberet esse cũ aliarum aliqua, identificata; Atqui non est; ergo &c. Minor ostenditur, nam si cum aliqua identificata esset, maxime cum charitate, vel iustitia; sed cum harum nulla potest esse identificata; ergo. Huius argumenti minor probatur, quia quilibet charitatis actus in Deum immediatè tendit tãquam in obiectum formale specificatiuum illius, cum sit Charitas virtus Theologica; at vero pœnitentia tendit immediatè in peccatum, vt est offensa Dei: patet autẽ quod vna, & eadem virtus hæc duo munia adeo diuersa præstare non potest; alioqui vna, & eadem virtus esset, & non esset Theologalis.

Neque

Neqne etiam poteſt penitentia cum iuſtitia identificari, vt elegantiſſimè probat D. Thomas hic art 3. cum nõ poſſit offenſam compenſare ad æqualitatem, & etiã quia offenſa formaliſſimè vt dicebamus non eſt iniuria, nec ſubinde iuſtitię opponitur, ac proinde ſatisfactio pro offenſa, ſeu offenſæ deſtructio, iuſtitiæ actus eſſe nequit. An autem, & quomodo ad iuſtitiam pertineat, poſtea dicetur. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum eſt, quia illa eſt virtus pęnitẽtię, quæ talem elicit actum, qui omnium ſit delectiuus peccatorum; Atqui hæc eſt charitas; ergo &c. Maior nota eſt. Minor oſtenditur, nam in omnium ſententia actus dilectionis Dei ſuper omnia, eſt vltima ad gratiã diſpoſitio, quippe cum ſit perfectiſſima in Deum conuerſio, implicat autem, quod aliquis ſit perfectiſſimè in Deum conuerſus, & in peccato ſit mortali, ergo.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem: illa eſt virtus pœnitentiæ, cuius actus eſt omnium deletiuus peccatorum ſub ratione offenſæ Dei, & conceditur, ſub alijs rationibus, & negatur. Charitas ergo omnia habet delere peccata, ſed ſub ſuo particulari motiuo ſecundum nimirum, quod diuinam deſtruunt amicitiam. Pœnitentia vero, ſecundum quod ſunt offenſa Dei; benè verum eſt, quod Charitas mouet, & imperat pœnitentiæ, vt quando ipſa per dilectionem hominem in Deum conuertit, & peccatũ ſub ſua ratione deſtruit, ipſa id ipſum præſtet, per contritionem, & ſub ſuo particulari motiuo. Poteſt tamen dari caſus, quo homo per ſolam dilectionem iuſtificetur, vt quando ſubito per illam in Deum rapitur, abſq; eo quod peccata in mentem veniant, quę deteſtentur, tamen quando illorum veniet memoria, deteſtari debent, & ſuo tempore confiteri, cum contritio non niſi per ordinem ad confeſſionem peccata delere habeat; ſed de hoc infra.

Secundum argumentum: virtus, qua ſatisfacimus pro offen-

offensis illatis parentibus, amicis, &c. est virtus iustitiæ; ergo etiam illa, qua satisfacimus pro offensis illatis Deo. Antecedens admittunt communiter. Consequentia ex rationis paritate constat.

Respondent aliqui concedendo antecedens,& negando consequentiam: ratio discriminis est, quia hominis ad hominem,iustitia dari potest, non hominis ad Deum: vnde qui hominem læsit potest illi ad æqualitatem satisfacere; non tamen qui Deum, cum peccatum sit malum infinitũ, satisfactio vero finita. Sed hęc solutio non placet; non enim omnis offensa parentibus, amicis,&c. facta, est contra iustitiam,quis enim dicet quod debitum parentibus nō præstare honorem, sit actus iniustitiæ? quis dicet, quod amicum offendere, amicitiæ leges non obseruando, sit iniustitiæ actus; ob id aliqui dicunt, quod offensa parentibus illata, per debiti honoris carentiam, resarciatur debitum illis exhibẽdo honorem; & sic illa offensæ deletio, per nouum pietatis actum fiet; quia sicut offensa fuit contra pietatem, ita satisfactio pietatis actus erit. Similiter amicis satisfacimus quando cum eis affabiliter agimus, & sufficienter illis satisfacimus, cũ sic, cum eis agimus.

Sed verius dicendum est, offensas parẽtibus,amicis,&c. illatas, qua offensæ sunt, non deleri, nec per iustitiam,cum iniuriæ non sint, nec per pietatem, affabilitatem,&c.cum hæ virtutes offensas non deleant, nisi secundum quod formalissimè sibi opponũtur; sed deleri per quandam virtutem pœnitentiæ moralis, quæ ad iustitiam reuocatur, vel etiam ad pietatem, affabilitatem,&c. proportionaliter, & licet Philosophi de hac expressam non fecerint mentionem, cum supradictis sit valde affinis, non tamen ob id negari debet,cum propriam habeat rationem formalem à cæteris distinctam, vt cõsideranti patebit,& mox ex D. Thoma subijciemus: Vnde videmus non contentari parentes v. g. quod filij pro illata illorum offensa nouum exhibeant reuerentiæ obse-

obſequium, ſed veniam quãdoque expoſcunt. Item quãdo aliquem verbo, vel opere offendimus, quando contra iuſtitiam non eſt talis offenſa, eiuſdem offenſæ veniã expoſcimus, ſigna doloris, & diſplicentiæ oſtendẽdo, quod eſt euidens ſignum, talem offenſam non fuiſſe ſolum contra pietatem, ſed contra pœnitentiam, cum per hanc reſarciatur.

Sed quæres primò quid principalius pęnitentia inſpiciat offenſæ ſatisfactionem, an dolorem de perpetrato peccato? Reſpondetur pœnitentiam vtrunque inſpicere, & offenſæ ſatisfactionem, & offenſæ dolorem, taliter tamen quod offenſę ſatisfactionem inſpicit vt finem; dolorẽ, vt medium; aſſumit nanque pęnitentia dolorem tanquam medium ad dirimendam offenſam. Ita deduco ex S. Doctore hoc art. 2. cuius in corpore dicit: *operari ad deſtructionẽ peccati præteriti vt eſt offenſa Dei*, eſſe proprium actũ pœnitẽtiæ; patet autem quod non aliter pęnitentia ad prę-teriti peccati deſtructionem operatur, niſi dolẽdo de illo: & a. 3. dicit. *Pœnitentiã habere; quod ſit ſpecialis virtus ex hoc quod pœnitens dolet de peccato commiſſo, in quantum eſt offenſa Dei cum emendationis propoſito.* Vnde patet quam male loquantur illi qui dicũt ad pœnitentiam ſolum pertinere intendere offenſæ ſatiſfactionem, dolere vero de peccatis, proprium eſſe Charitatis; nam licet verum ſit, vt ſupra notauimus Charitatem poſſe de peccatis dolere, qua ratione ſibi opponuntur, ſicut id ipſum quælibet virtus facere poteſt, non tamen charitatis eſt proprium, dolorem peccatorum aſſumere, ſecundum quod ſunt offenſa Dei.

Quæres ſecundo, an pœnitentia ſit virtus moralis, vel Theologica: Reſpondeo cum D. Thoma hic art. 3. ad primam eſſe virtutem moralem. Et probatur breuiter, quia illa eſt virtus Theologica, quæ Deum habet pro obiecto; Atqui pænitentia non reſpicit Deum pro obiecto, ſed peccati deſtructionem; ergo. Vnde licet pœnitentia intendat per dolorem Deo ſatiſ-

facere,

facere, pro offensa illata, Deus tamen non est obiectũ formale pœnitentiæ, sed solũ est obiectum cui; sicut religio non est virtus Theologica, sed moralis; quia licet cultus, quem respicit, Deum immediatè respiciat, tanquã obiectum cui, nõ tamen Deus est obiectum formale illius.

Sed dices, omnis virtus moralis in medio consistit, vel rei vt iustitia, vel rationis, vt virtutes aliæ; sed pęnitentia non consistit in medio rei, cum non sit iustitia, neque in medio rationis; quod ostẽditur, quia pęnitentiæ est dolere de peccatis in quantum tunc Dei offensa; sed in hoc nullum dari potest medium: cum enim peccatum sit malum infinitum, potest homo de illo magis, ac magis dolere, vsque in infinitum; Nec volet dicere, quod licet ex parte obiecti pænitentia medium non habeat, habet tamen illud ex parte subiecti; potest enim ita crescere dolor, & afflictio in pœnitente, pro peccato commisso, vt sit ei nociua, & teneatur ab ea cessare, vel ne malum graue corporale subeat, vel spirituale, vt desperationem. Nã contra est. Primò, quia id ipsum de Charitate dici potest, cum quis possit taliter in charitate exardescere, quod teneatur ab illa cessare ob damnum sanitati inferẽdum. Secundò, quia virtutis medium, non per ordinem ad subiectum est desumendum, sed per ordinem ad obiectum, ergo, &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negaado minorem, in omnium nanque sententia, pœnitentia (supposito quod non sit iustitia) medium rationis habere debet. Ad probationem dico, falsum esse pœnitentiam dictare de peccato esse dolendum in infinitum absolutè, sed in infinitum, vt ita dicam, determinatè, nempe secundum quod prudentia dictauerit, prudentia autem dictat esse semper magis, ac magis de peccatis dolendum; taliter tamen, quod dolor, & afflictio, quæ per se à pœnitentia importãtur, non sint nociua; vnde falsum est, quod dolor, & afflictio se teneant præcisè ex

parte subiecti, & nocumentū, quod ex illis oriri potest; sed se tenent ex parte obiecti, tanquam circunstantiæ illius; nō sic se habet nocumentum respectu Charitatis, nam solum per accidens, ratione subiecti, cum illa coniungi potest. Vnde patet manifesta dispositus inter Charitatem, & Pęnitentiam, quod Charitas dilectionem respicit, & ex hac per se non sequitur dolor, sed lætitia, & etiamsi aliquando dolor, & afflictio ex illa sequatur, ratione oppositi, obiecto amato, erit purè per accidens; At vero pęnitentia per se habet respicere dolorem, & afflictionem pro peccatis commissis, ex quibus nisi intra prudentiæ limites detineantur, sequetur nocumētum corporale, & etiam spirituale, & subinde illa, nullū, per se loquendo, medium, sibi pręscribit, hæc autem sic. Ex quibus patet radix, & fundamentum, ob quod dicunt communiter Theologi virtutes morales habere medium rationis, nempe à prudentia præscriptum, non vero virtutes Theologales, cum hæ solum per accidens, excessum habere possint, ratione scilicet subiecti, ad quem excessum per accidens, dari nō debet determinata virtus, sed sufficiet pro eo casu fides, quę est prudentia quædam eminentialis, vel donum intellectus, vel sapientiæ, vel scientiæ secundum materiæ exigentiā. Nota tamen quod licet pænitentia non sit virtus Theologalis ad illam tamen maxime accedit, sicut, & religio, ideoque non mirū quod sit valdè difficile harum virtutum medium adinuenire.

Quæres tertio, an pęnitentia sit virtus infusa? Affirmatiuè respondeo & apertè colligitur ex sacra Scriptura, Ierem. 31. *Postquam conuertisti me egi pœnitentiam*. Vbi particula *postquam* indicat illum ante, pænitentiam exercere non potuisse: & Threnorum vlt. dicitur. *Cōuerte nos Domine ad te, & cōuertemur*. Idem habetur ex Tridentino sess. 6. cap. 3. & alibi. Et ratio id ipsum conuincit, nam omnis habitus ordinans hominem in finem supernatutalem, non potest non esse infusus; Atqui huius-

huiusmodi est pœnitentia, reconciliat nanque hominem cum Deo supernaturali auctore; ergo &c.

Quæres quarto, an possit dari pęnitentia, quæ sit virtus acquisita? Et respondeo affirmatiuè. Ita D. Thomas quæst. 84. art. 7. cuius in corpore dicit: *ex naturali ratione homo mouetur ad Pænitentiam de malis, quæ fecit*. Et in solutione ad primum habet: *de iure naturali est, quod aliquis pæniteat de malis, quæ fecit, quantum ad hoc quod doleat fecisse, & doloris remedium quærat, per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut & Niniuitæ fecerunt, vt Ionæ 3. legitur*. Adde posse etiam hunc habitum generari ex frequentatione actuum pęnitentię supernaturalis, qui habitus postea manet in peccatore, vt tradunt cõmuniter in alijs materijs D. Thom. discipuli. Aduerte tamen nec huius, nec prioris habitus actus, esse sufficientes ad iustificationem, etiam cum Sacramento; cum actus naturalis nequeat esse dispositio ad gratiam, vt infra dicetur, an autem dolor naturalis possit esse sufficiens ad faciendum pęnitentię Sacramentum validum, sed informę, affirmant aliqui cum Bonacina, & alijs, quod an sit probabile ex infra dicendis patebit.

QVAESTIO III.

Explicantur aliquæ pulcherrimæ difficultates, ad eandem Pœnitentiæ virtutem pertinentes.

NE tedio lectorem afficiam quęstionum longitudine, quæ in vnica quæstione pertractari poterant duabus committo. Quæro ergo primò quomodo pęnitentia ad iustitiam pertineat; dictum nanque est iustitiam

non esse, & cum ad alterum sit, ad iustitiam debet pertinere; quomodo autem hoc sit, disquiritur. Pro quo nota, quod sicut in naturalibus sunt tria partiũ genera, nempe partes subiectiuæ, seu specificę, vt homo, & equs respectu animalis; integrales, vt manus, & pes,& potentiales, vt proprię passiones: ita in virtute iustitiæ, hæc tria partium genera reperiuntur, partes subiectiuę, seu specificę, iustitię, sunt iustitia distributiua, commutatiua, legalis, & Epichya. Partes integrantes sunt per D. Thomam 2.2. q.79.art.1. facere bonum, & declinare à malo. Partes potentiales sunt, quæ declinant à perfectione iustitię, licet veras constituant species, & nõ sint propriæ passiones iustitię (quantum nanque ad hoc similitudo non tenet cum partibus potentialibus naturalibus) & sunt Religio, Pœnitentia, Pietas &c. De quibus N. salm.1.2. in arbore virtutum: est ergo pœnitentia pars potentialis iustitiæ, quia in primis non habet veræ iustitiæ conditiones omnes, nimirum quod sit ad alterũ, quod debiti respiciat rationem, & quod reddat æquale simpliciter, & perfectè; licet enim sit perfectè ad alterum, non tamen respicit propriam debiti rationem, cum respiciat offensam, quę non est strictè iniuria, vt supra dicebamus, an autẽ deficiat etiam à propria iustitię ratione, ex eo quod Deo æquale non reddat, ex mox subijciendis habebis.

Quęro secundo, an pęnitãtia Deo satisfaciat pro culpa mortali? Respondetur affirmatiuè, non quidem perfectè, & ad æqualitatem, sed imperfectè, ob idque communiter pęnitentia, vocatur iustitia hominis ad Deum, eo quod nulla alia sit virtus, quę aliquo modo ius Dei lęsum per peccatum, vt est Dei offensa resarciat. Propter hoc dicit D. Thomas in hoc art. Pęnitentiam facere compensationem pro offensa Dei illata & quod in pęnitãtia quoddam iustum secundum quid inueniatur. Et art.2. quęst.1. huius partis probat purum hominem posse satisfacere secun-

secundum quid, & imperfe-ctè pro offensa contra Deum facta. Et ratio etiam id ipsum conuincit, quia ad huiusmodi satisfactionem non requiritur, quod reddatur æquale rei, sed proportionis; atqui creatura per pœnitentiam huiusmodi reddit æquale pro peccatis, cum reddat quantum potest; ergo &c. sed de hoc fusè disput. sequenti q.4. Hinc sequitur peccatorũ remissionem fieri gratis, quia cum talis satisfactio non sit æqualis, non tenetur illam Deus acceptare, sed posset illam respuere. Tum quia, cũ hanc pœnitentiam non faciat homo de suo, sed per Dei gratiam, nullam inferre potest obligationem rigorosam acceptandi illam, sed congruentiæ, sed liberalitatis. Tum etiam quia, licet pœnitentia, prout ad gratiam sequitur, seu prout gratia informatur ius iustitiæ, respectu gratiæ augmenti, & gloriæ inferat cum sit propriè meritoria, non tamen prout in genere causæ materialis gratiã præcedit, seu prout est vltima dispositio ad gratiam, secundum nanque hanc rationem licet possit dici aliquo modo satisfactoria, cum tunc pro illo etiam priori intelligatur peccati destructio, non tamen ius aliquod inducit in Deo cum adhuc intelligatur opus inimici, licet prout ad gratiã sequitur sit opus amici. Sed de hac re videantur omnino ea quæ diximus de iustificatione disput.4. q.2. vbi explicuimus quomodo vltima dispositio ad gratiam, sit ab eadem gratia efficienter.

Quæro tertio, quam nexũ habeat pœnitentia cum gratia, & charitate. Respondetur duplicem habere nexum cum gratia, vnum generalem, specialem alterum: generalem habet, qua virtus infusa est, omnes nanque virtutes morales infusæ cum gratia connectuntur, illi ancillantur, illi deseruiunt, ad illam veluti passiones consequuntur. Particularis est, qua tendit ad destruẽdam offensam, Deo illatam, media dicta satisfactione, quæ satisfactio suum non sortitur effectum, nisi Dei (vt mox dicebamus) accedat acceptatio, diuina

sup-

ſupplente miſericordia, quod non valet hominis præſtare iuſtitia, quod non fit, niſi per hoc, quod Deus homini placatus, & amicus reddatur, quod non niſi per gratiã fieri poteſt. Habet etiam nexum cum charitate, quatenus dolor diuinæ deſtructiuus offenſæ, non eſt quilibet dolor, ſed ſuper omnia, vt dictæ offenſæ proportionetur; & quia omnis dolor ex amore alicuius procedit, ſic dolor ſuper omnia, procedere debet ex amore ſuper omnia, non quidem elicitiuè, vt ſupra dicebamus, ſed imperatiuè.

Quæro quarto, an pęnitẽtia poſſit dolere de vno peccato, abſque eo quod doleat de omnibus? Certum in primis eſt, poſſe pœnitentiam deteſtari vnum peccatum explicitè, quin alia explicitè deteſtentur; difficultas eſt, an poſſit pęnitentia deteſtari vnũ peccatum explicitè, quin alia implicitè deteſtentur: & procedit difficultas de ſolis peccatis mortalibus; nam de venialibus nulli dubium eſt, id fieri poſſe. Et reſpondeo nullo modo poſſe pęnitentiam explicitè vnum deteſtari peccatum, quin cætera deteſtetur ſaltem implicitè, & idem dicendum eſt dè reliquis virtutibus, quæ peccatis aduerſantur. Et ratio eſt, quia ſicut charitas dum amat Deum, auerſatur ſaltem implicitè, omne malum quod illi opponitur; cum abſolutus amor cuiuſcunque boni, ſit virtualis fuga, & deteſtatio cuiuſcunque mali: acceſſus nanq; ad terminum ad quam, eſt receſſus à termino à quo; ergo cũ deteſtatio explicita vnius peccati, qua offenſa Dei eſt, ſit acceſſus ad Deum, & ſit deteſtatio ſuper omnia, non poterit nõ eſſe deteſtatio ſaltem virtualis omnium aliarũ offenſarum. Hoc intelligi debet quando deteſtatio eſt actus pęnitentiæ infuſæ, nam ſi eſſet actus pęnitentiæ acquiſitæ, quæ habet peccatum deteſtari quatenus eſt contra rectam rationem, vel quatenus naturam dedecet rationalem, poſſet vnum deteſtari abſque eo, quod cætera etiã implicitè deteſtentur, vt cum quis deteſtatur ebrietatem, & diligit, & vult fornicationem.

Quæro

Quæro quinto, an pœnitentia sit ad salutem necessaria? Et respondeo affirmatiuè, in homine adulto, in peccatum mortale relapso, sine Sacramento, nam cum sacramento sufficit attritio, quæ sit dolor supernaturalis ex motiuo alterius etiam virtutis, vt religionis, obedientiæ, ex timore gehennæ, ex desiderio beatitudinis, qui à spe elicitur; ex turpitudine peccati &c vt ex infrà dicēdis patebit. Vnde patet non rectè dicere Lugo hic disput. 2. nu. 65 quod melius sit ad salutem, dolere ex motiuo charitatis, quam ex motiuo pœnitentiæ, & subindè quod pœnitentia non sit ad salutem necessaria. Nam licet hæ duæ virtutes simul eant, & simul maneant, tamen Charitas non ordinatur per se ad dolendum de peccatis, nec est hoc proprium ipsius munus, sed pœnitentiæ; deinde charitas non detestetur peccata, qua offensa Deī sunt, & secundum rationem generalem, sed solum secundum rationem ipsius specialem; ob idq; dicunt communiter Theologi quod quando peccata per charitatis actus destruuntur, si ratio offensæ memoriæ postea occurrat debeāt ex motiuo pœnitentiæ detestari; alioqui frustra specialis hæc virtus daretur.

QVAESTIO IV.

An Pœnitentia medijs suis actibus effectiuè peccata destruat.

Non procedit præsens difficultas de peccato originali respectu paruulorū, cum certum in omnium sententia sit, peccatum originale non expelli efficienter in paruulis, per pœnitentiam, cum pro eo tempore non sint capaces eliciendi actum pœnitentiæ, sed destruitur formaliter per gratiam, & virtutes infusas, instrumentaliter per Baptismum, & principaliter à Deo gratiæ auctore. Neq; etiam

etiam procedit difficultas de habitu gratiæ; nam cum gratia non detur ad operari, sed adesse per se, non potest efficienter peccatum destruere, cum nō sit operatiua; destruit tamen formaliter, sicut & aliæ virtutes infusæ; an autem virtutes infusæ peccatum etiam efficienter habeant destruere, ex mox subijciendis habebis: quod autem gratia habeat peccatū formaliter destruere patet, quia vnaquæq; forma habet suum expellere contrarium; atqui peccatum, & gratia contrariantur; ergo posita gratia in anima peccatum formaliter expelletur, & sic cum peccatū inficiat animam, & potentias eius, cum sit quædam illarum obliquitas, à gratia expellitur formaliter proximè, & immediatè ab anima: à potentijs mediatè, licet immediatè ab ijsdem potentijs per virtutes infusas expellatur; vnde si Deus gratiam sine virtutibus infusis infunderet, adhuc peccatum, & ab anima, & à potentijs eius expelleretur, sed ab anima directè, & à potentijs indirectè; at modo a potentijs etiam directè per habitus in illis existentes expellitur. De sola ergo pœnitentia respectu adoltorum præsens procedit difficultas, & sensus est, an quando homo per actum contritionis, qui est proprius pœnitentiæ actus iustificatur, peccata efficienter physicè destruantur. Suppono ex dictis in p.2. peccatùm non solum actuale, verum etiam habituale esse aliquid physicum, seu positiuum, & non puram vt volunt aliqui priuationē. Prima sententia est, contritionem expellere peccatum moraliter dumtaxat. Hanc sequuntur plures moderni, extra scholam Diui Thomæ.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Pœnitentia per contritionem peccatū physicè efficienter destruit.* Hæc est manifesta D.Thomæ sententia in hoc art. in solutione 3. vbi habet: *qualibet virtus specialis expellit habitum vitij oppositi; sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subiecto; sed Pœnitentia expellit omne peccatum effectiuè, in quantum operatur ad destructionem*

ctionem peccati prout est remissibile ex diuina gratia homine cooperante. Hæc D. Thomas, & cum eo eius discipuli. Videatur Nugnus hic dub. 2. vbi optimè notat omnes virtutes expellere peccatum, seu vitium sibi oppositum, non solum formaliter, verum etiã efficienter, cum hoc sit proprium cuiuscunque habitus, & qualitatis operatiuæ, sic, sua contraria expellendi, sed hoc faciunt secundum proprias, & determinatas rationes: at vero, si loquamur de pœnitentia, habet expellere efficienter, & formaliter vitium, quod sibi determinatè opponitur, nempe impęnitentiam; cætera vero peccata efficienter tantum, cum non habeat cum illis propriam, & formalem oppositionem, sicut habet cum vitijs sibi oppositis; quia tamen est virtus quædam eminens, & superioris ordinis, habet vim agendi contra omnia vitia, & destruendi illa.

Probatur conclusio primò, quia peccatũ est aliquid physicum, nempe vera, & realis conuersio ad bonum commutabile; per peccatum namque auertitur creatura à Deo, & conuertitur ad creaturam, constituendo in ea suum vltimum finem; ergo debet habere aliquam causam efficiẽtem per quam destruatur; hęc inter alias virtutes est pœnitentia; ergo &c. Antecedens supponitur ex prima secundę q. 71. vbi ostendimus peccatum esse veram, & realem cõuersationem ad creaturam. Consequentia patet, nam ens reale nonnisi per causam realem destrui potest. Minor subsumpta probatur, nam vt docet D. Thomas, & supra obseruauimus, nulla alia virtus, est ordinata ad destruendum peccatum, secundum quod omnibus opponitur virtutibus, nisi pœnitentia, vnaquæque nanq; virtus ad peccatum tendit destruendum, secundum propriam, & determinatam rationem; at vero pœnitentia ad destructionem tendit peccati, secundũ rationem offensæ, quæ ratio in vitijs omnibus reperitur; ob idq; aliæ virtutes ad vnũ, vel alterum vitium destruendum tendunt; Pœnitentia ad

omnia, aliæ virtutes in talem tendunt destructionem, secũdum quod vitia opponuntur obiectis inspectis, & subinde veluti secundariò, & pœnitẽtia primariò, cum hoc sit proprium illius obiectum, propriumque munus illius.

Probatur secundo, vnum contrarium physicè destruit aliud, sed pœnitentia habet eminentẽ cum omnibus peccatis contrarietatem; ergo physicè destruit illa. Maior patet ex Philosophia, & ex D.Thoma 1.2. q 71. art 3. & alibi Minor probatur ex Aristotele in Logica cap. de oppositis, vbi dicit bonum, & malum, iustitiam, & iniustitiam opponi contrariè. Atqui pœnitentia est quædam iustitia hominis ad Deum, cum tendat ad compensationem faciendam pro iniurijs Deo illatis, & peccata sint quædã iniustitia cõtra Deũ; ergo &c.

Confirmatur, & explicetur præcedens ratio, nam pœnitentia est habitus operatiuus, vt omnes admittunt, subiectatur nanque in potentia operatiua, & consequitur ad gratiam, quæ est ipsum esse in linea supernaturali, ob idque in anima subiectatur, cæteri habitus in potentijs operatiuis, & ob id pro operatione dantur; ergo debet physicè operari ad sui oppositi destructionem, sicut & alij habitus; cum enim omnis virtus debeat esse potens ad resistendum contrarijs, & ad illa destruenda, non solum formaliter (hoc enim est proprium contrariorum nõ actiuorum) verum etiam efficiẽter, quod est proprium actiuorum, vt sunt habitus virtutum operatiuarum; ergo. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum, alię virtutes effectiuè non destruũt nisi vitia sibi ex diametro opposita, vt temperantia intemperantiam, iustitia iniustitiam, &c. ergo etiam pœnitẽtia, solum vitium sibi ex diametro contrarium, destruere potest, nempe impœnitentiam; nihil enim destruitur nisi vel à contrario, & hoc per se, vel ex destructione subiecti, & hoc per accidens.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, licet enim pœniten-

nitentia nō habeat nisi vnum contrarium strictè, & immediatè, tamen eminenter omnia peccata sibi contrariātur; cum enim pœnitentia sit perfectissima in Deum cōuersio, habebit physicè destruere omnes auersiones, vnde pœnitentia maiorem habet vim, virtutem, & actiuitatem in peccata, quam habeant aliæ virtutes, nam aliæ virtutes opponuntur quidem peccatis secundum speciales eorum rationes, pœnitentia vero secūdum rationem generalem offensæ, quæ in auersione à Deo, & in conuersione ad creaturam consistit: ideoque dicebat Dominus per Prophetam: *me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. & foderunt sibi cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas* Vnde pœnitentia secundum aliquā rationem superat fidem, & spem, quia iste virtutes talem non ponunt conuersionem, cum possint esse in peccatore; At pœnitentia, non nisi cum charitate manet, & ex imperio illius, & directione operatur. Vnde dum pœnitentia operatur, duplex interuenit, motiuum, intrinsecum, & est proprium pœnitentiæ, & extrinsecum, & est propriū charitatis, ex cuius motione agit.

Secundum argumentū, peccatū prius natura per charitatis actū expellitur, quā quod pænitentiæ actus ponatur; ergo non expellitur per pænitētiam. Antecedens probatur, nam pænitentia non agit nisi per charitatis actum moueatur; ex imperio nāque charitatis pœnitentia operatur; ergo cum actus imperans sit prius actu imperato, actus charitatis prior erit actu pœnitētiæ: implicat autem, quod actus ponatur charitatis, & peccatum nō expellatur, cum charitas, cum omnibus peccatis oppositionem habeat; & omnia destruat.

Respondetur distinguēdo antecedens, peccatum prius natura expellitur per charitatis actum secundum quod amicitiæ Dei opponitur quā expellatur per actum contritionis secundum quod est offensa Dei & conceditur; expellitur prius natura. per actum charitatis, secundum

omnem rationem & adequatè; & negatur. Itaque licet peccatum in eodem in instanti adequate expellatur, tamen in eo instanti reali plura naturæ instantia assignantur, in quibus datur distributio expulsionis peccati, nam prius intelligimus peccatū expelli per charitatem, secundum quod Dei amicitiæ opponitur, deinde secundum rationem offensæ, postea secundum alias particulares rationes, secundum quas alijs uirtutibus opponitur. Vnde ex illo argumento nil aliud probatur nisi quod per actum dilectionis quo pœnitentia imperatur, prius natura peccatum intelligatur expulsū, secundum quod bono opponitur diuino vel diuinæ amicitiæ, non adequatè.

Tertium argumentum: Si pœnitentia physice peccatū expelleret, etiā physicè gratiā causaret; hoc dici nequit; ergo nec illud. Maior patet nam quod est causa causę est etiā causa causati; sed homo causat officienter pœnitentiam, & hęc gratiam per quā peccatum expellitur; ergo. Tum etiam quia peccatū non expellitur nisi per gratiam; ergo si pœnitentia physicè expellit peccatum, physicè gratiam producet per quam expellatur. Minor patet, nam in omnium sententia gratia physicè non causatur, nisi à Deo principaliter & per sacramenta instrumentaliter, per actus autem nostros non nisi dispositiuè, vt docet Tridentinum sess. 6. cap. 5. & can. 6.

Respondetur negando sequelam maioris; cum enim gratia sit altioris ordinis, & non possit attingi, nisi a Deo tanquam à causa principali, & à creatura tamquā à causa instrumentali, & deus nullum aliud instituerit gratiæ instrumentum pręter sacramēta; sequitur quod nostri actus nō nisi dispositiones esse possint ad gratiam producendā qui alij nō sunt, extra Sacramentum, nisi pœnitentiæ, & charitatis actus, nec est nouū quod agens attingat vnū contrarium & non attingat aliud, quando hoc aliud extra suæ actiuitatis spheram reperitur. Vnde videmus hominem efficien-

ficienter expellere à materia contrarias dispositiones, ad animæ rationalis introductionẽ, imò, & effectiuè dispositiones ad eandem animã introducendã necessarias attingere non tamen animam ipsam: similiter sol effectiuè vltimas producit dispositiones ad formam ranç introducendam, & tamẽ eandem ranæ formam non attingit; cũ hoc fiat in virtute intelligentiæ &c.

Quartum argumentũ est, quia sequeretur peccatũ mortale remitti sine gratiæ infusione, hoc esse nequit vt in tractatu de iustificatione furè docuimus; ergo &c. Maioris sequela probatur, nam in illo priori, in quo intelligimus hominem, perfectam habere contritionem, intelligimus illum esse perfectè in Deum conuersum, & subinde peccatum remissum & tamen adhuc gratia non intelligitur; ergo peccatũ mortale remitti posset, sine gratiæ in infusione.

Respondetur negando sequelam, cum enim iustificatio fiat in instanti, secundum diuersos cõceptus inadequatos, potest gratia intelligi prior, & posterior; nam in genere causæ efficientis, & formalis gratia est prior contritione, in genere vero causæ materialis dispositiuæ contritio est ipsa gratia prior; vnde pro illo priori in genere causæ materialis dispositiue, homo dicitur conuersus in Deũ non tamen intelligitur Deus conuersus ad hominem, quãdiu autem vtrumque non intelligitur, nõ intelligitur homo perfectè iustus, & in gratia constitutus.

Quintum argumentũ, peccatum habituale quo homo transacto actu peccati, peccator denominatur, subiectatur in anima, pœnitentia in voluntate, vt q. sequẽti dicetur; ergo non potest peccatũ effectiuè à pœnitẽtia destrui: Consequentia patet, nã nulla qualitas habet suum contrarium expellere ab alieno subiecto.

Respondetur, quod sicut gratia, vt supra dicebamus, est in anima, & tamen secundariò eius virtus ad purgandas potentias se extendit ra-

tione

tione connexionis animæ cũ proprijs potentijs. Ita e contra, pœnitentia, per prius purgabit voluntatem, & inde descendet eius virtus ad animam ipsam purgandam.

QVAESTIO V.

In quo nam subiecto Pœnitentia subiectetur.

FVit aliquorum sententia, vt videre est apud Alensem 4.p.q.12.memb.2.art.3. Bonau.4.dist.14.ar.2.quæst.1. quod pœnitentia esset in intellectu.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. ***Pœnitentia est in voluntate, vt in subiecto.*** Hæc est D. Thomæ hic art.4. Caietani, & omniũ sententia Theologorum.

Probatur primo ratione D. Thomæ. Pœnitentia est pars potentialis iustitiæ, vt supra probatum est; sed iustitia, & omnes partes eius potentiales sunt in voluntate; ergo & pœnitentia: maior patet ex dictis supra q.2. cum enim sit ad alterum (amat enim bonum detestationis peccati, & intendit, ius Dei, per offensã læsum, in integrũ restituere) non potest non esse pars iustitiæ. Minor etiam nota est, definitur nanq; iustitia, quod sit *constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*.

Probatur secundo, quia pœnitentia est dolor de peccatis, vt sunt offensa Dei, quod est eiusdem pœnitentiæ motiuum proximum, propter Deũ summè dilectum, quod est motiuum remotum, virtutis imperantis; atqui hoc non potest esse nisi in rationali appetitu; ergo. Minor patet, nam licet in appetitu sensitiuo possit esse aliquis dolor, non tamen ob illa motiua, quæ non nisi per fidem regulantur. Benè verum est quod propter connexionem appetitus rationalis, cum animali ex dolore, & tristitia illius, sequitur etiam similis affectio in isto, & e contra, & ex frequen-

quentia talium actuum in appetitu rationali, sequitur quędam facilitas ad illud ipsum in appetitu sensitiuo, quæ facilitas appetitus sensitiui manere potest in peccatore, ob idque videmus istos faciliter de suis peccatis contristari, sine vlla tamen emendatione; benè verum est, quod talis facilitas multum deseruire potest ad inclinandam voluntatem ad similes actus. Sicuti contingit ex frequenti apprehensione intellectus, qua apprehendimus peccatum, vt graue malum, producitur facilitas quædam in phantasia, qua producta solicitat aliquãdo intellectum ad renouandam antiquã illius mali apprehensionem.

Sed quæres primo, an pœnitentia fuerit in Christo Domino, & respondeo quod nec fuit, nec esse potuit: est communis sententia Theologorũ cum D.Thom. 4. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiun. 3. ad 2. Et ratio communis est, quia vbi est impossibilis actus, ibi est impossibilis habitus; sed in Christo Domino fuit impossibilis actus pœnitentiæ, cum hic, peccatum quod destruat, quod detestetur, supponat, quod in Christo non contingit; ergo &c.

Sed dices primo. Christus Dominus potuit elicere istum actum, si possem peccare, & peccassem, vellẽ de tali peccato pęnitere; sed hoc est actus pęnitentiæ; ergo. Respõdetur quod ob actus conditionatos, habitus non dantur, sed ob actus absolutos; cum enim in actibus conditionatis, vel parua, vel nulla reperiatur difficultas, nec obiectiua, nec subiectiua, sicut in actibus absolutis, ideo non ob illos, sed ob istos, virtutum habitus dantur; ob hanc rationem admittunt plures in Angelis actus conditionatos circa obiecta materialia, vt circa temperantiam, & tamẽ huiusmodi habitus in illis nõ admittuntur: dato ergo quod in Christo Domino talis actus dari posset, non ob id dari deberet pœnitentia; sed ille actus elici posset etiam sine virtute infusa, vt tradunt communiter Thomistæ 1. p.

q. 12.

q. 12, de isto actu conditionato, si possem videre Deum; vellem, &c.

Dices secundo. Verbum diuinum potuisset assumere humanitatem, quæ prius in peccato mortali fuisset; sed tunc potuisset illa natura de peccato ante assumptionem perpetrato dolere; ergo &c. Respōdetur quod si Verbum diuinum naturam assumeret humanam, in qua iam esset pœnitentiæ habitus infusus, vel si assumeret naturā mortali peccato fœdam, ipsa assumptione mundaretur, nec infunderetur pœnitentię habitus, & si prius fuisset infusus, per talem assumptionem deleretur, & ratio est, quia nihil debet in tali natura assumpta infundi, vel si erat infusum manere, quod dignitati talis naturę non valet cōuenire; ob id videmus, quod si Verbū diuinum assumpsisset naturam, in qua habitus fidei fuisset, per ipsam assumptionem destructus fuisset; sicut etiam destruitur per assumptionem animę ad cœlū.

Quæres secūdo, an in Angelis possit esse pœnitentia? Respondetur negatiuè: ita D. Thomas 4. dist. 14. quęst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 4. vbi habet: *non est eadem ratio de Angelis sanctis, & animabus sanctis: quia in animabus sanctis præcessit, vel præcedere potuit peccatum remissibile, non autem in Angelis: & ita quāuis sint similes quantum ad statum præsentem, non tamen quantum ad statum præteritū, quē pœnitentia respicit directè.* Cum enim Angeli adhæreāt immobiliter eo, quod semel apprehenderunt, nō sunt mobiles ab statu peccati, ad statum gratiæ; ideoque in illis non supponitur peccatum remissibile, & subinde in illis pœnitentia dari nequit.

Quæres tertio, an pœnitētia fuerit in Beatissima Virgine? Et respondetur affirmatiuè, quia licet B. V. fuerit ex speciali priuilegio impeccabilis, absolutè tamen, & ab intrinseco, & secundum statum viatoris erat peccabilis, quod est sufficiens ad hoc, vt in ea pœnitentia daretur.

Quæres quarto, an pœnitentia

tentia, omnibus virtutibus infundatur, etiam paruulis, quātumuis ad vsum rationis non sint peruenturi. Respondetur affirmatiuè: Ita D. Thomas loco citato quæstiunc. 2. Pęnitentia nanque cum gratiæ huius status ancilletur, cum eadem gratia infunditur &c.

Quæres quinto, an pœnitentia maneat in animabus beatis? Respondeo affirmatiuè, vnde manet tum ratione ornatus, tum etiam ratione actus, quatenus gaudent de pœnitentia habita, & satisfactione Deo exhibita, vel quatenus displicent illis peccata commissa, displicentia simplici sine vllo dolore, & tristitia, cum hæc ratione status, illis repugnent. Vnde est diuersa ratio de habitu fidei, & de habitu pœnitentię; nam pœnitentia, cum statu beatifico, non habet repugnantiam, nisi ratione detestationis, peccati, ex dolore, & tristitia conceptæ; at vero fides ratione nō solum actus primarij illius, verum etiam ratione sui, quatenus habet oppositionem cum habitu luminis gloriæ.

Quæres sexto, an Adam in statu innocentiæ habitum pœnitentiæ infusum habuerit? Respondetur affirmatiuè cum D. Thoma 1 p. quęst. 95. art. 3. vbi probat quod licet pœnitentia non potuerit esse in Adamo quoad actum, benè tamen quoad habitum; cum enim potuerit Adā peccare, & de facto peccauerit, erat pro illo statu in sensu diuiso possibile peccatum, licet non potuerit esse in sensu composito, ac proinde in eo pœnitentia esse debebat.



QVAESTIO VI.

Quodnam sit obiectum materiale destruendum Pœnitentiæ.

OBiectum formale pœnitentiæ iam constat ex dictis, esse peccati destructionem, sub ratione offensæ, ideoque de obiecto materiali, quod per illam destruitur, inquirimus.

De qua re in primis certũ est, peccatum mortale esse obiectum materiale destruẽdum per pœnitentiam, hoc enim est in quo maximè ratio offensæ Dei reperitur. Sed dices, potest quis ex ignorãtia inuincibili putare, mortale peccatum, non esse Dei offensam, ergo tunc non erit obiectum materiale destruẽdum per pœnitentiam. Respondetur implicare contradictionem aliquem peccare mortaliter, & non cognoscere sufficienter tale peccatum esse Dei offensam, eo nanque ipso quod scit tale peccatum, esse contta Deum, & vult illud committere, vult Deum offendere. Hoc posito, vt certo, aliquas proponamus difficultates.

Prima difficultas est, an peccatum originale sit obiectum materiale pœnitentiæ destruendum? Respondetur negatiuè, contra multos modernos, qui volunt hominem posse propriè de peccato originali conteri: nostra tamen responsio est D. Thomæ q. 84. art. 2. ad 3. vbi dicit: *De peccato vero originali pœnitentia, nec principaliter est, nec etiam propriè, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi fortè in quantũ voluntas Adæ reputatur nostra.* idem habet in 4. dist. 17. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. Et ratio clara est ex dictis, quia formalissima pœnitentiæ ratio, est detestari peccatum, secundum quod offensa Dei est; Atqui peccatum originale in nobis non habet rationem offensæ; ergo non potest à nobis per pœnitentiam detestari.

ftari; Minor patet;nam offensa non est naturæ, sed personæ; est quidē homo per peccatum originale Dei inimicus, sed non per offensam à se factam,sed per illam,quam illi fecit Adam. Vnde peccatum originale, vt erat peccatum personæ, Dei fuit offensa,vt fuit peccatum (vt ita dicam naturæ) non fuit offensa, sed macula constituēs nos Dei inimicos. Ad eum modum, quo quis est inimicus alterius, per proprij patris delictum,vel offensam.

Sed dices, si homo ad vsū perueniens rationis, actum eliciat pœnitentiæ, verè iustificabitur, & ab originali mūdabitur; ergo peccatum originale, pœnitentiæ materia esse potest. Consequentia tenet, si enim semel materia pœnitentiæ non esset,per illā deleri nō posset. Antecedens probatur, nam implicat ponere pœnitentiam & non ponere cuiuscunq; peccati deletionem. Cum enim pœnitentia sit perfectissima in Deū conuersio, destruere debet, quamcunque à Deo auersionem.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam eo casu iustificabitur quidam ille homo,sed non ex vi actus pœnitentiæ formaliter, sed ex vi actus charitatis à quo talis pęnitentiæ actus imperatur, cū enim vt supra docuimus,pœnitentia ex charitatis motione se habeat,& simul eat, & simul maneat, sequitur,quod dum peccatum remittitur in virtute pœnitentiæ, remittatur etiam in virtute charitatis, eo autem casu cum pœnitentia nō currat ob D.Thomæ rationem,curret charitas.

Secūda difficultas, an peccata venialia sint materia destruenda pœnitentiæ?Respōdetur affirmatiuè cū D. Thoma infra q. 2. supplem. art. 2. Et ratio est,quia venialia peccata licet diuinā nō destruant amicitiam, nec sint offensa grauis,sunt tamen offensa leuis, ac subinde sufficiēs erunt materia per pœnitentiam destruenda.

Maior difficultas est de imperfectionibus, cum enim imperfectio nullam inuoluat culpam, cum sit carētia actus

perfectionis indebitæ, quæ carentia nulla culpa est, nullaque ei pœna debeatur, sequitur, quod in illa nulla ratio offensæ queat reperiri, & subinde pœnitentiæ materia destruenda non sit; quia tamen fidelium vsus est, dolere etiam de istis imperfectionibus, ideoque explicandum est quomodo pęnitentiæ materia esse possint. Suppono ex infra dicendis solas imperfectiones non debere confiteri, cum hæ non sint Sacramenti pœnitentiæ materia, sola nãque peccata id habent; licet ergo imperfectiones materia Sacramenti Pœnitentiæ esse non possint, possunt tamen esse materia pœnitentiæ virtutis, cum enim hæc offensam Dei destruendam respiciat, & hæc aliquo modo reperiatur in imperfectiouibus, sequitur quod pœnitentiæ materia esse possint; quod autem in imperfectionibus aliqua offensę ratio, queat esse, patet; nam offensa alia est positiua, & hęc in peccatis reperitur, alia negatiua, & hæc in imperfectionibus inuenitur; eo nanque ipso quod homo possit actum elicere perfectionem, & non faciat, etiamsi non teneatur, etiamsi Deum positiuè nõ offendat, & auersum nõ habeat, nõ tamen magis conuersum, & subinde se priuauit maiori Dei erga se conuersione, per auxilia vberiora, &c. & Deum priuauit maiore illo bono externo, maiori cultu, honore maiori; in quo non potest nõ esse aliqua offensæ (sed negatiuæ) ratio.

Hinc aliud dubium resolues, an nimirum actus materialiter malus possit esse materia pœnitentiæ; nam etiãsi in actu materialiter malo, ratio offensæ formalis, & positiuæ non reperiatur, cũ à peccato excusetur, tamen negari non potest quin aliqua ratio offensæ, saltem negatiuæ non reperiatur: vnde miror certè quomodo Lugo hic disputatione 3. nu. 10. admittat, imperfectiones esse materiam pœnitentiæ: & nu. 17. id neget de actu materialiter malo, cũ maior sit ratio de hoc, quam de illis: Si enim vt optimè dicit ille, omnis virtus habet detestari vitium sibi oppositum, etiam solum materia-

teria-

terialiter tale, vt temperãtia ebrietatem etiam inculpabilem, quare etiam pœnitentia non poterit deteſtari actum materialiter malum? cum nō minus in hoc ratio offenſæ, ſaltem negatiuè reperiatur, quam in ebrietate, ratio intemperãtiæ, ſaltem negatiuè?

Tertia difficultas, an peccata futura poſſint eſſe pœnitentię materia, non quidem deſtruenda cum nondũ ſint, ſed deteſtanda. Reſpondetur cum D. Thoma art. 4. quęſt. 2. ſupplem. Pœnitentiam non poſſe eſse de peccatis futuris, niſi ex conſequenti, quatenus ſcilicet deteſtãdo præterita, habet animum euitandi futura: & ſic vult Angelicus Magiſter, quod propoſitũ non amplius de cætero peccandi, ſit actus ex conſequẽti, ſeu ſecundarius pœnitẽtiæ. Pro quo nota, propoſitum nō peccãdi in futurum, ſeu quod in idem reddit propoſitum ſeruandi præcepta, poſse elici à pluribus virtutibus, nimirum ab obedientia, quatenus hæc habet deteſtari præteritas tranſgreſſiones, & firmat animum, ne in futurũ amplus committantur. A charitate, quatenus hæc habet deteſtari peccata præterita, prout diuinam deſtruunt amicitiam, & inclinat animum ad firmiter proponẽdum, ne amplius committãtur, ne diuina amicitia amplius lædatur; & ſic vniuerſaliter omnis virtus dũ vitium ſibi deteſtatur oppoſitum, animum firmat, & inclinat, ad non amplius illud committendum: ſic pœnitẽtia, dum peccata deteſtatur præterita, inclinat animum ad futura vitanda. Poteſt etiã dici, & valde probabiliter, quod dum D. Thomas vult pœnitentiam, ex conſequenti ſe habere ad peccata futura, velit etiam pœnitentiã animum inclinare, & ſollicitare, ad præcauenda peccatà futura, etiam antecedenter ad quancunque præteritorũ deteſtationem, mihi nanque valde veriſimile videtur, quod pœnitentia ad hanc ſollicitudinem, eos inclinet, qui nunquam peccauerunt; & illos, qui iam à peccatis commiſſis, ſunt per eandem pœnitentiam iuſtificati, etiàm ſollicitet, vt caueant à futuris; & media

media ad hoc ipsum apponant, ex proprio semper motiuo; quod pot est contingere etiam in alijs virtutibus proportionabiliter.

Quarta difficultas, an pœnitentia habeat etiam pro sui materia malum pœnæ. Pœna alia est ipsi contritioni intrinseca, & de hoc præsens non currit difficultas, cum implicet hanc pœnam, quam pœnitens sponte assumit, per pęnitentiam detestari. Alia est pœna inferni, carentia diuinæ visionis, priuatio virtutum, & donorũ: & de istis dico, quod ex consequenti per pœnitentiam detestantur; qui enim habet detestari causam, etiã effectus, qui à tali causa procedunt detestatur; idem dicendum est de pœnis temporalibus, quatenus ex ipso peccato consequuntur. Aliæ demum sunt pœnæ, quæ ab ipso assumuntur peccatore, vt media satisfactoria, pro offensa Deo, per peccatum illata, & de istis dico, quod secundum hanc rationem ex consequenti pertinent ad pęnitentiam. non per se primò, vt rectè probat D. Thom. q. 2. supplem. art. 1. Nam pœnitẽtia per se primo tẽdit in peccati destructionem, sed secũdariò: tendere nanque potest in omnia illa media, quę apta sunt, ad hoc vt Deus offensam dimittat, vt sunt omnes pœnæ, imò, & pœnalitates, ex motiuo satisfaciendi iniuriæ Deo illatæ, patienter passæ.

Quinta difficultas, an peccata aliena possint esse materia pœnitentiæ, non quidem destruenda, sed detestanda. Est in omnium sententia certum, post D. Thomam q. 2. supplem. art. 5. quod aliena peccata non possunt ad pœnitentiam pertinere, vt destruenda; cum enim peccata à pœnitentia non destruãtur, nisi media retractatione, seu nisi medio motu eiusdem pęnitentiæ, quo peccata vult nõ esse, per propriam eorundem retractationem; & aliena peccata sub mea non cadant retractatione, sequitur peccata aliena non posse esse quoad hoc pœnitẽtiæ materia. Difficultas solum est, an possim ego ex motiuo pœnitentiæ, velle non esse aliorum peccacata, imò dolere, & displicere

quod

quod deus offendatur. Dependet huius resolutio difficultatis ex illa, an vnaquæq; virtus possit ex proprio motiuo habere actum quo non solum amet proprium obiectum, vt exercendum, vt ita dicam, à proprio subiecto, verum etiam ab alijs in quibus non reperitur. Et e contra, an possit virtus habere ctum, quo detestetur contrarium sui obiecti, non solum in suo subiecto; verum etiã in alijs.v.g.charitas mea, an non solum inclinet me ad Deum diligendum, verum etiam inclinet ad desiderandum, quod Deus ab omnibus diligatur, non solum inclinet me ad detestandum, & fugiendum in me odium Dei, & quodcunque peccatum, vt diuinam destruit amicitiam; verum me inclinet ad detestationem, vel ad displicentiã odij, vel cuiuscumque peccati etiam in alijs, ob idem motiuum. Idem dicendum de castitate, an inclinet solum me ad volendam castitatẽ in me, & oppositum illius destruendum; verum ad volendam, & desiderandam castitatem in alijs. Idem dicẽdum de temperantia, & de virtutibus reliquis, &c.

Et mihi videtur affirmatiuè respondendum, taliter tamen, quod hæc secunda inclinatio, solum ex consequẽti se habeat, quod apertè colligitur ex charitate, quæ primario inclinat me ad diligẽdum Deum, & ad desiderandum, quod ab alijs omnibus diligatur, alioqui ostendatur cuius virtutis sit hic actus, licet enim non sit tãta difficultas in hoc, quod ego velim alios diligere Deum, alios esse castos, temperatos, pœnitẽtes, &c. ac quod ego velim me esse talem, tamen ex suppositione talium virtutum possum illos actus secundarios habere.

Sed dices primo, potest aliquis in mortale existens desiderare alios diligere Deum; imò & id ipsum procurare, vt nota docet experientia; potest nõ castus alios velle esse castos; potest non temperatus alios velle temperatos; potest non pœnitens velle omnes pœnitentes, ergo hi actus ab illis virtutibus non eliciuntur.

Tum

Tum etiam, quia virtus, suos non extendit actus, ad illam materiam, in cuius exercitio, nulla saltem obiectiua, reperitur difficultas, sed potest naturæ viribus faciliter attingi; Atqui sic se habet illa materia; ergo &c.

Respondetur; nos non dicere illos actus, etiam à non habentibus tales virtutes, nō posse attingi; sed dicimus, quod suppositis illis virtutibus, eas posse inclinare ad tales actus habendos: Igitur licet tales actus possint aliunde haberi, nō tamen ex proprio illarum virtutum motiuo, sed ex inclinatione naturæ, vel synderetis, quę ad bonum volēdum, tum in nobis, tum in alijs habet inclinare; licet in nobis difficilius, propter mediorum executionem in nobis; facilius in alijs, quia media ab illis sunt exequenda, quod nobis non ingerit difficultatem.

Dices secundo ex hac doctrina sequeretur, pœnitentiā fuisse in Christo, imò esse in Deo, cum velit nos esse pœnitentes seu illi nostra displiceant peccata; similiter temperātia esset in Angelis, cum velint nos esse temperatos. Item fidem esse in Deo, & beatis, cum velint nos habere fidem & oppositam detestentur infidelitatem, & summopere illis displiceat, &c. Respondetur negādo sequellam, licet quidam modernus ob hoc argumentum pœnitētiam in Christo admittat; sed non benè, nam virtus præsertim infusa, non datur vbi eius actus primarius repugnat, vt est omnibus notum; & sic cū actus primarius Pœnitentiæ in Christo repugnet, etiam secundarius repugnabit, & subinde illa nostrorum peccatorum displicentia in Christo, à charitate, vel etiam ab alia virtute puta obedientia, religione, &c. regulari poterit. Per quæ patet ad alia, quæ in argumento subduntur.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA

De actibus virtutis Pœnitentiæ.

LICET aliquæ virtutes plures inspiciãt actus primarios, pluresque secundarios; Pœnitentia tamen vnum dumtaxat actum primarium, pluresque secundarios, vt ex dictis disputatio præcedenti colligere licet. Actus primarius pœnitentiæ infusæ (de hoc enim sermo procedit) est sola contritio perfecta, quæ est vltima ad gratiam dispositio; cum enim pœnitentia cum gratia infundatur, & ad gratiam habendã detur, ille solus erit actus proprius pœnitentię, qui gratiam habebit inferre, quique sit perfecta in Deum conuersio, quippe cum sit perfecta peccati destructio; patet autẽ, pœnitentiam, nullum aliud habere actum, qui hæc præstet, nisi perfecta contritio, quæ vt patet ex dictis disput. præcedenti, licet quantum est ex parte peccati præteriti sit motus inefficax, quantum tamen est ex parte voluntatis, est motus efficacissimus: est inefficax ex parte peccati, quia vellet peccatum nõ fuisse, quod efficaciter volitum esse nequit; est efficax ex parte voluntatis affectus, quia motu abominatiuo, ita tendit in peccatum destruendum, vt verè, & physicè efficaciter destruat, vt disput. præcedenti q. 4. ostendimus. Alij autem actus huius excellentissimæ virtutis, vt simplex peccatorũ aliorum displicentia, assumptio pœnæ, & alij de quibus quæstione præcedenti disputauimus, non nisi secundarij esse possunt. Aliqui dubitant de attritione, an sit actus pœnitentiæ. Certum est illam attritionem, quæ simul cum sacramento iustificat nõ posse esse actum virtutis pœni-

tentiæ, hæc enim nō nisi cum gratia esse potest, & sic illa attritio, quæ cum sacramento iustificat, est actus, modo spei, modo obedientiæ, modo religionis, modo timoris &c. de quibus infra. An autem pœnitentia postquam infusa est, possit habere aliquem actum, qui attritioni comparetur (dico comparetur, quia non potest elicere pœnitētia actum spei, actum obedientiæ, licet possit illos imperare:) affirmatiuè respondeo, vt cum dolet de peccatis ex motiuo quidem offensæ, sed talis dolor non est motus efficax abominationis, sed cuiusdam simplicis displicētiæ. Sed quia alij actus pœnitentiæ, excepta contritione, parum ad præsens deseruiunt, ideo de hac in præsenti disputatione disputabimus; sit ergo.

QVAESTIO I.

In quo contritionis essentia consistat. Vbi pulchræ difficultates enodantur.

PRæsentis resolutio quæstionis ferè habetur ex dictis disput. præcedenti q.2. §. quæres primò, vbi ostendimus pœnitentiam, & satisfactionem afferre, per peccati detestationem, & dolorem eiusdem peccati; ita tamen, quod hoc secundum, sit veluti medium ad primum, claritatis tamen gratia hanc difficultatem in particulari excitamus.

Conueniunt communiter contritionem consistere essētialiter in eo actu, qui sit formalissima peccati destructio, vt docet D. Thomas q. 85. ar. 2. in corpore, dum dicit proprium pœnitentiæ actum esse *operari ad destructionem peccati*. Variant tamen in assignando hoc actu, nam Caietanus tom. 1. opusc. trac. 4. q. 1. vult illum actum esse peccati odium, ex quo tanquam passio sequatur dolor de eodem peccato. Durandus & alij 4. dist. 17. volunt talem actum, esse formaliter dolorem, peccati

cati vero odium, solum præsupponi tanquam connotatũ; alij volunt & odium,& dolorem in recto importari à contritione. Suarez hic vult contritionem,nec odium,nec dolorem essentialiter afferre,sed esse detestationem,quæ detestatio sit actus ab odio, & dolore realiter, & essentialiter distinctus.

Nostra sententia sequenti explicatur conditione. *Contritio essentialiter est peccati abominatio,vt est offensa Dei, ex qua veluti passio, sequitur eiusdem peccati dolor.* Hæc nostra sententia coincidit prorsus cum sententia Caietani & est communis Thomistarum, nam idem est dicere contritionem esse peccati abominationem, ex qua dolor sequatur,& detestatio, ac dicere,quod sit odium peccati;cũ enim hoc peccati odium,non possit esse simplex odium,sed debeat esse odiũ peccati destructiuum efficienter, sequitur quod debeat esse odium abominationis. Est etiam ipsissima D. Thomæ sententia, cũ enim velit Angelicus contritionem debere in eo actu consistere, qui operetur ad peccati destructionem,& hoc reperiatur in odio isto abominationis, sequitur in hoc debere consistere contritionem. Vnde contritio licet essentialiter, & in recto odiũ afferat dictum,non dolorem; debet tamẽ dolorem afferre.

Probatur primo, quia contritio debet essentialiter in eo actu cõsistere, per quem peccatum positiuè destrui intelligatur;sed iste non est dolor; ergo peccati abominatio erit, seu tendentia abominatiua in peccatũ sub ratione offensæ destruendũ, quod est dictum abominationis odium. Minor probatur; nam dolor causatur ex odio, prius nanque est quod quis odio habeat peccatum, quam quod de illo doleat, atqui in illo priori in quo intelligimus dictum abominationis odium, & non intelligimus dolorem iam intelligimus voluntatem esse à peccato auersam; ergo odiũ dictum peccati sub ratione offensæ erit id in quo essentialiter contritio consistit.

Probatur secundo destruẽdo sententias oppositas, nam

non poteſt conſiſtere contritio eſſentialiter in dolore tãtum, vt modo oſtendimus, neque in vtroque actu ſimul, nẽpe in odio abominationis, & dolore, quia in omnium ſententia contritio eſt vnus, & ſimplex pœnitentię actus; neque in illa deteſtatione quæ ſit actus diſtinctus, ab odio, & dolore, quia non poteſt aſſignari qualis ſit iſte actus; tũ quia ſcholaſtici, & Theologi nunquam poſuerunt hunc actum diſtinctum, ſed vt videre eſt apud illos, peccati deteſtationem volunt eſſe vel dolorem, vel odium, actus nanque voluntatis iiſdem ſolent appellari nominibus, quibus appellantur actus appetitus inferioris, nẽpe amor, odium, dolor, triſtitia, &c. Et quia nullum eſt argumentum in contrarinm, quod aliquam habeat difficultatem ideo ſiſto, & aliquas difficultates ad eandem materiam ſpectantes propono.

Prima difficultas eſt an cõtritio poſſit peccata delere ſiſtendo in proprio offenſæ diuinæ motiuo, vt ſi quis hoc modo de ſuis doleret peccatis: *doleo de meis peccatis, quia ſunt offenſa Dei*. Eſt prima aliquorum ſententia quos ſuppreſſo nomine refert Suarez hic, & Lugo hic diſp. 5. nu. 3. quod non ſolum ſufficiat motiuum pœnitentiæ, ſed etiam ſufficiat motiuum obedientiæ, religionis, ſpei, &c. & non requiratur motiuum charitatis.

Sed oppoſitum omnino tenendum eſt, & ſic dico, contritionem non poſſe eſſe ſine motiuo charitatis, & implicere dari actum pœnitentiæ, ſicut, & cuiuslibet alterius virtutis moralis infuſæ, & non eſſe ex motiuo charitatis. Vnde implicat in adiecto dicere eſſe actum virtutis moralis infuſæ, & non eſſe ex motiuo charitatis, cum virtutes iſtæ nõ niſi ex imperio agant charitatis. Quod probo primò eleganti D. Thomæ teſtimonio q. 4. de virtutibus art. 2. vbi habet: *inclinat autẽ charitas ad omnes actus virtutũ, quia cum ſit circa vltimum finem, imperat omnes actus virtutum: qualibet enim ars, vel virtus ad quam pertinet finis, imperat his, quæ ſunt ad finem: ſicut militaris equeſtri, & eque-*

equestris frenorum factrici, *vt dicitur in* 1 *Ethic. vnde secundum decentiam diuinæ sapientiæ, & bonitatis, ad infusionem charitatis simul habitus omniū virtutum infunduntur, & ideo dicitur* 1. *Cor.* 13. *Charitas patiens est, benigna est &c.* Hæc Angelicus, angelicè.

Probo secundo ratione ex eodem D. Thomæ testimonio desumpta; nam in hoc distinguntur virtutes morales infusæ ab acquisitis sibi correspōdentibus, quod licet omnes eandem respiciant materiam: temperantia nanque infusa, & acquisita eandem materiā respiciunt, v.g. temperatè viuere, sed cum differētia, quod temperantia acquisita respicit temperate viuere, sed ex motiuo naturali, prout nimirum est consonum rationi; at temperantia infusa ex motiuo charitatis, & per consequens debet charitatis actum supponere, à quo in vltimum finem moueatur; quod enim rectificat circa ea, quæ sūt ad finem supponere debet rectificationem ad eūdem finem; & sic, cum virtutes infusæ rectificent circa ea quæ sunt ad finem vltimum, debent supponere rectificatiuum ad eūdem finem; quæ per charitatem habetur. Tum quia videtur intelligibile quod pœnitentia perfectè hominē in Deum conuertat, absque illius virtutis imperio, cuius est proprium Deum vltimum finem intendere, cum ergo charitatis sit Deum, vt vltimū finem respicere, ab huius motione pœnitentia habebit ad Deum vltimum finem conuertere. Vnde ob id merito Concilium Tridentinum sessione 14. cap. 4. definit contritionem perfectam, quæ habet extra sacramentum iustificare, debere esse *Charitate perfectam*. Ex quibus inferri potest contritionis perfectæ definitio: *contritio est peccati abominatio dolorosa, qua est offensa Dei summe dilecti*: & actus contritionis hoc modo fieri potest, *abominor peccata, quia sunt offensa Dei, quē diligo super omnia*; vel *odio habeo peccata*, vel *etiam doleo de peccatis, quia sunt offensa Dei, quē diligo super omnia*, licet enim in dolore essentialiter contritio nō consistat, sed illatiuè, eo tamen

men ipso, quo doleo censeor detestationem habere præsuppositam. Et quia virtus per proprium, & principalem actum definitur, potest pœnitentia hoc modo definiri. *Pœnitentia est virtus abominatiua peccati, vt est offensa Dei summè dilecti.*

Secunda difficultas, quomodo contritio sit abominatio, seu odium, seu detestatio peccati super omnia? Respondetur contritionem debere esse abominationem, &c. super omnia appretiatiuè, non intensiuè; stare nanque potest, quod quis intensiuè magis doleat de morte matris, vel filij, &c. quam de peccatis patratis, non tamen appretiatiuè, cum debeat semper peccati abominationem, vel detestationem præferre omnibus alijs: sicut dicitur de dilectione Dei, quę debet esse super omnia appretiatiuè, non intensiuè. Aduerte tamen non esse necesse, quod fiat talis comparatio prælationis expresse, vt doleo magis de peccatis, quā de morte Patris, quam de amissione tēporalium &c. esse enim hoc, ponere in virtute debiles, in periculo non faciendi actum contritionis, cum non habeāt animum ponendi talem prælationem, sed potius excludēdi illam. Sufficit ergo virtualis prælatio, quæ in ipso cōtritionis actu reperitur; quæ virtualis prælatio consistit in firma quadam voluntatis adhęsione ad peccati abominationem, seu odium, seu detestationem, seu dolorem, ad eum modum quo in tract. de Confirmat. disput. 2. q. 3. in principio, diximus gratiam confirmationis addere super gratiā communiter dictam, quędam modum firmitatis, qui habet firmare, & stabilire voluntatē in ordine ad fidem profitendam. Ita pariformiter, actus contritionis producit in voluntate quemdam modum firmitatis, qui facit voluntatē magis adhęrere abominationi peccati, quam cuicunque alteri rei malæ; licet postea pro sua recedat libertate.

Hinc deduci potest alterius difficultatis resolutio, quā hic proponunt aliqui; an nimirum hæc contritionis prælatio, qua detestatur peccatū

super

super omnia detestabilia, procedat etiam in casu impossibili: si proponeretur v.g. aut peccandum mihi est, aut debeo permittere Deum pati malum intrinsecum, vt si deberet non amplius esse omnipotens, sapiens, &c. Communiter respondent, quod eo casu deberet preferre malum intrinsecum Dei; nam cum peccatum sit solum malum extrinsecum, & illud aliud malum intrinsecum, deberet hoc impediri permittendo, vel committendo aliud; quia tunc temporis illud peccatũ non esset amplius tale, in concurrentia mali intrinseci Dei impediendi. Sed quid dicẽdum in hypotesi, quod peccatũ maneret formaliter peccatum: vt v. g. si Petro proponeretur: aut debes fornicari, aut debes Deũ sua priuare omnipotẽtia, in quo nullum esset peccatum. Et dico quod eo casu potius secundũ eligi deberet, quam primum; cum in secundo, vt suppono, nullum sit peccatum, benè in primo.

Hinc etiam deducitur altetius difficultatis resolutio, an nimirum peccatum sit detestabile supra omne malum pœnæ: v.g. supra pœnas inferni: ita quod debeat homo magis abominari peccatum, quam omnes pœnas; taliter quod si Deus poneret ex vna parte pœnas inferni creatas, & creabiles, prout etiam includunt carentiam diu nę visionis, quæ est pœna damni; & ex altera parte poneretur vnum peccatum mortale, deberet potius homo eligere omnes illas pęnas, quam vnũ mortale committere. Ponamus casum in quodam loco occursum: Petrus inuenit suũ inimicum: induxit vt fidem abnegaret, sub promissione concedendi illi vitam; abnegauit ille, & statim Petrus illum occidit, vt sic (prout Petrus dixit) amitteret inimicus, & animã, & corpus. Modo supponamus quod Paulus, Petri inimicus, fuisset in peccato mortali, & desperaret elicere actum contritionis, in talibus angustijs; & sic videret, quod vel debet mori in peccato mortali, & perpetuo damnari, vel debet eligere nouum mortale ad vitam impetran-

petrandam,& ad tempus obtinendum, pro peccatorum remiſſione, quid tũc fieri poſſet? Et dico, quod tunc deberet infernum, & perpetuã damnationem potius eligere quam peccare,non ſolũ mortaliter, ſed laudabile eſſet id ipſum facere,ne veniale committeretur; nam eo caſu ille non eligit perſeuerantiam in mortali, imò potius nollet illam,ſed eligit malum pœnæ, quod eſt longe inferius omni malo culpæ. Ob id viri ſancti deſiderant redire ad ſtatum vitæ prætetitæ, vt poſſent eligere potius mortem, potius mille infernos, ſi ita licet loqui, quam Deum offendere, vel leuiter. Ob idque iſtum actũ facere ſolent viri ſancti, *ſi ego poſſem vno verbo otioſo ſaluere totum mundum, deſtruere infernum, ſanctificare omnes damnatos, non dicerem illud*; ſimiliter: *ſi Deus vellet deſtruere Paradiſum, dimittere Chriſti humanitatem; annihilare omnes beatos, & ego per vnum veniale poſſem hoc impedire, non facerem*, ſed dicerẽ: *pereat potius Paradiſus, &c. quam quod Deus leuiter offendatur*. Ob idque etiam dicũt communiter Theologi, non poſſe me committere vnum veniale pro impediendo alterius mortali,imò pro impediendis peccatis hominum omnium. Similiter, ſi quis eſſet in ſtatu peccati mortalis, & ignorãtiam haberet inuincibilem ſe non poſſe ab illo mortali liberari, niſi per pœnitentiæ Sacramentum, ad quod obtinendum deberet vnum veniale committere, v.g.mendacium, deberet potius eligere in ſtatu mortalis manere,quam mẽdacium dicere. Et ratio omnium eſt, quia nunquam licitum eſt committere peccatũ, quantumuis leue, manens peccatum. Sed de hoc alibi ſermo redibit.

Tertia difficultas, an contritio magis abominetur peccatum veniale, quam originale. Certum eſt contritionem magis abominari mortale actuale, quam originale; cum hoc ſit perſonale, illud naturæ. Certum etiam eſt ſecundum D.Thomę ſententiam q.84. art.2. ad 3. contritionem, qua talis eſt,non poſ-

ſe

se esse detestationem peccati originalis, prout detestatio dicit quandam retractationē, cū non habeat rationem offensæ, sed puræ maculæ, vt disput. præcedenti q. 6. difficultate 1. ostendimus. Difficultas ergo præsens procedit de cōtritione impropriè, prout habet dicere detestationē peccati, ex quocunque motiuo talis procedat detestatio. Et dico debere magis detestari originale, quam veniale; originale nanque peccatum mortale est, cum veram animæ mortem afferat, diuinæq; carentiam visionis, reatumq; pœnæ damni, veramque, & propriam cum Deo inimicitiā: non sic veniale, ob eius leuitatem. Vnde nullo modo placet, quod docet Lugo hic disput. 2. nu. 66. quod homo magis debeat per contritionem practicam detestari peccatum veniale, quam originale, ita quod possit elicere hunc actum, si mihi peccandum esset venialiter, vel grauiter in voluntate aliena, potius impedirem peccatū veniale, quam mortale. Hoc inquam nullo modo placet: nā charitas erga Deum, nec erga se ipsum talem admittit electionem, & subinde nulla alia virtus potest illam admittere; non charitas erga Deum, quia eo casu eligeret sui destructionem; cum ex tali suppositione, & admissione peccati originalis, gratia, & charitas destruerētur. Tum quia charitas inclinat practicè ad diuinam conseruandam amicitiam, quæ tunc temporis destrueretur per electionem originalis, non venialis. Neque etiam charitas erga se ipsum talem admitteret electionem; certè non esset illa charitas ordinata, qua quis eligeret diuina carere visione; priuari supernaturalibus habitibus: pœnæ æternæ reatum contrahere, quę in oppositi electione non contingunt &c. Nec ratio illius auctoris aliquid probat: nimirū quod affectus dilectionis magis inclinat ad coniungēdum Deo meam voluntatem, quam ad non recedendum à Deo per voluntatem alienam: & quod vnioni affectiuæ magis opponatur peccatum leue propriū, quam mortale per alterius

 vo-

voluntatem commissum, licet moraliter imputetur. Non inquam hæc probant, quia vt liquet ex dictis, affectus dilectionis non potest tendere in sui destructionem. Tum quia charitatis affectus tendit in conseruationem sui; nō autem tenderet in sui conseruationem, si eligeret separari à Deo per voluntatem alienam; nec verū est, quod vnioni affectiuæ magis opponatur peccatum leuæ proprium, quam mortale per alienam commissum voluntatem, cum hoc destruat talem affectiuā vnionem, non illud leuæ: Imò videtur verius, quod mea charitas magis aboreat peccatum graue alterius, quam leue proprium: quis enim dicet quod magis displiceat amico, quod ipse leuiter suum offenderit amicum, quā quod grauissimè in vita, in fama &c. fuerit ab alio offensus? cum enim amicitia, amicorum cōiungat affectus, id magis debet vni amicorum magis displicere, quod videt alteri magis displicere: ita certè affectus quem debemus habere erga Deum, inclinat nos, vt id nobis magis displiceat, quod scimus magis Deo displicere; & id magis diligamus, quod Deus magis diligit; cum ergo Deo magis displiceat peccatum mortale alienum, quam proprium leuæ, id ipsum debet nobis magis displicere.

Hinc patet non rectè illum auctorem dicere nu. 70. quod loquendo de voluntate inefficaci, & permissiua deberet homo potius velle, quod permitteretur labi in Adamo, quam in aliquod veniale. Nō inquam hoc rectè dicitur, nā peccatum mortale cum verā, & realem à Deo ponat separationem per ipsius gratiæ, & charitatis destructionem, non videtur quo modo charitatis affectus possit inclinare mabis in id per quod eius sequetur destructio, quam in id per quod potest simul conseruari; nec videtur quomodo vera amici dilectio conseruetur, cum hoc, quod grauissimum velit quis amici malum, quod potest impedire, ne minus inferatur.

Quarta difficultas, an contritio ad omnia peccata se debeat extendere? Respondetur

detur extẽsionem formalem, per explicitam, & distinctam peccatorum apprehẽsionem, solum requiri per ordinem ad confessionem, seu vt peccata confiteantur non per ordinem ad contritionem: vnde sufficit contritionem virtualiter, & confusè ad omnia peccata extendi; quod tunc fit, quando est vera contritio, vt quãdo quis dolet de vno peccato mortali, quod menti occurrit, quia est offensa Dei: cũ enim hæc ratio offensæ sit ad omnia peccata communis, dũ dolet quis de isto numero peccato, virtualiter de omnibus dolet. Aduerte tamen quod licet contritio extendatur ad omnia mortalia, non tamen est necesse, quod ad venialia extẽdatur, cum possit quis de mortalibus dolere, conseruando affectum ad venialia: vt ergo contritio sit etiam ad venialia communis debet esse peccatorum detestatio, non solum qua ponunt per offensam, auersionem à Deo, seu qua sũt offensa grauis, sed etiam prout sunt offensa leuis. Si autem quis detestaretur aliquod peccatum, qua talem habet grauitatem, qua talem ponit auersionem, qua talem ponit offensam determinatam, si alia adessent peccata, nec esset contritio, nec illud, nec vllum peccatũ remitteretur. Nõ esset contritio, quia pęnitentię, & ipsius contritionis obiectũ, non saluaretur; cum hoc sit ratio offensæ, vt sic, non talis offensa, qua talis, tantæque grauitatis. Non remitteretur peccatum, quia non nisi per veram cõtritionem extra sacramentum dimitti potest. An vero talis detestatio possit esse sufficiens cum sacramento; puto quod sic, si alia peccata à memoria exciderint, & non nisi huius detestetur, cum hoc vnũ solum memoriæ occurrat: remanebit tamen obligatio, & alia detestandi, quando memoriæ occurrent, & illa confitendi Sed de hoc infra disput. 6. q. 1. vbi ostendemus tunc fieri confessionem informem.

QVAESTIO II.

Aliquæ difficultates examinantur de quantitate, duratione, & proposito contritionis.

CIrcam primam difficultatem: fuit Adriani sẽtentia in 4. sent. de Pęnit q. 2. Petri Soto lect. 15. de pœnit. quod contritio debeat esse summè intensa. Communis tamen, & vera Theologorum sententia est, contritionẽ nullum postulare certum intensionis gradum, infra quem non sit sufficiens, nec determinatum aliquem voluntatis conatum, in detestando, abominando peccato, & dolendo de illo. Et probatur; in tãtum vltima dispositio ad aliquam formam certos, & determinatos requirit intensionis gradus, in quantum illos requirit forma ad quam disponit; vt sic, sit proportio, inter dispositionem, & formam; sed gratia, ad quam contritio disponit, nullum requirit intensionis gradum, sed potest infundi in minori, & minori, sicut, & in maiori, & maiori; ergo id ipsum dici debet de contritione. Si ergo gratia infundi potest in minima, & minima intensione, & virtutes, quæ illam sequuntur in eadẽ infundentur intensione, & subinde pœnitentia eodem modo infundetur, & per consequens, nullam, eius actus, sibi determinabit intẽsionẽ. Vnde quando in scriptura dicitur debere peccatorem dolere ex toto corde, id intelligi debet appretiatiuè, non intẽsiuè, vt supra explicuimus.

Circa secundam difficultatem de contritionis duratione. Est communis Theologorum sententia, contritionem nullam sibi determinare suæ durationis quantitatem, licet secundum animæ affectum debeat esse perpetua. Probatur, quia non debet Deus esse minus ad miserendum, quam sit ad puniendum propensus; sed Deus potest vno momẽto

plura

plura peccata punire; ergo etiam potest vno momento plura peccata delere. Tum quia, cum contritio sit actus voluntatis, media virtute pœnitentiæ elicitus, & voluntatis actus in momẽto fieri possint; etiam contritio fieri eodem momento poterit.

Circa tertiam difficultatẽ nota, contritionem modo, duplicem habere propositum, vnum non peccandi de cætero; aliud confitendi eadem peccata sacramentaliter. Primum semper habuit: secundum solum habuit facta per Christum dicti Sacramenti pœnitentiæ institutione, & habet solum respectu baptizatorum, nam respectu non baptizatorum, nec modo, nec vnquam confitendi propositum habuit; cum hæc, Baptismi supponat Sacramentum: ita colligitur Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi dicitur: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius; & in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum; si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramẽtum requiruntur*. Vbi vt vides docet Concilium Baptizatorum contritionem, debere continere votum præstandi omnia, quæ ad ritè pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum, requiruntur; inter quæ, est ipsa sacramentalis confessio, vt idem docet Concilium, eadem sess. c 3 & 5. & can. 4. & 7. Vnde rectè Sixtus IV. damnauit Petrum Oxouiensem dicentem, peccata mortalia deleri per solam contritionem, sine ordine ad claues Ecclesiæ; sed vt hæc difficultas magis soluta maneat.

Quæres primò, an contritio primario detestetur peccatum, deinde doleat, an verò, prius intelligatur dolere, deinde detestari, vel vtrumq; simul respiciat. Respondetur eodem modo de contritione, ac respondimus de pœnitentiâ supra disput. 1. q. 2. §. quæres 1. Nimirum contritionem primario respicere peccati detestationem. Ita docere videtur Tridentinum sess. 14. vbi dicet: *dolores, & clamores*

San-

Sanctorum de peccatis, manasse ex vehementi quodam anteacta vita odio, & ingenti detestatione. Tum quia detestatio, & odiũ peccati sunt causa doloris, non e contra. Tum etiam quia contritionis essentia in eo formaliter cõsistere debet, quod formalius peccato opponitur; Atqui hoc est odium, & detestatio peccati, non dolor vt patet; ergo. Vnde nõ solum in beatis hominibus manebit pœnitentię habitus, verum etiã actus eius primarius, qui est peccati insecutio, & detestatio, à qua tamen per se aptus natus est sequi dolor, nisi ratione status impediatur, ob idque diximus pœnitentiam in Christo Domino non esse, nec etiã in Angelis &c. Concipitur autem dolor ex eo quod intellectus considerat peccatum iam esse factum, & ob id vitari non posse: ex appræhensione enim mali quod vitari nõ potest, sequitur dolor, & tristitia.

Quæres secundo, an propositum non peccãdi de cætero, & sacramentaliter peccata confitendi in contritione requisitum, debeat esse formale, & explicitum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum? Propositum expressum tunc est, quando pœnitens dicit expresse, *propono fugere omnia illa peccata, & illa sacramentaliter, confiteri*. Propositum vero implicitum, & virtuale tunc est, quando pœnitens est ita affectus erga peccata, vt si rogaretur, an velit illa vitare, & Ecclesiæ clauibus subijcere affirmatiuè responderet. Hoc posito. Respondetur sufficere propositum virtuale, imò consultũ esse Confessarium hoc contẽtari, ne dum à pœnitente expressum requirit, præbeat infirmis occasionem recedẽdi. Et ratio est, quia illud propositũ est sufficiens, per quod soluatur vera à peccatis auersio, & vera in Deum conuersio; Atqui hæc soluatur in proposito implicito, quod cõtinetur in ipsa peccati detestatione super omnia, & dolore, &c. ergo. Tum quia formale propositum, est actus secundarius pœnitentiæ, quo Pœnitens ex eiusdem pœnitentiæ motiuo, vult Deum com-

compensare per emendationis propositum: actus autem secundarius in primario virtualiter continetur, & ibi prę- stet, quod formaliter præstaret. Aduerte quod id quod dictum est de proposito non peccandi de cætero, & sua peccata confitendi, intelligi debet de alio proposito in illis contento, quod est satisfaciendi per pœnas, vel pœnalitates temporales, quando, vbi, & eo modo quo per Sacerdotem, rationabiliter imponuntur, sed de hoc infra de satisfactione.

QVAESTIO III.

An contritio sit vltima ad gratiam dispositio ex natura rei, an ex diuina institutione.

EST prima aliquorū sententia post M. Cano in relectione de Pęnitentia p. 1. qui dicunt contritionem non esse ad gratiam dispositioné ex natura rei, sed ex sola diuina institutione, quorū fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicetur conclusione. ***Contritio ex natura rei est vltima ad gratiam dispositio, ita quod illa posita non potest non poni gratia, & cætera dona, quæ ipsam consequuntur.*** Hæc est D. Thomæ, & Thomistarum sẽtentia.

Probatur primo eleganti Doctoris sācti testimonio hic q. 85. art. 2. tum in corpore, tū ad 3. vbi habet. ***Pænitentia expellit omne peccatum effectiuè, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex diuina gratia.*** Patet autem quod peccatum non est remissibile, nisi per gratiæ infusionem, vnde id quod effectiuè peccatum tollit disponit subiectum ad gratiæ introductionem, est enim regula generalis, id esse vltimam ad formam dispositionem ex natura rei, quod efficienter expellit formam contra-

Sanctorum de peccatis, manasse ex vehementi quodam anteacta vita odio, & ingenti detestatione. Tum quia detestatio, & odiũ peccati sunt causa doloris, non e contra. Tum etiam quia contritionis essentia in eo formaliter cõsistere debet, quod formalius peccato opponitur; Atqui hoc est odium, & detestatio peccati, non dolor vt patet; ergo. Vnde nõ solum in beatis hominibus manebit pœnitentię habitus, verum etiã actus eius primarius, qui est peccati insecutio, & detestatio, à qua tamen per se aptus natus est sequi dolor, nisi ratione status impediatur, ob idque diximus pœnitentiam in Christo Domino non esse, nec etiã in Angelis &c. Concipitur autem dolor ex eo quod intellectus considerat peccatum iam esse factum, & ob id vitari non posse: ex appræhensione enim mali quod vitari nõ potest, sequitur dolor, & tristitia.

Quæres secundo, an propositum non peccãdi de cætero, & sacramentaliter peccata confitendi in contritione requisitum, debeat esse formale, & explicitum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum? Propositum expressum tunc est, quando pœnitens dicit expresse, *propono fugere omnia illa peccata, & illa sacramentaliter, confiteri*. Propositum vero implicitum, & virtuale tunc est, quando pœnitens est ita affectus erga peccata, vt si rogaretur, an velit illa vitare, & Ecclesiæ clauibus subijcere affirmatiuè responderet. Hoc posito. Respondetur sufficere propositum virtuale, imò consultũ esse Confessarium hoc contẽtari, ne dum à pœnitente expressum requirit, præbeat infirmis occasionem recedẽdi. Et ratio est, quia illud propositũ est sufficiens, per quod soluatur vera à peccatis auersio, & vera in Deum conuersio; Atqui hæc soluatur in proposito implicito, quod cõtinetur in ipsa peccati detestatione super omnia, & dolore, &c. ergo. Tum quia formale propositum, est actus secundarius pœnitentiæ, quo Pœnitens ex eiusdem pœnitentiæ motiuo, vult Deum com-

compensare per emendationis propositum: actus autem secundarius in primario virtualiter continetur, & ibi prestet, quod formaliter præstaret. Aduerte quod id quod dictum est de proposito non peccandi de cætero, & sua peccata confitendi, intelligi debet de alio proposito in illis contento, quod est satisfaciendi per pœnas, vel pœnalitates temporales, quando, vbi, & eo modo quo per Sacerdotem, rationabiliter imponuntur, sed de hoc infra de satisfactione.

QVAESTIO III.

An contritio sit vltima ad gratiam dispositio ex natura rei, an ex diuina institutione.

EST prima aliquorũ sententia post M. Cano in relectione de Pœnitentia p. 1. qui dicunt contritionem non esse ad gratiam dispositioné ex natura rei, sed ex sola diuina institutione, quorũ fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicetur conclusione. ***Contritio ex natura rei est vltima ad gratiam dispositio, ita quod illa posita non potest non poni gratia, & cætera dona, quæ ipsam consequuntur.*** Hæc est D. Thomæ, & Thomistarum sẽtentia.

Probatur primo eleganti Doctoris sãcti testimonio hic q. 85. art. 2. tum in corpore, tũ ad 3. vbi habet. ***Pænitentia expellit omne peccatum effectiuè, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex diuina gratia.*** Patet autem quod peccatum non est remissibile, nisi per gratiæ infusionem, vnde id quod effectiuè peccatum tollit disponit subiectum ad gratiæ introductionem, est enim regula generalis, id esse vltimam ad formam dispositionem ex natura rei, quod efficienter expellit formam contra-

contrariam, & cōtrarias corrumpit diſpoſitiones.

Probatur ſecundo ratione, quia ideo calor v. g. vt octo eſt vltima ad formam ignis diſpoſitio, quia procedit ab eodem igne in genere cauſæ formalis, & efficientis; atqui contritio procedit à gratia, in genere cauſæ formalis, & efficientis; ergo erit vltima diſpoſitio ad eandem gratiam. Minor clara eſt ex Philoſophia; vltima nanque diſpoſitio ad formam ignis, non poteſt eſſe ille calor, qui tempore præcedenti fuit receptus in compoſito corrumpendo, v.g. in ligno; cum enim in generatione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam, ſimul cum forma veteri talis deſinet diſpoſitio, & per conſequens non potetit eſſe formæ introductæ vltima diſpoſitio, cum hæc formam nouā debeat comitari. Tum quia illa eſſe debet vltima ad aliquam formam diſpoſitio, à qua forma ipſa in ſuo dependet introduci, atqui hæc nequit eſſe illa, quæ fuit in ſubiecto corrupto producta, ſed illa quæ ab eadem forma efficienter dependet, & ipſam comitatur; ergo iſta & non illa, debet eſſe vltima ad formam productam diſpoſitio. Minor & conſequentia, eſt perpetua D. Thomæ doctrina, vt videre eſt 1.2.q.113. art. 8. in 4. diſt. 17. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. & 2. vbi eleganter mutuam inter contritionem, & gratiam, prioritatem in diuerſo cauſarum genere explicat, & 3 p.q.7.art.13. ad 2. & q.9. art. 3. ad 2. & q.28. de veritate art.8. vbi poſtquā eorum refutauit opinionem, qui dicunt quod motus liberi arbitrij, qui ſunt vltima ad gratiam diſpoſitio, abſolutè procedunt ipſam gratiam, & ab ipſa in genere cauſæ efficientis non procedunt, ſubdit, ſuam ſententiam his verbis: *Oportet igitur dicere ſecundum aliam opinionem quod prædicti motus eodem ordine ſe habeant ad vtrunque, vt quodammodo præcedant, quodammodo ſequantur ordine naturæ; nam ſi ordo naturæ attendatur, ſecundum rationem cauſæ materialis, ſic motus liberi arbitrij præcedit naturaliter gratiæ infuſionem, ſicut diſpoſitio naturalis*

lis formam, si attendatur secũdum rationem causæ formalis est è conuerso, & est simile in naturalibus de dispositione, quæ est necessitas ad formam, quæ quodammodo præcedit formam substantialem scilicet secũdum rationem causæ materialis: dispositio enim naturalis ex parte materiæ se tenet; sed alio modo scilicet ex parte causæ formalis, forma substantialis est prior, in quantum perficit, & materiam, & accidentia. Hæc D.Thomas.

Probatur tertio ratione generali de omni vltima dispositione. Omnis forma dependet in suo introduci ab accidentibus ab illa profluentibus, ergo etiam gratia depẽdere debet à contritione, quę ab ipsa efficienter profluit; Atqui hæc dependentia non potest nõ esse in genere causę materialis dispositiuæ; ergo &c. Hæc minor subsumpta probatione non eget, nullum nanque aliud genus causæ est assignabile in quo forma dependeat ab accidentibus à se profluẽtibus, nisi genus causæ materialis dispositiuæ. Prima etiam consequẽtia liquet ex antecedenti, si enim semel omnis forma dependet ab accidentibus à se profluentibus, etiam gratiæ id ipsum concedi debet. Antecedens ergo in quo est difficultas probatur, quia illa forma dependet ab eo in suo introduci, & causari, sine quo nec naturaliter causatur, nec naturaliter introducitur, sed vel miraculosè, vel saltem supernaturaliter; Atqui si forma sine accidẽtibus à se procedentibus introduceretur, non naturaliter introduceretur; ergo. Vnde licet per diuinam potentiam possit adultus sine proprio liberi arbitrij motu per diuinam potentiam iustificari, non tamen secundum potentiam ordinariam.

Probatur quarto, quia in iustificationis negotio, in genere causæ efficientis primò est actio Dei gratiam infundentis, Secũdò est actus charitatis erga Deum. Tertiò est actus pœnitentiæ, nempe cõtritio; Quartò intelligitur peccati destructio. At verò in genere causæ materialis, res cõtrario modo se habet: prius intelligimus peccati expul-

ſionem, quam contritionis receptionem, & huius receptionem prius intelligimus, quam receptionem dilectionis, & huius receptionem prius intelligimus, quam receptionem gratiæ, & donorũ; ergo licet gratia in genere cauſæ efficientis ſit prior contritione, hæc tamen in genere cauſæ materialis diſpoſitiuæ, eſt gratia prior; totus diſcurſus eſt D. Thomæ 1. 2. q. 113. art. 8. Sed videantur omnino ea, quæ adduximus in tract de iuſtificat. diſput. 4. q. 2. vbi hanc quæſtionẽ fusè pertractauimus, & plures alias rationes adduximus, & obiectis ſatisfacimus. Soluũtur argumenta in contrarium.

Primum argumentum eſt: id quod in fieri à ſolo Deo dependet, nulla naturalis agentis eget diſpoſitione; ſed gratia in ſuo fieri à ſolo Deo dependet; ergo nulla agentis creati indiget diſpoſitione. Maior patet diſcurrendo per omnes effectus, qui à ſolo Deo dependent: Nam Deus nullam ſupponit diſpoſitionẽ ad Angeli creationem; ſimiliter ad creationem animæ rationalis; licet enim diſpoſitio requiratur ad animæ rationalis introductionem, quia hæc fit agentis naturalis virtute, non tamen ad eius creationem, quia hæc à ſolo Deo fit. Item Deus nullam ſupponit diſpoſitionem ad Euchariſticam faciendam tranſubſtantiationem, licet hæc fiat per inſtrumenti eleuationem; ergo &c.

Reſpõdetur negando maiorem abſolutè, cum poſſint plura à ſolo Deo fieri, etiam ſine vlla præſuppoſita diſpoſitione, cum tamen illam per ſe expoſcant: certè poteſt Deus quamcunque formam materialem de potentia materiæ aducere, nulla agentis naturalis diſpoſitione ſuppoſita, hoc tamen præter naturæ ordinẽ erit; ita licet Deus ſe ſolo poſſet gratiam de animæ potentia educere ſine vlla diſpoſitione ſuppoſita: hoc tamen præter naturæ ordinẽ eſſet, cum ſtatus, & natura gratiæ expoſcat in ſubiecto poni diſpoſito: valde nanque conueniens eſt, quod homo humano modo gratiam recipiat, per actionem vitalem, & libe-

liberam. Nec illa exempla aliquid euincunt, non quidē primum, & secundum, quia ibi intercedit creatio, ad quā nulla supponi potest dispositio, cum nullum subiectum supponatur in quo recipiatur. Neque etiam tertium, quia in transubstantiatione non est formæ productio, sed substātię in substantiā transmutatio.

Secundum argumentum. Gratia respectu paruulorum nullam requirit dispositionē; ergo neque respectu adultorum. Antecedens est notum. Consequentia benè infertur, cum gratia paruulis, adultisq; concessa eiusdem sit rationis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis multiplex. Prima quia adulti proprio à Deo recesserunt actu, ideoque & proprio accedere debent: non sic paruuli, cum nati sint filij iræ, filij gehennæ. Secundo quia cum paruuli non sint dispositionis capaces supplet Christus medio Sacramento; at vero adulti cum illius sint capaces, merito illa exigitur. Tertio & melius, quia in omnibus per se dispositio ad gratiam requiritur, licet per accidens ex subiecti incapacitate non habeatur.

QVAESTIO IV.

An contritio sit vera, & propria pro peccatis satisfactio.

SVpra disput. 1. q. 2. notauimus aliqua peccata nō solum afferre Dei offensam, quæ omnibus peccatis communis est, verum etiam iniuriam, quæ suo modo iustitiæ opponitur commutatiuæ, & secundum hanc rationem, talia peccata per iustitiam quandam commutatiuam infusam, deleri debent; licet enim inter Deum, & hominē, propria dari non possit iustitia, sicut nec inter dominum, & seruum; Patrem, & filium; eo quod æqualitas propria

esse non possit;& subinde nec propria, & rigorosa iniuria, prout rigorosæ,& proprię opponitur iustitiæ;negari tamen non potest, quin vera iniuria erga Deum dari queat. Pro quo nota, quod eodem modo discurrere proportionaliter debemus de peccatis, quæ committuntur in Deum, ac de illis quæ committuntur in homines: vnus autem homo, quantum ad præsens iustitiæ pertinet, potest alium offendere, vel in rebus exterioribus, vt cum rem illius furatur, vsurpat, detinet &c. Et hæc est vera & propriè iniuria, commutatiuæ iustitię opposita, quæ iniuria per iustitiæ commutatiuæ actum tollitur, qui restitutio vocatur; vnde tantum reddit, quantũ abstulit, vel quantum læsit; potest etiam vnus homo aliũ offendere in actionibus, & passionibus, vt cum quis aliũ verberat, vel contumelijs afficit, & in alijs, quæ ad materiam honoris pertinent offendit; & hæc reparatio satisfactio dicitur. Est autem discrimen inter satisfactionem, & restitutionem, quod in restitutione solum res ablata attenditur, & si tantundem restituatur, quãtum ablatum fuit, plena,& perfecta ponitur æqualitas, cum enim hæc læsio non fuerit in persona, sed in bonis externis illius, semper ponetur æqualitas, si tantum detur, quantum ablatum fuit; vnde qui furatus est 100. suæ satisfacit obligationi, si 100. restituat, si læsit in fama, suæ satisfacit obligationi si tantundem famæ restituat, quantum abstulit, nec læsus potest aliud exigere. At vero in satisfactione respectus personæ offensæ attenditur; cum enim hæc offensa non res externas attendat, sed personã ipsam, sequitur quod in satisfactione, persona ipsa attendi debeat;& per consequens cũ per talem offensam personæ honor fuerit læsus, & hic restituatur per obsequium, per honorationem, per submissionem personæ offendẽtis, personæ offensæ; æqualitas poni non poterit, quando talis honoris læsio, à persona valde minori,& inferiori posita fuit. Vnde optimè notat Angelicus 5. Ethic. lect. 8. quod quã-

do

do nocumentum attenditur circa rei exterioris subtractionem, competit iustitię contrapassum; secus quando nocumentum attenditur secundũ rationem, seu conditionem personæ; Et hæc etiam satisfactio ad iustitiam pertinet commutationem, cum enim fuerit ius personæ particularis læsum, & hoc non ad iustitiam pertineat legalem, nec distributiuam, sequitur quod ad commutatiuã debeat pertinere, & sic iustitiæ commutatiuæ erit compensare ad æqualitatem vel absolutam, vel proportionis, secundum quod rei natura requirit.

Sic proportionali modo de peccatis in Deum commissis discurrrre possumus, nã potest Deus offendi in bonis externis, v.g. in fama, vt si quis murmuret, vel detrectet de Deo, illius famam apud alios auferendo, vt cum dicit illum esse inuidum, maleuolũ, &c. & formalissimè hoc peccatũ per restitutionem compensatur, & sufficit quãtum ad hoc præcisè, quod tantum restituatur, quãtum fuit ablatum, quæ restitutio eodem modo fieri debet, quo fit inter homines eiusdem famæ restitutio. Potest etiam Deus offendi in actionibus, & passionibus, vt cum quis eius conculcat imaginem, cum quis contumelias, & conuitia in eum iactat, &c. Et hæc peccata nõ per restitutionem, sed per satisfactionem, seu per obsequium, & honorationem, & per submissionem tolluntur, in qua non attenditur nocumentum in se, sed personæ conditio, quæ cum infinita sit, infinitã refundit malitiæ grauitatem in offensam, ac subinde satisfactionis inæqualitatem, & ob hoc dicitur purũ hominem non posse satisfacere ad æqualitatem pro offensis Deo illatis. Cum ergo & restitutio, & satisfactio ad iustitiam pertineant, à iustitia poni habebunt, cum peccata quæ per restitutionem, & satisfactionem tolluntur, iniustitia quædam sint; hęc autem iustitia, non alia esse potest, quam iustitia commutatiua infusa, quæ prædictas tollere habet inæqualitates; Vnde quando dicitur quod inter hominem, & Deum, dominũ, & ser-

& seruum, Patrem, & filium iustitia dari non queat, intelligi debet secundum illas rationes formales hominis, & Dei, creatoris, & creaturæ, Domini,& serui, Patris, & filij, secus quoad alias rationes,vt ex se liquet;quis enim dicet quod non possit seruus Dominum infamare, & Dominus seruum,&Pater filium, & filius patrem? & quod ad famæ restitutionem, non teneantur? & per consequens quod per talem infamiā non fiat veræ iustitiæ læsio &c.

Nota deinde quod sicut apud homines vltra iniuriam in bonis externis,quæ restitutione compensatur; vltra iniuriam consistentem in actionibus,& passionibus ad honorem pertinentibus, quæ vti diximus satisfactione aufertur, datur etiam ratio quædā offensæ, quæ iniuria propriè dicta non est,nec iniustitia,vt cum quis sciēte Principe eius mandata non custodit, tunc Princeps offenditur, & nulla in eum iniuria, vel iniustitia committitur; quod offendatur liquet, quod iniustitia in eum non committatur patet; non enim læditur Princeps in bonis externis, vt in rebus, in fama; neque in persona, cum eius honor non lædatur, nec verbis contumeliosis,nec gestis irreuerentibus; imò nec animo ipso, cum subditus superioris mādatum, tunc temporis transgrediens, animum nō habeat in honorandi Principem,sed propriæ satisfaciēdi inclinationi &c.

Sed dices primò;quod quādo subditus,Prælati transgreditur mandatum,tunc contra obedientiam delinquit, & sic illa offensę ratio,obedientiæ opponetur. Nam contra est, quia obedientia virtus quædam generalis est, quæ per simplicem præcepti violationem non transgreditur, sed solum quando quis parere non vult, quia præcipitur:

Dices secundo talem trāsgressionem esse contra iustitiam, cum contemptum contineat,qui iustitię aduersatur, cum contra honorem, & reuerentiam superiori debitam existat. Nam contra est,quia in primis suppono, contemptum non intercedere,nisi ad summum virtualem,qui iusti-

tiæ

tiæ non aduersatur, secundo quia dato, contemptum adesse formalem, hic non iustitię, sed alteri speciali virtuti aduersatur, quæ obseruantia vocitatur.

Ita pariformiter apud Deũ vltra iniuriam explicatam, etiam offensa datur, quæ per omnia peccata diuagatur; cũ enim omnia peccata à Deo prohibeantur, & omnia sibi displiceant, maximè certè offenditur, cum in facie ipsius committuntur; non solũ quia per illa contemnitur, sed & maximè, quia per illa (quantum est ex affectu peccantis) destruitur, dum enim peccator per quodlibet peccatum, Deum vltimum finem relinquat & alium, nempe creaturam, sibi constituat, quantum est ex parte ipsius, Deum in ratione vltimi finis destruit, & alium sibi præstituit. Hæc ergo ratio offensæ, quæ per omnia peccata diuagatur, & iniustitia, vt patet, non est; & per cõtritionis actum destruitur est illa, de qua inquirimus, an per eundem contritionis actum verè, & propriè satisfaciamus, quod est idem ac quærere, an contritio sit vera, & propria pro peccatis satisfactio; ad quod duplici conclusione satisfacio.

Prima conclusio. *Contritio non est perfecta pro peccatis satisfactio*. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ sentẽtia hac quæst. 85. art. 3. vbi dicit, quod *Pœnitentia facit iustum secundum quid*. Et patet ex dictis, cum enim pœnitentia non sit propria iustitia, nec offensa propria iniuria, sequitur quod ipsa offensæ destructio, per pœnitentiam, propria non sit satisfactio.

Secunda conclusio. *Contritio est aliqua pro peccatis satisfactio*. Hæc etiam conclusio est expressa sancti Præceptoris sententia, locò citato, cuius in corpore fatur. *Pœnitentia non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret Charitas, sed ex eo, quod Pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensa contra aliquam cõmissa, non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur vlterius*

terius quædam compensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, Vbi vt vides licet velit Angelicus pęnitentiam non esse rigorosã pro offensa compẽsationem, seu quod idem est, satisfactionem; vult tamen, esse aliqualem, seu secundum quid, seu vt ipse loquitur, quandã compensationem. Idem docet quæst. 1. huius partis ar. 2. dũ dicit, quod purus homo potest satisfacere imperfectè pro offensis contra Deum commissis.

Probatur primo, quia illa satisfactio est imperfecta, quę est sufficiens ad delendum debitum, accedente alterius partis acceptatione, & illa est perfecta, quæ est sufficiens sine partis acceptatione; sed contritio non est sufficiens ad delendum, vt ita dicam, debitum, quod peccator per peccatum cum Deo contraxit, sine Dei acceptatione; ergo contritio est solum satisfactio imperfecta, & secundum quid.

Probatur secundo, quia illa est satisfactio imperfecta, quæ æqualitatem ponit proportionis, sed contritio est huiusmodi ergo &c. Maior patet, nam satisfactio perfecta adæquare debet offensã: Minor probatur, nam, vt patet ex dictis, contritio nõ est actus iustitiæ rigorosæ dictæ, sed solum potentialis; satisfactio verò propriè dicta, non nisi propriè dictę iustitię actus est. Igitur contritio, quæ est verus, proprius, & primarius pęnitentię actus, non est propriè satisfactio pro offensis, seu pro peccatis, vt sunt offensa Dei, cum vt ex dictis liquet, nec offensa sit propriè iniuria, per satisfactionẽ propriè dictam auferenda; nec cõtritio erit propriè iustitia, sed solum impropriè, cum pœnitentia, cuius contritio est actus, sit solum pars potẽtialis iustitiæ, vt supra cum D. Thoma ostendimus. Vnde nec peccator præcisè qui Deum offendit, dicitur iniustus, sicut nec quando vnus homo alium præcisè offendit: nec per contritionẽ pręcisè dicitur homo propriè, & rigorosè iustus, vt constat ex dictis.

An autet homo prout Deũ offen-

offendit per veram, & propriam iniuriam, vt dum eius famam lædit, possit ad æqualitatem pro tali iniuria satisfacere, patet ex dictis respondendum esse affirmatiuè; cũ enim vt in huius quæstionis principio dicebamus, in iniurijs circa bona externa personæ dignitas non consideretur, nec ratione illius iniuriæ, malitia nõ augeatur, & aliunde illa læsio, vt suppono, sit finita, cum tota infinitatis ratio à persona desumatur, sequitur, quod ad talem tollẽdam inæqualitatem, sufficiat tantundem ponere, quantũ fuit ablatum. Vnde si quis furatus fuisset pallium Christi Domini dum esset in terris, certè quoad hãc iniuriæ rationem, sufficienter satisfecisset, per eiusdem pallij restitutionem: idem dic de fama, & alijs bonis externis Dei. Vnde quando dicitur hominem non posse ad æqualitatem Deo pro peccatis satisfacere, intelligi debet, pro iniuria, pro offensa, & de satis factione propriè dicta, non de restitutione; benè verum est; quod cum in tali v.g. famæ læsione, etiam offensæ ratio reperiatur, cum hæc per omnia peccata diuagetur, sequitur nullum peccatum dari, cui secundum omnes rationes queat perfectè satisfieri. Dixi hominem posse ad æqualitatem satisfacere, pro peccatis erga bona extrinseca Dei, modo explicato, non de rigore iustitiæ, quia hæc etiam satisfactio, per dictam restitutionem facta, non est de rigore iustitię, cum nõ fiat ex proprijs ipsius peccatoris, sed est proprijs ipsius Dei, quando læsio esset de bonis extrinsecis Dei supernaturalibus, tunc enim talis restitutio ad iustitiã commutatiuam infusam pertineret, & per consequens ex bonis ipsius Dei, quando vero talis læsio esset in bonis naturalibus, faciliùs permitti posset, esse aliquo modo de rigore iustitiæ; licet enim omnia bona sint Dei, quoad dominium altũ, tamen quoad dominiũ bassum, fecit Deus hominem Dominum; iuxta illud, *dominamini piscibus maris &c.* & iuxta illud, *omnia*

 subie-

subiecisti sub pedibus eius, &c., & sic in hoc nocumento tollendo competere potest iustitiæ contrapassum.

QVAESTIO V.

Quomodo excitetur in nobis contritio perfecta.

DE contritione perfecta præsens procedit difficultas, quia quid dicendum sit de contritione imperfecta. facile ex dicendis patebit, dico ergo contingere aliquando, quãuis raro, quod peccator, sua recogitando peccata, quibus Deum offendit, per actum fidei diuinæ, quo Deũ quem offendit summum bonum esse apprehendit, proximè, & immediatè moueatur, & excitetur ad perfectam contritionem, propria videlicet detestando peccata, quæ sunt offensa Dei, ex charitatis imperio, seu motiuo (eo nanque ipso, quod peccator per fidem cognoscit Deum esse summum bonum, ad eius assurgit dilectionẽ, quæ subinde contritionis actum habet imperare.) Hoc tamen, vt dixi, raró contingit; regulariter nanque alij actus præcedere solent contritionem. Primus omniũ est fidei actus (fides enim *est sperandarum substantia rerum*, & *sine fide impossibile est placere Deo*) quo peccator credit impij iustificationem esse opus Dei. Secundò sequi solet actus timoris diuinæ iustitiæ, & pœnarũ præsertim inferni, quo peccator sua considerans peccata cõuertitur. Tertiò, solet peccator se ad diuinam misericordiam conuertere, erigendo se in spem veniæ, & peccatorum remissionis. Quartò solet excitari proprius spei actus, quo in Deum erigitur amore concupiscentiæ, quo vult Deum, vt bonum sibi; deinde in hac excitatur ad amandum Deum, vt est bonũ in se, & omnium bonorum principium, ex quo sequitur pecca-

peccatorum deteſtatio, vt tali opponuntur bono, & deinde actus imperatur contritionis, per quem peccata deteſtētur, ſecundum rationem offenſæ, ſecundum quā omnibus opponitur virtutibus. Tandem per alias virtutes infuſas deſtruitur peccatum, ſecundum quod determinato modo illis opponitur. Benè verum eſt hunc ordinem aliquando deficere, quoad aliquem, vel aliquos ex enumeratis actibus; aliquando verò hic ordo trāſmutatur ſecundum placitum diuinæ voluntatis. Et quia de hac re fuse egimus in tractatu de iuſtificatione, vbi explicuimus an ſit neceſſe actū fidei, ſpei, timoris &c. eſſe formales, aut ſufficiant virtuales; ideo hic ſiſtendum duxi.

QVAESTIO VI.

Quonam modo contritio perfecta ab attritione diſtinguatur.

SVppono primo cōtra aliquos ſcholaſticos antiquos contritionem nō diſtingui ab attritione penes intēſionem, vel durationem, quaſi quod contritio ſit dolor magis intenſus, & magis durans, attritio verò minus; nam, vt ex ſupradictis liquet, contritionis eſſentia nec determinatam requirit intenſionem, nec durationem. Tum etiam quia magis, & minus non variat ſpeciem, ſicut variatur in contritione, & attritione, vt ex dicendis patebit.

Suppono ſecundo contritionem ab attritione non diſtingui ex eo, quod illa gratia informetur, non iſta; nam & contritio, vt in genere cauſæ materialis gratiam præcedit, eadem non informatur, & attritio elici etiā poteſt ab homine in gratia exiſtente, & ſi eliciatur ab homine in mortali exiſtente, poteſt tamen continuari poſt gratiam per ſacramentum datam.

Suppono tertio contritio-

nem ab attritione distingui penes hoc, quod cõtritio saltem virtualiter omnia peccata detestetur, attritio verò nõ semper, sed possit detestari vnum peccatum, absque eo, quod alia etiam virtualiter detestentur; nam cum attritio ex Tridentino infra citando sit sufficiens simul cum sacramento ad impium iustificandum non potest non esse omnium (saltem virtualiter) detestatio peccatorum. Tum quia cuiuscunque attritionis supernaturalis motiuum est suo modo vniuersale, & peccatis omnibus commune. Tũ etiam quia, non videtur esse posse veram attritionem illã, quæ vnum peccatum ex supernaturali motiuo detestatur, & aliunde relinquat aliorum peccatorum complacentiam.

Suppono quarto, neque in hoc distingui, vt aliqui voluere, contritionem ab attritione, quod contritio de solis mortalibus esse possit, attritio vero etiam de venialibus; nã etiam contritio de venialibus esse potest. Sed dices contritio detestatur peccatum super omnia; atqui peccatum veniale non est necesse, quod super omnia detestetur; ergò. Respondetur primo ex supradictis quod etiam peccatum veniale super omnia detestari potest, & debeat, nam homo potius debeat omne malum pœnæ subire, quam venialiter delinquere. Respondetur secundo, quod, quando dicitur contritionem detestari peccatum super omnia, intelligi debet secũdum distributionem accomodam, seu secundum materiæ capacitatem; sed prior solutio magis placet: his positis.

Prima sententia est, quod contritio ab attritione distinguatur in hoc, quod contritio detestetur peccatum, secundum quod est offensa Dei; at vero attritio ex alijs particularibus motiuis illa detestetur. Hanc sententiam sequũtur plures moderni extra scholam D.Thomæ.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. ***Contritio distinguitur formaliter ab attritione in hoc, quod contritio detestatur peccata quatenus sunt offensa Dei, propter Deũ sum-***

summè bonum, seu ex imperio charitatis, non sic attritio, est aperta D. Thomæ sententia q. 1. supplem in solutione secundi. Est etiam expressa Tridentini positio sess. 14. cap. 4, quatenus docet contritionem perfectam, esse illam, quæ est *Charitate perfecta*, ob quam rationem sine sacramento in re suscepto habet iustificare. Contritionem verò imperfectam, quæ attritio dicitur, hoc non habere, nisi medio Sacramento.

Probatur ratione; nam eadem pœnitentia virtus, potest in homine iustificato elicere, tum actum contritionis, tum actum attritionis sub motiuo offensæ Dei immediato & remoto, sub motiuo alterius virtutis, v. g. spei, obedientiæ, religionis &c. & non ex motiuo charitatis, ergo contritio, & attritio in hoc distinguuntur, quod illa ex motiuo procedere habeat charitatis, hæc vero ex alio motiuo. Antecedens ostenditur, nã licet pœnitẽtia nequeat elicere actum, quo homo rectificetur circa media, nisi ex imperio actus, quo rectificetur erga finẽ; tamen semel posita tali rectificatione erga finem, per actum charitatis imperantis, & dirigentis actum contritionis, quo homo iustificatur, potest aliquos elicere actus, præsertim secundarios, & non ex motione charitatis, sed vel ex propria motione, vel etiam ex motione vlterius virtutis: quid enim implicat, quod homo iustus ex motiuo spei, vel obediẽtiæ &c. doleat de peccatis quæ sunt offensa Dei? vel etiam quod doleat quis de peccatis quæ sunt offensa Dei, sistendo ibi: certè iste actus non est perfecta contritio, cum non sit charitate perfectus, vt loquitur Tridentinum, & ob id non est sufficiẽs ad iustificandum hominem extra sacramentum. Consequentia etiam probatur, quia cum contritio, & attritio ab eodem habitu procedere possint, non possunt hac ratione distingui, nisi in ratione actus primarij, & secundarij. Concedo tamen similem actum attritionis, produci posse, ante pœnitentiæ infusionem, ex auxilio tamen diuino. Concedo, non omnem actum attritio-

tritionis esse dolorem de peccatis, qua offensa sunt Dei, sed posse etiam esse ex aliis motiuis, vt iam innuimus, & postea magis dicetur. Concedo etiam cõtritionem ex aliis etiam capitibus ab attritione distingui, nam contritio peccatum vt dolendum respicit, cum vt supra dicebamus illud physicè, & ex natura rei deleat, non sic attritio, quæ hoc solum habet ex dispensatione diuina, medio adiuta sacramento, cum non sit perfecta in Deum conuersio, cum ex charitatis imperio nõ procedat, vt contritio. Contritio est ob dictam rationem vltima ad gratiam dispositio, attritio vero solum remota, licet fiat proxima ex diuina dispensatione medio sacramento. Contritio pro primo sui principio recognoscit dilectionem Dei super omnia, attritio vero timorem seruilẽ ex proprio causatum amore. Contritio à sola pœnitentia esse potest; attritio vero & à pœnitentia in homine iustificato, & ab auxilio, in peccatore, & ab aliis virtutibus, quę in peccatore esse possunt, frequentius tamen à diuino auxilio. Hæc tamen, & aliæ differentiæ, quæ assignari possunt inter contritionem, & attritionem, resoluuntur tandem in illam, quam nos assignauimus, ex D. Thoma, & Tridentino. Pro prima sententia nullum est argumentũ vrgens, ideo sisto.

QVAESTIO VII.

Explicantur aliquæ difficultates ad materiam attritionis pertinentes.

PRima difficultas est, an attritio, quæ est in peccatore, sit actus bonus, & laudabilis. Hæretici nostri temporis, sicut insequuntur contritionem, ita & attritionem. Non procedit difficultas de attritione naturali, qua quis dolet de peccatis, vel propter proprium, & naturalem

corun-

eorũdem peccatorum deformitatem, vel propter naturalem virtutis amorem, seu propter eiusdem virtutis honestatem, cui peccatum opponitur, vel etiam propter Deũ naturæ auctorem, secundum quod dicebat Seneca: *etiamsi scirem homines nosci turos Deũ ignosciturum, adhuc non peccarem*. Aduerte tamen quod etiam in linea naturali duplex datur attritio, perfecta, quæ omnem excludit affectum erga peccatum; & imperfecta, quæ non excludit; vt cum quis dolet de aliquo peccato ob infamiam, vel aliud malũ secutum. Sed procedit difficultas de attritione supernaturali, quæ omnem affectum erga peccatum excludit, & procedit ex aliquo supernaturali motiuo, licet ob sui imperfectionem nõ habeat peccatum habituale excludere, licet habeat illud retractare, seu interrumpere.

Pro quo nota, quod tripliciter potest aliquis dolere de peccatis: v. g. propter pœnas inferni; Primò quando taliter dolet propter pœnas, quod *ly propter* motiuum solum, & occasionem importet, ex qua ad talem dolorem fuit excitatus. Secundo quod *ly propter* afferat motiuum, & finem proximum, & immediatum, ob quem peccator fuit excitatus, non excludendo finem vltimum, sed virtualiter ipsũ includendo. Tertiò taliter, quod *ly propter*, dicat finem omnino vltimum, quod tunc contingit, vel contingere dignoscitur, quando quis expresse, & formaliter habet istum affectum doleo de peccatis propter pœnas inferni, de quibus non dolerem, nisi eiusdem inferni pœnæ essent, & de isto dolore conueniunt hæretici cum catholicis, non esse bonum, sed malum, sed vituperabile; nec sit attritio, vel dolor de peccatis sufficiẽs ad causandam gratiam, etiã cum sacramento; & sic de solo dolore primo, & secundo modo præsens procedit difficultas, ad quam sequenti respondeo conclusione.

Attritio, quæ est dolor de peccatis propter pœnas, v. g. inferni, primo, & secundo loco explicita, est actus bonus, & laudabilis, & sufficiens simul cum Sacra-

Sacramẽto ad peccata quæcunque etiam ingentia delenda. Hæc conclusio est omnium Catholicorum sensus, aduersus nostri temporis hereticos, qui volunt talem contritionẽ hypocrisim esse,& peccatum.

Probatur primo ex sacrosancta Tridẽtina synodo sess. 6 can 8.vbi vbi sic dicitur: *Si quis dixerit gehennæ metum per quem ad misericordiã Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatorum peiores facere; anathema sit*, & sess. 14 cap. 4 sic dicitur: *Illã vero cõtritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter cõcipitur, si voluntatem peccati excludat, cum spe veniæ; declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quãuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam, in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.*

Probatur secundo ratione, ille actus est bonus, & laudabilis, qui est dispositio ad gratiam, remota quidem extra Sacramentum, & proxima cũ Sacramento; sed attritio à nobis explicata est huiusmodi; ergo est bona, & laudabilis. Maior certa est; nam implicat Deum statuisse aliquid esse ad sui amicitiam, per gratiã, dispositionem, & esse peccatum. Tum quia, dispositio ad formam, ad genus formæ reuocatur, cum sit initium, & exordium illius. Tum etiam quia, vt dicit Tridentinum, contritio est donum Dei, peccatum autem donum Dei esse non potest. Soluuntur potissima hæreticorum argumenta.

Primum argumentum est, qui dolet de peccatis propter pœnas inferni magis dolet de pœna, quam de culpa; atqui hoc est peccatum; ergo. Maior patet, nam qui magis detestatur peccatum qua tale est, quam pœnam, non detestatur

ſtatur peccatum propter pœnam,ſed deteſtatur illud propter offenſam. Minor probatur, quia illud eſt peccatum, quod eſt contra rationis dictamen;atqui deteſtari magis pœnam, quam culpam, eſt contra rationis dictamen, ratio nanque dictat maius malum,magis eſſe deteſtandum, & ſic cũ culpa ſit maius malum quam pœna, magis etiã debet deteſtari.

Reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationem dico rationem dictare maius malum eſſe magis deteſtandum, quando ad inuicem comparantur,ſecus ſolitariè. Vnde peccaret quidem,qui comparando malum culpæ, cum malo pœnæ, iudicaret hoc eſſe magis deteſtandum illo; ſecus ſi occurreret pęna,abſq; comparatione culpæ, ipſam pœnam magis deteſtaretur, quam culpam; quando ergo peccator deteſtatur culpam propter pœnam, non comparat culpam cum pœna,ſed in exercitio, hanc deteſtatur ob illam. Facilius etiam reſponderi poteſt, peccatorem tunc temporis,deteſtari magis pęnam,quam culpam intenſiuè, non appretiatiuè,licet ad hãc comparationem non deſcendat,& in hac nulla eſt iniquitas; ſicuti nulla eſt, quando homo intenſiuè, magis diligit amicum,quam Deum.

Secundum argumentum. Ille actus eſt malus, qui habet creaturam pro vltimo fine; ſed attritio eſt huiuſmodi ergo. Maior videtur clara. Minor oſtenditur, nam attritio non habet Deum pro vltimo fine;ergo habet creaturã, quæ eſt vltimus finis peccatoris.

Reſpondetur negãdo maiorem, alioqui omnia opera peccatoris eſsẽt peccata. Vnde ratio vltimi finis peccatoris non vitiat opera, ſed finis proximus, & immediatus, tum operis, tum operantis. Cum ergo peccator non poſſit habere duos vltimos fines, vt ſchola tenet Thomiſtica, & nos oſtendimus, cum D. Thoma in p.2.ſequitur, quod cum attritio; ſine ſacramento non iuſtificet,ſed relinquat hominem in creaturam conuerſum, & ipſa attritio crea-

turam vt vltimum finem respiciet, non tamen ob id vitiabitur, cum secundum se sit bona, & disponat extra Sacramentum remotè ad destruendum vltimum finē creatum, & cōstituendum increatum, per gratiæ, & donorum infusionem.

Tertium argumentum; Attritio non est actus virtutis, vt docet S. Thomas art. 2. quæst. 1. supplem. ergo non est actus bonus; si nanque esset actus bonus, esset actus alicuius virtutis. Respōdetur D. Thomam ideo velle attritionem non esse actum virtutis, quia putauit esse à solo diuino auxilio, quod est frequentissimum, vel quia non est actus virtutis, qua virtus est, cum non sit dispositio perfecti ad optimum, cum ad vlteriorem terminum ordinetur.

Quartum argumētum. Attritio dum dolet de peccatis propter pœnas inferni, videtur habere istam cōditionem si non esset pœna inferni non dolorem; Atqui hoc est peccatum; ergo.

Respondetur quod dupliciter potest quis habere affectum, quod peccatum non omitteret, nisi essent pœnæ inferni, primò ex affectu ad ipsum peccatum, taliter quod nollet esse infernum vt liberius peccaret, & iste affectus malus est, nec potest ille dolor esse attritionis, sed est timor seruilis, vt dicunt, cum seruilitate. Secundo non ex affectu ad peccatum, sed ex cognitione proprię infirmitatis, qua videt se facilè peccaturum cum periculo damnationis, vnde nollet esse infernum, non vt peccare liberius posset, sed vt si fortè peccet, non damnetur, & iste affectus stare potest cum voluntate nō peccandi: Ob id dicunt plures Theologi attritionem distingui etiam à contritione in hoc, quod contritio ordinatur per se primo ad tollēdam, vel remouendam culpam, attritio vero per se tanquam ad finem proximum ordinetur ad remouendam pœnam.

Secunda difficultas, an attritio sufficiens ad iustificationem medio Sacramento debeat esse entitatiuè supernaturalis. Variæ sunt de hac difficultate sententiæ: aliqui enim

enim volunt attritionem naturalem esse necessariam, & sufficientem ad recipiendum Sacramentum, non effectum Sacramenti, vnde si quis habens attritionem naturalem supra explicatam, & cum illa bona fide Sacramentum recipiat, recipiet Sacramentū informe, quod postea fiet formatum alia accedente attritione supernaturali, quā sententiam tribuit, sed immerito Suarez hic, Soto, & Cano, vt bene ostendit Nugnus q. 1. supplem art. 2. dub. 2.

Alij volunt, vt Sotus, Cano, & probabile reputat Nugnus, quod dolor naturalis sit sufficiens dispositio etiam ad gratiam Sacramenti recipiendam, quando talis dolor est coniunctus cum alijs actibus supernaturalibus, tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis, à quibus accipit aliquam supernaturalitatem intrinsecam; de quo postea. Verius tamen dicendum est attritionem requisitā, saltem ad effectum Sacramenti recipiendum debere esse supernaturalem; patet ex Tridentino loco citato, dū vult esse donum Dei. Tum quia cum attritio sit ad gratiam dispositio medio Sacramento debet esse supernaturalis, vt sit proportio inter formam, & eius dispositionem. Tum etiā quia, peccatum saltem de facto, supposita hominis in finē supernaturalem eleuatione, est contra Deum auctorem supernaturalem; ergo debet secundum hanc rationem retractari; & subinde per actum supernaturalem.

Tertia difficultas quomodo diuidatur attritio, quæ simul cum Sacramento est sufficiens ad gratiam causandā. Tridentinum supra adductū, duplicem assignat attritionē, nimirum illam, quæ ex turpitudine peccati concipitur, & illam, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu. Difficultas solum est in explicando quid intelligat Tridentinum per vtrunque membrum assignatum.

Dico primò, quod nomine turpitudinis peccati venit quælibet peccati inhonestas, secundum quam opponitur peccatum honestati virtutis supernaturalis, vt reli-

gionis, obedientiæ, spei, gratitudinis &c. vnde si quis doleat de peccatis propter quācunque harum turpitudinem, cum sit ille dolor ex motiuo supernaturali, erit sufficienter dispositus cū Sacramento ad iustificationem, siue ille dolor eliciatur ob illa motiua ex imperio illarum virtutum, siue ex auxilio diuino.

Dico secundo, quod nomine turpitudinis peccati non venit ipsa peccati deformitas, vel inhonestas, secundū quod opponitur virtutibus moralibus acquisitis præcisè, nam dolor ob huius turpitudinis motiuum præcisè loquendo non est donum Dei, nec ex motione Spiritus sācti, vt vult Concilium supra citatum Dixi secundum quod talis turpitudo, seu inhonestas opponitur virtutibus moralibus acquisitis pręcisè, quia si quis de proprijs doleret peccatis ex tali turpitudine naturali, aliquo tamen modo in finem supernaturalem relata, cum secundùm hanc rationem sit donum Dei, & ex motione Spiritus sancti, simul cum Sacramento iustificaretur; non enim potest quis referre in finem supernaturalem actum moraliter bonum, sine influxu Spiritus sancti mouentis, vt patet.

Dico tertio, quod nomine pœnarum veniunt, nō solum pœnæ alterius vitæ, quę infliguntur à Deo, de quo nullū potest esse dubium; cum ille dolor ex tali motiuo, nō possit non esse donum Dei, & ex influxu Spiritus Sancti mouē-tis, licet nondum inhabitantis: verum etiam veniunt pęnę temporales huius vitę, quę ob peccata infliguntur à Deo, quod etiā concedunt omnes, cum & iste dolor ex isto motiuo cōceptus, donum Dei sit.

Dico quarto pęnarum nomine, non veniunt pœnæ tēporales præcisè, vt ab hominibus infliguntur, vt carceris, triremium, suspendij, ob furtum &c. infamiæ apud homines &c. & ratio est, quia dolor ex dictis motiuis conceptus, est purè naturalis, & potest stare cum affectu ad peccatum, & subinde non est donū Dei, nec ex motione Spiritus sancti. Tum etiam quia, talis dolor non est secundum se

ſe honeſtus,ſed indifferens,cũ ad bonum, & malum poſſit deſeruire; ſi tamen aliquo modo ex aliquo ſupernaturali motiuo honeſtaretur, facile admitti poſſet ſufficere; ob idque Tridẽtinum aduertenter dixit; hunc dolorem *communiter concipi ex metu gehennæ pœnarum ſi voluntatem peccandi excludat,cum ſpe veniæ*; implicat autem has duas conditiones adeſſe, nẽpe propoſitum ſaltem virtuale non peccandi de cætero, & ſpes veniæ, & quod talis dolor ex Spiritus ſancti motione non fiat.

Ex quibus colligitur intelligentia ſententiæ M. Cano, Soti, & Nugnez ſupra, quod nimirum attritio naturalis ſit ſufficiens ad gratiam diſpoſitio cum Sacramento, nõ quidem prçcisè,ſed prout aliquã recipit ſupernaturalitatẽ, non quidem præcisè ex eo, quod ſit ſimul cum alijs actibus ſupernaturalibus, quia ex hoc præcisè non puto eſſe ſupernaturalem, ſed ex eo quod aliquo modo in finem ſupernaturalẽ ordinetur, vel à ſpe, vel ab alia virtute, vel ab auxilio diuino &c.

Quarta difficultas,an attritio fieri poſſit contritio. Affirmant Scotus, & Caietanus apud Nugnum art. 3.q.1.ſupplem. Negat Angelicus,& cũ eo ſcribẽtes hoc loco;& ſcholaſtici cum Magiſtro in 4.diſt. 16. & 17. audiat lector Diui Thomæ angelica verba, loco mox citato: *quidam dicunt quod attritio fit contritio; ſicut fides informis fit formata; ſed hoc videtur eſſe non poſſe, quia quamuis habitus fidei informis, fiat formatus tamen nunquam actus fidei informis, fit actus fidei formatæ; quia actus ille fidei informis tranſit,& non manet veniente Charitate: attritio autem, & contritio non dicunt habitum, ſed actum tantum: habitus autem virtutum infuſarum, qui voluntatem reſpiciunt, non poſſunt eſſe informes, cum Charitatem conſequantur; vnde antequam gratia infundatur, non eſt habitus à quo actus contritionis poſtea elicitur; & ſic nullo modo attritio poteſt fieri contritio*. Hæc D.Thomas. Vnde licet attritio

tio fieri non possit contritio, attritus tamen medio Sacramento fit æquiualenter, imò altiori modo, contritus, quam fiat si post attritionem, eliciat contritionem, per quam transit de attrito, in contritum; nā contritio licet peccata remittat, relinquit tamen obligationem subijciendi illa Ecclesiæ clauibus, non sic Sacramentum, cum sit ipsum, clauium Ecclesiæ, exercitium.

Sed dices, demus, quod quis de proprijs doleat peccatis ex timore gehennæ, deinde doleat propter Deum summè dilectum, tunc idem actus entitatiuè fuit prius attritio, modo est cōtritio; ergo non solum homo potest fieri ex attrito contritus, verum etiam attritio entitatiuè continuata fieri potest contritio.

Respondetur argumentum solum probare, eundem actū attritionis, seu doloris continuari posse, & à charitate dirigi in finem supernaturalem summo modo, seu in Deum summè dilectum, non tamen probat quod ille actus fiat cōtritio, cum enim contritio sit actus Pœnitentiæ ab eadem Pœnitentia elici debet, quæ cum sit virtus infusa respiciēs voluntatem, non potest esse (vt dicit Angelicus) informis, & sic non potest elicere actum attritionis in peccatore, qui postea fiat contritio in iusto.

QVAESTIO VIII.

An contritio deleat omnem pœnæ reatum. Vbi aliæ difficultates breuiter resoluuntur.

De reatu pœnæ præsens procedit difficultas, quia de culpa nulla est difficultas apud Catholicos; licet aliqui hæretici id negarint, Catari nanque, & Cataphrygæ apud D. Epiphanium hær. 59. dicebant contritionē non delere peccata baptizatorū, cum hæc peccata per illos essent

essent irremisibilia. Nouatus, & Nouatiani dicebant peccata grauissima non remitti, vt Apostasia, fidei negatio, & alia huius generis. Alij dixerunt remitti quidem omnia peccata aliquibus vicibus, nō tamen semper, ne peccandi ansa daretur hominibus, sub spe veniæ; quem errorem tribuit Suarez hic Tertulliano. Sed non sunt audiendi hæretici, vt eleganter probat Sanctus Thomas hic q.66. art.1. & Scriptura, & Patres contra illos clamant, vt ostendit Belarm lib.2.de gratia cap.1.& lib.2.de Pœnit.cap.11. placet solum vnum, vel alterum sacræ Scripturæ locum adducere Ezec.19. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat?* Ierem. 18 *si pœnitentiam egerit gens illa, agam, & ego &c.* Isa. 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius &c.* Idem supponit Tridentinū sess.6. cap.14. & 16. Idem statuitur cap. *Firmiter* de summa Trinitate, & fide Catholica vbi dicitur: *Et si post susceptionē baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiam reparari.* Vnde si quando aliqua peccata dicuntur irremissibilia intelligi debent illa loca, vel de finali impœnitentia, vel certè ita vocantur, quia sunt difficilioris remissionis, vt sunt peccata in Spiritum sanctum, quia directè opponūtur principijs talis remissionis. An autem contingere possit, quod quis in pœnam præcedentiū peccatorum, non possit hic, & nunc, peccata sua recogitare, & de illis dolere, vel quia incidit in letargum, & libertatis vsum amisit, vel quia etiāsi libertatis vsum habeat, non tamen attendit ad exhortationes, quæ fiunt, vt mihi in quadam ciuitate contigit, vt dum cohortarer quendā moribundum, vt ageret pœnitētiam, & confiteretur, blasphemabat; & dum consularem, quod saltem proferret dulcissimum nomen *IESV*, toties verbum turpe dicebat; & sic incidit in letargum, & mortuus est: & cum in Ecclesia quo-

quorundam regularium fuisset sepultus, sequenti nocte Dæmones, illius corpus magnis clamoribus asportauerunt, cum magno illorum religiosorum pauore; ad dubiũ dico, quod sic, & patet ex illo Regis Antiochi: Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam impetraturus. Sed quia de hac re egimus de gratia sufficienti, explicantes quomodo obcæcatis, & obduratis gratia sufficiẽs detur, ideo hic sistimus, & ad dubij propositi resolutionem accedimus.

Est ergo prima hæreticorum sententia, quod contritio simul cum culpa totum reatum pœnæ auferat, adeo vt, non sit necesse alia opera facere ad soluendum, vel satisfaciendum Deo pro reatu pœnæ.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Contritio semper delet reatum pœnæ æternæ, & aliquando etiam totum reatum pœnæ temporalis, quando valde esset intensa, non tamen semper; idem dicendum est de Sacramento Pœnitentiæ.* Hæc conclusio est de fide, illam docent omnes catholici, illam definiuit Tridentinum sess. 6. cap. 14. vbi dicitur: *Vnde dicendum est, Christiani hominis pœnitentiã post lapsum, multo aliam esse à baptismali, eaque contineri non modo cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionẽ per ieiunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vna cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ vt sacræ litteræ docent non tota semper, vt in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratia Dei quam acceperunt ingrati, Spiritum sãctũ contristauerunt, & templũ Dei violare non sunt veriti.* Idem habetur sess. 14. cap. 8. & can. 12. vbi dicitur: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentiam non esse aliam, quam fidem,*

qua

qua apprahendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.

Probatur primo sacræ Scripturæ testimonijs, nam 2. Reg. 12. Dauid pœnitentia homicidij peracta, & culpa dimissa, filij morte punitus fuit. Et 2. Reg. 24. idem Dauid ob populum, contra Dei iussum, numeratum, pœnitentiã egit, & in Dei gratiam receptus fuit, & tamen data illi optio fuit, vt eligeret in pœnam peccati bellum, famem, aut pestem; ergo signum est quod post culpam per pœnitentiã dimissam, adhuc maneat aliquando pœna, vel in hac, vel in alia vita, nempe in Purgatorio luenda. Et Gen. 2. dicitur: *Quacunque die comederis morte morieris.* Et Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Et tamen videmus multos mori etiam statim post peccatum originale per baptismi Sacramentum dimissum. Sed de hoc infra de satisfactione.

Probatur secundo. Elegãti D. Thomæ testimonio hic q. 86. art. 4. vbi sic fatur. *In peccato mortali sunt duo scilicet auersio ab incommutabili bono, & conuersio ad commutabile bonum inordinata, ex parte ergo auersionis ab incommutabili bono, consequitur peccatum mortale reatus pœna æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur: ex parte enim conuersionis ad bonum commutabile, in quantum est inordinata, cõsequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ: quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iustitiæ, nisi per pœnã: iustum est enim vt qui voluntati suæ plus indulsit, quam debuit contra voluntatem suam aliquid patiatur: sic erit æqualitas: vnde Apocal. 18. dicitur, quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum: quia tamen conuersio ad bonum cõmutabile est finita, non habet ex hac parte peccatum, quod debeatur ei pœna æterna &c.*

Probatur tertio ratione desumpta ex D. Thomæ testimonio. Illud debet ex necessitate tolli per peccati destructionem, media contritione,

vel etiam pœnitentiæ Sacramento, factam, quod habet necessariam cum eadē peccati destructione connexionem; atqui pœna temporalis non est huiusmodi; ergo hæc non debet de necessitate tolli. Maior nota est. Minor probatur, nam per iustificationem totum illud tolli debet, sine quo gratia, & amicitia cum Deo stare non potest; atqui temporalis pœnæ debitum stare potest cū gratia, & amicitia Dei; ergo &c. Minor patet, nam id ipsum fieri videmus inter homines; cum stare possit amicitia, cū iustitiæ debito, &c. Non sic pœna æterna cum repugnet aliquem esse in gratia, & non habere ius ad gloriam, cum gratia sit semen gloriæ, vt alibi ostendimus. Soluuntur argumenta hæreticorum.

Primum argumentum desumunt ex varijs sacræ Scripturæ testimonijs, vt Ezech. 18. vbi dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*, & cap. 33. *impietas impij non nocebit ei*: & postea: *omnia peccata eius quæ peccauit, non imputabuntur ei*. Et ad Rom 8. *Nihil ergo damnationis est eis qui sunt in Christo Iesu*. Quæ loca inquit Caluinus post Lutherum verificari non possunt, si post remissam culpam, pœna aliqua cassanda relinquitur. Ob id negant Purgatorium, & bonorum operum exercitiuum. Addūt, quod in B Paulo, in Magdalena, & in alijs qui à Christo Domino iustificati fuere, nihil pœnæ relictum fuerit, cū illis pœna aliqua iniuncta nō fuerit.

Respondetur quod in citatis sacræ Scripturæ testimonijs, non promittitur pœnæ temporalis immunitas, sed vitæ spiritualis, sed gratiæ, & donorum amissorum restitutio, vt in tractatu de merito ostendimus. Ad illud de iustificatis à Christo, vt Paulus, & Magdalena, dico valde probabile esse in illis nihil pœnæ relictum fuisse ex tali iustificatione, ob eminentiam dilectionis, & contritionis, quod etiā in alijs contingere posse (licet raro) cōcessimus; ob id videmus quod etiam ipse Dominus illis, quos &

corpore, & anima sanabat, aliqua quandoque opera imponebat, vt quod ad Sacerdotem redderent, quod Dei mirabilia prædicarent &c.

Secundum argumentum. Satisfactio Christi Domini fuit infiniti valoris, & abundè pro nobis in iustificatione applicatur; ergo frustra additur nostra. Respondetur satisfactionem Christi fuisse infiniti valoris, non tamen nostram excludit satisfactionem, sed ob duplicem finem dari. Primò, quia per illam, nobis gratiam promeruit, & auxilia, sine quibus opera satisfactoria elicere non possemus. Secundo vt à Deo acceptarentur pro pœna debita, nam præcisis Christi Domini meritis possent non acceptari à Deo nostræ satisfactiones, sed posset debitam, & à se taxatam pœnam exigere; sicut iudex in humanis potest exigere pœnam reo ipsi taxatã, & satisfactionem pro illa recusare &c.

Tertium argumentũ: quod potest præstare maius, poterit etiam prestare minus sub illo contentum; sed quælibet contritio præstat culpæ, & pœnæ æternæ remissionem, quod est maius; ergo etiam præstabit pœnæ temporalis remissionem, quod est minus.

Respondet Lugo hic disput. 8. num. 53. contritionem non habere maiorem vim ad delendam culpam, & pœnã æternam, quam pœnam temporalem, licet Deus acceptet illam ad delendam culpã, & pœnam æternam, & non acceptet ad delendam pœnã temporalem; cum enim contritio solum de congruo hæc munera præstet, potest Deus illam acceptare pro duobus primis muneribus, nempe pro delenda culpa, & pœna æterna; non pro tertio, nempe pro delenda pœna temporali.

Sed hæc solutio sustineri non debet: primò, quia vt supra disput. 1. q. 4 cum D. Thoma ostendimus contritio effectiuè peccatum destruit, & subinde reatum pœnæ æternæ; non sic reatum pœnæ tẽporalis. Secundo quia contritio est vltima ad gratiam dispositio ex rei natura, non ex sola Christi Domini institutione; vt in hac disput. q. 3.

ostendimus, & per consequẽs non potest non esse ex natura rei peccati destructio, & subinde reatus pœnæ æternę. Tertio quia peccatum mortale, & contritio contrariè opponuntur, cum peccatum sit conuersio in creaturam, & cõtritio in Deum; & sicut conuersio ad creaturam, non potest non esse ex natura rei destructio conuersionis in Deũ, ita è contra, conuersio in Deũ non potest non esse destructio ex natura rei conuersionis in creaturam; alioqui si ex conuersione in Deum per cõtritionem, solum de congruo, & ex diuina acceptatione poneretur culpæ, & reatus pęnæ æternæ destructio, ex rei natura posset homo esse in Deũ conuersus, & simul auersus, per conuersionem in creaturam, quod nemo dicet. Hac ergo solutione relicta.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorẽ; nam reatus pœnæ temporalis sequitur ad conuersionem ad bonum commutabile, & est finitus, & limitatus, reatus vero pœnæ æternæ sequitur ad auersionem, & est infinitus, & sic diuersi ordinis, & per consequens potest vnus remitti retento alio. Adde quod reatus pœnæ æternæ, est quodammodo indiuisibilis, cum non crescat per peccatorum multiplicationem, nisi ratione obstaculorum, vt in p. 2. cum D. Thoma ostendimus; at vero reatus pœnæ temporalis, est absolutè diuisibilis, finitus, & limitatus, vt docet D. Thomas pro secunda nostræ conclusionis probatione adductus; & per consequens ille totus remitti debet, & non per partes; istæ vero per partes remitti potest.

Sed quæres primo, an contritio (& idem est de attritione medio Sacramẽto) deleat re vera pœnam æternam, an illam commutet in temporalem: Communiter moderni, inter quos est etiam Lugo loco citato nu. 64. dicunt pœnã æternam commutari in temporalẽ; ita quod pœna æterna deleri dicatur, qua æterna, non tamen omni modo, quia manet in temporali, in quam commutata fuit, ob idque dicit Lugo, quod debeamus agere gratias Deo, tum quia remi-

remisit pœnam æternam: tũ quia non commutauit illam in aliam temporalem maiorem, prout iustissimè poterat. Sed istæ modus dicendi non solum est alienus à mente D. Thomæ supra, dũ dicit quod à peccato ratione auersionis cõsequitur reatus pęnæ æternæ, & ratione conuersionis, reatus pœnæ temporalis; & quod reatus ille prior, per pęnitentiã tollatur; isto, vt plurimum, remanente. Sed etiam est alienus à veritate. Primo quia, vt dicebamus, iste reatus est indiuisibilis, & sic totus tolli debet. Secũdo quia, si ille pœnæ æternæ reatus commutatur in pœnam temporalem, vel commutatur in illam, quæ conuersioni debebatur, vel in aliam; neutrum dici potest; ergo &c. non in illam, quæ conuersioni debebatur, quia frustra: nam hæc non est commutatio, sed potius quædã designatio, quod eadem pœna quæ prius soli correspondebat conuersioni, modo etiam auersioni respõdeat; quod frustra omnino videtur; nõ secundum, quia certè recordaretur Deus peccatorum post illorum remissionem contra sacræ Scripturæ loca pro primo argumento in hæreticorum fauorem adducta. Cum ergo omninò correspondeat peccato ratione conuersionis, & delectationis creaturæ, sua pœna tẽporalis, & hæc non augeri, sed potius minui per pœnitentiã debeat, dici non debet pœnã æternam commutari in temporalem, sed totaliter deleri, & istam remanere posse.

Quæres secundo. An simul cum remissione pœnæ æternæ, aliquid etiam pœnæ tẽporalis remittatur. Respondetur quod cum pœna temporalis non remittatur, nisi per opera satisfactoria, quæ charitate formata esse debẽt, non potest illa pœna temporalis remitti per contritionẽ; vel attritionem, vt gratiã prçcedunt, sed prout cum illa sunt simul, vt in tractatu de merito docuimus.

Quæres tertio, an possit Deus de potentia absoluta remittere peccatum, non remittendo reatum pœnę æternæ? Respondetur negatiuè, cum enim peccatum remitti

non

non possit, nisi per gratiæ infusionem, & hæc cum sit gloriæ semen, afferat ius ad gloriam; quod ius stare non potest cum reatu pœnæ æternæ, vt patet, sequitur non posse remitti culpam, quin pœna æterna remittatur.

QVAESTIO IX.

Plures continens difficultates de venialium peccatorum remissione.

ANtequam ad potissimas huius quæstionis difficultates accedamus, aliqua vt certa supponenda sũt, vt subinde ea de quibus aliqua est inter scribentes difficultates subijciantur.

Suppono primò, quod sicut transacto mortalis peccati actu, eiusdem macula remanet; ita transacto peccati venialis actu remanet eiusdē venialis macula, ratione cuius homo non redditur indignus Dei amicitia, vt facit macula peccati mortalis, sed singulari aliqua Dei familiaritate; quę doctrina colligitur ex illo Ioan. 13. *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet,* idest qui in gratia sanctificante est, vt erat tunc temporis Petrus, ad quem Christi sermo dirigebatur, non indiget, nisi vt pedes lauet, idest vt ab aliquibus culpis leuibus, seu venialibus maculis, quibus inquinatus est, mundetur.

Suppono secundo peccatum veniale non priuare iustum gratia habituali, sed solum aliquo charitatis feruore, qui vel in exercitio actuũ charitatis, & ancillentium virtutum consistit, vel in specialibus quibusdam auxilijs, quibus perfectius excitemur, & protegamur, quæ specialiora gratiæ excitantis auxilia, per venialia peccata minuuntur; cum enim homo per venialia à Deo, modo alibi dicto, recedat, fit quod nec Deus ad ipsum per auxilia vberiora accedat.

Suppono tertio, quod dũ agi-

agimus de modo, quo venialia, vel per contritionem latè, vel alio modo remittuntur, de peccatis loquimur venialibus iustorum, non peccatorum, cum peccata venialia peccatorum; cassari non possint mortalibus remanentibus; neque loquimur de peccatis venialibus iustorum, de quibus actualem habēt complacentiam, sed de illis, quæ merè habitualia sunt, seu de quibus nullam actualem habent complacentiam.

Suppono quarto venialiū remissionem, non posse esse opus naturæ sed gratiæ; seu ex aliquo gratiæ supernaturalis dono, vt ex D. Augustino epist. 106. definiuit Concilium Palestinum contra Pelagianos, & Semipelagianos. Et Concilium Arausicanū II. Can. 4 & Tridentinum sess. 6. can. 3. Et ratio clara est; quia vt omnes fatentur Catholici, nihil, sine Spiritus sancti gratia haberi ab homine potest, quod ad vitam conferat æternam consequēdam; at qui venialium remissio ad vitam confert æternam obtinendam; ergo naturę viribus haberi non potest; sed ex Spiritus sancti gratia.

Suppono quinto ad venialium remissionem, perfectam non requiri cōtritionem; cùm enim iustus per veniale à Deo non auertatur, adhoc vt deleatur; perfecta non requiritur contritio.

Suppono sexto in omnium sententia, attritionem sufficere, tum vt deleantur venialia in Sacramento, tum extra; cum enim attritio sit vera displicentia & dolor licet imperfectus, vt supra explicuimus, sufficiens erit ad talem deletionem ponendam: imò si loquamur de venialium deletione in Sacramento pęnitentiæ, saltem attritio requiritur, cum hoc Sacramentum, sine cōtritione vel attritione esse non possit. His præsuppositis.

Prima difficultas est, an ad hoc vt venialia peccata extra Sacramentum deleantur, cōtritio latè, seu aliqua formalis detestatio requiratur, vel sufficiat virtualis vel eminentialis. Aliqui sic præsentem proponunt difficultatem; an ad venialium deletionem, vir-

virtualis pœnitentia requiratur. Sed vterque proponendi modus in idẽ reddit, de qua re tres sunt sententiæ.

Prima sententia est, pœnitentiam formalem necessariã esse ad venialium remissionẽ ita Durandus 4. dist. 16. q. 2. Paludanus eadem dist. q. 1. art. 2. & alij.

Secunda sententia est doctoris subtilis 4 dist. 21. q. 1. Gab. dist. 16. q. 5. & aliorũ, quod ad venialium remissionem nulla requiratur pœnitentia, sed quilibet actus bonus sufficiat, qui magis Deo placeat, quam peccatum displiceat veniale, etiam si talis actus bonus ad venialis peccati remissionem non ordinetur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Peccata venialia vt remittantur, requiritur, & sufficit pœnitentia virtualis vel eminentialis.* Hæc est Doctoris sancti, & discipulorum eius sententia.

Probatur primo eleganti eiusdem sancti Doctoris testimonio hic q. 87. art. 1. cuius in corpore habet: *ad remissionem venialium non sufficit habitualis displicentia qua habetur per habitum charitatis vel pœnitentia virtutis: quia sic charitas non compateretur peccatũ veniale, quod patet esse falsum. Vnde sequitur, quod requiratur quædam virtualis displicẽtia, puta cum aliquis hoc momodo fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas, at quid quid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei & doleret se commisisse etiam si actu de illo non cogitaret, quod tamen non sufficit ad remissionẽ peccati mortalis.* Hæc ille. Vbi vt vides, vult D. Thomas ad remissionem venialium talem boni actus exercitium requiri quo operans sit taliter affectus quod si venialia occurrerent, de illis doleret; vel displicentiam haberet; quæ displicentia licet vocatur à D. Thoma virtualis, absolutè tamen, est solum eminentialis vt ex terminis liquet.

Probatur secundo ratione desumpta ex posito D. Thomæ testimonio. Peccata venialia per id sufficienter destrui possunt cui formaliter opponuntur; sed peccata venialia

nialia charitatis feruori opponuntur; ergo per eundem charitatis feruorē destrui possunt; sed ille actus quo homo est taliter affectus erga Deū, & res diuinas, quod si venialia occurrerent, quæ talem motum habent retardare illa detestarētur, estperfectissimus charitatis feruor; ergo per illum venialia peccata destrui possunt: patet autem, quod ille actus est solum quædam displicentia eminentialis; ergo &c.

Confirmatur primo præcedens argumentum, nam ideo ad peccatum mortale delendum formalis requiritur pœnitentia, quia cum sit vera & propria à deo auersio, tolli debet per veram, & propriā in Deum conuersionem; sed peccatum veniale non est vera, & propria à deo auersio, sed solum secundum quid, & impropria; ergo sufficienter tolli potest per illum actum, quo homo taliter, erga Deū, & res diuinas afficitur, quod si venialia occurrerent, detestarentur.

Sed dices, peccata venialia, habent sufficientem offēsæ rationem cum possint esse obiectum materiale destruēdum pœnitentiæ, vt disput. 1. q. 6. difficultate 2. cū D Thoma docuimus; ergo destrui debent per veram, & propriā pœnitentiam. Antecedens est nostrum assertū; Consequentia probatur, nam ratio offensæ, nō nisi per id, quod offensæ respicit rationem tolli potest, Atqui sola pœnitentia est huiusmodi; ergo.

Respondetur quod, si peccatum veniale in mētem veniat, secundum quod est aliqua dei offensa, non destruetur directè secundum hanc rationem, nisi per oppositam displicentiam; licet secundū hanc offensæ rationem indirectè destrui possit, dum alijs modis destruitur. Vnde nos nō dicimus peccatum veniale non posse destrui per pœnitētiam, cum per hanc optimè destruatur, sed quod dicimus est, posse etiam, & bene destrui per pœnitētiam eminentialem à nobis dictā. An autem hoc solum habeat verum, cum peccata venialia in mentem non veniunt, an etiā quando veniunt; videtur satis

apertè ex D.Thoma colligi, id solum verum habere, quādo in mentem nō veniunt,ita quod si in mentem veniant non doleantur per talem pœnitentiam eminentialem, sed aliqua formalis requiratur.

Confirmatur secundo,plura requiruntur ad remissionē mortalis, quam venialis; sed peccatum mortale remittitur aliquando per Pœnitentiam eminentialē, nempe per charitatem; ergo à fortiori,id fieri poterit in peccato veniali. Sed de hac re videātur ea,quę diximus de sacram.in genere disput.9.quæst.2. vbi ostendimus, quod ad hoc vt sacramentalia, peccata remittant venialia, nulla requiritur pęnitentia,nisi illa eminentialis à nobis explicata, quæ sufficienter saluatur in hoc, quod quis sacramentalibus vtatur, sciens ad hoc esse instituta,vt venialia deleant. Argumenta in oppositum relinquo, quia ex dictis sufficienter soluta manent.

Secūda difficultas, an peccatum veniale remitti possit, de quo actualis habetur complacentia, vel saltem virtualis de eo habetur affectus? De primo nulla est difficultas,cū certum sit implicare contradictionem peccatum tunc deleri, dum actu committitur. De secundo est maior difficultas;nam Didacus Nugnus id negat, Caietanus affirmat, in casu quem sic proponit 3.p. q 87.art.1.ad 2. D. Thomæ; *In responsione ad secundum aduerte idem esse iudicium de dormiente occiso pro Christo, vel baptizato,quod intelligo secundum merita secūdarum causarum. Nam si quis iuisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, & interim dormiens occideretur pro Christo, crediderim ego ex diuina largitate etiā illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequi,quamuis per baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatē actualiter actualitate virtuali peccato inhærentem*, Sed hæc Caietani doctrina videtur purgare cum illa solutione D.Thomæ. Verba Angelici sunt sequentia: *Passio pro Christo suscepta, obtinet vim baptismi, & ideo purgat ab omni culpa, & veniali,*

&

& mortali, nisi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem. Puto tamen ex diuina largitate fieri, quod ille martyr, vel antequam moriatur, vel vt aliqui volunt, in ipso mortis instanti sufficienter talem retractet voluntatem, & sic martyrium, suum plenissimum producet effectum.

Tertia difficultas, an quoties peccata remittuntur venialia, toties fiat aliqua gratiæ habitualis infusio? Respõdet D. Thomas negatiuè hic q.87.art.2.dicẽs: *vnumquodque tollitur per suum contrariũ. Peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiæ, vel charitati: sed retardat actũ eius, in quantum nimis inhæret homo bono creato, licet non contra Deum: & ideo ad hoc quod peccatum veniale tollatur, non requiritur aliqua habitualis gratia, sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis ad eius remissionem*. Quæ doctrina difficilis omnino videtur, eiusdem sancti doctoris discipulis. Sed habet planam explicationem, tum in sententia eiusdem sancti Doctoris, tum in sententia aliorum. In sententia quidem sãcti Doctoris, & nostra, qui volumus gratiam, & charitatem, non augeri in esse habitus, nisi per actus intensiores, licet in esse gratiæ, seu acceptationis, seu iuris ad gloriam per quoslibet actus augeatur, vt fusè docuimus in tract. de merito disput. vltima q.3. & 4. & sic dum dicit D. Thomas, quod ad hoc vt peccatum veniale tollatur non requiritur gratiæ habitualis infusio, iam sufficienter suam explicatam mentem, quod loquatur de gratia in esse habitus, nõ in esse gratiæ, & iuris ad gloriam, cum certum sit actum deuotionis erga Deum, & res diuinas in homine iusto esse meritorium gratię, & gloriæ correspondentis, quantumuis remissus sit. Si autem peccata venialia remitterentur per actum intensiorem, tunc temporis gratia augeretur etiam in esse habitus, vt patet; ob idque aduertenter dixit Angelicus, non requiri ad hoc, vt venialia remittantur, quod fiat gratiæ habitualis infusio, non tamen dicit, quod non

possint remitti etiã per eiusdem habitualis gratiæ infusionem. In aliorum etiam sẽtentia dictum D. Thomæ saluari potest, dato namq; quod gratia augeretur in esse habitus per actus etiam remissos, tunc talis gratia, etiamsi daretur, non daretur tamen ex vi remissionis venialium, sed ex vi præcisè actus boni per quem venialia remitterentur; cum enim venialia cum gratia nullam habeant oppositionem, ratione sui gratiam non requirunt, vt deleantur, sed sufficit, quod eorum ponatur oppsitum; licet postea ex talis oppositi positione gratia non infundatur.

Quarta difficultas, an quoties noua infunditur gratia, toties aliqua venialia remittantur? Affirmatiuè respondet Angelicus loco citato in hæc verba. *Quia tamen in habẽtibus vsum liberi arbitrij, in quibus solis possunt esse venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiæ, sine actuali motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, ideo quandocunque de nouo gratia infunditur; peccata venialia remittuntur.* Quæ etiam doctrina apud aliquos suam patitur difficultatem; nam vel loquitur D. Thomas de prima gratiæ infusione, quando nimirum adultus iustificatur, & hoc non videtur semper habere verum, cũ possit quis omnia mortalia peccata detestari, complacendo, vel cõseruando affectum, saltẽ virtualem ad omnia venialia. Vel loquitur de secunda gratiæ infusione, seu de augmento illius: & hoc nequit esse verum in sententia eiusdem sancti Præceptoris, cum non per quemcunque actum bonum venialia deleantur peccata, sed solum per illos, qui sunt deuotio, erga Deum, & res diuinas, & qui sint virtualis quædam peccati venialis displicentia, taliter quod homo sit tunc temporis taliter affectus, quod si venialia occurrerent illi displicerent, & de illis doleret, quod non contingit, vt patet, in omnibus actibus meritorijs, & subinde non in quacunque gratiæ infusione, alioqui non differret D. Thomæ sententia, à sentẽtia Scoti, pro prima difficul-

ficultatè relati. Sed D.Thomæ doctrina nullam patitur difficultatem, si rectè intelligatur. Vnde dico, posse intelligi de prima gratiæ infusione, & de secunda: de prima per se loquendo, esset autem per accidens, quod quis omnia detestaretur mortalia, & quod ad omnia venialia, saltem virtualem haberet affectum. De secunda, quia licet peccata venialia non remitterentur tunc temporis, vi illorum actuum, qui non sunt nec eminentialis venialium detestatio, remitterentur tamen à Deo ratione strictioris acceptationis ad propriam amicitiam; cum rationi consentaneum videatur, quod dũ amicus ad maiorem, & intimiorem admittit amicitiã, & familiaritatem alterum amicum, quod sibi leuiores condonet offensas, de quibus nullum habet affectum. Sed obijcies contra prædicta; si peccata venialia remittuntur, vel per gratiæ infusionẽ, vel per actũ deuotionis erga Deum, & res diuinas &c. frustra postea confiterentur; hoc dici nequit; ergo non ita facile remittuntur.

Respondent aliqui, quod licet necesse non sit peccata venialia clauibus subijcere, tamen quando extra Sacramentum remittuntur, per ordinem ad idem Sacramẽtum remittuntur, proportionali modo, ac peccata mortalia, licet sit differentia in hoc quod mortalia sunt materia pœnitentiæ Sacramenti necessaria, & de necessitate clauibus subijci debeant, non venialia; cum solum sint materia sufficiens. Sed hæc solutio nõ placet; cum enim peccata venialia non sint materia Sacramenti pœnitentiæ necessaria, nec per formalem pœnitentiam de necessitate deleri debeant sed per feruorem vel deuotionem explicatã, sequitur non deleri per ordinem ad pœnitentiam Sacramentum, cum solũ id per ordinem ad hoc Sacramentũ deleatur, quod etiam extra Sacramentum propriam, & formalem requirit pœnitentiam. Melius ergo respondetur, quod etiam si peccata venialia

nialia sine ordine ad pœnitentiam deleantur, non tamē frustra, & inutiliter confitentur, sed valde vtiliter, cum & noua detur per Sacramentū gratia, & nouo, ac nouo titulo remittantur, vt infra dicemus de peccatis mortalibus alias confessis.

Quinta difficultas, cum in homine iusto per vnicum deuotionis actum, non omnia dimittantur peccata venialia, quænam in particulari dimitti dicentur? Respondetur, illa dimitti dicētur, quæ magis directè opponentur tali deuotionis actui; vnde si deuotionis actus sit circa Missā, venialia, quæ in Missa commissa sunt magis delebuntur: Si circa officium diuinum, talis versetur deuotio, eiusdem diuini officij leues destruet transgressiones &c.

Sexta difficultas, an peccatum veniale coniunctum cum mortali, remitti possit sine mortali? Respōdet Angelicus Magister q. 87. citata art. 4. negatiuè cuius elegantem assignat rationem, quia peccatum veniale non remittitur, nisi per actū feruoris, vel deuotionis erga Deum, & res diuinas, qui actus feruoris sine charitate, & gratia nō habetur; ergo. Tum quia peccatum veniale non remittitur, sine vel gratiæ infusione, vel augmento illius, siue in esse habitus, siue in esse gratiæ, vel vel acceptationis, vel meriti ad gloriam, hæc autem esse nō possunt cum peccato mortali, vt patet; ergo &c.

Septima difficultas quomodo remittatur veniale post mortem? supponit difficultas contingere posse, quod iustus aliquis ex hac vita decedat cum aliquo veniali nō retractato, ac proinde non dimisso, vt si v.g. de reperte casu aliquo moriatur, vel interficiatur; sic enim etiam iusto complacentiam habenti de aliquo veniali, mors euenire potest.

Ad quā difficultatem dicunt aliqui peccata venialia tolli post mortem per eos actus, quibus anima acceptat, & patienter tolerat pœnas purgatorias. Alij dicunt culpas veniales remitti iusto post mor-

mortem, per actus charitatis, & aliarum virtutum, meritorios, quos dum mortalis viueret exercuit. Alij volunt remitti venialia per puram Dei condonationem. Sed melius hanc resoluit difficultatẽ Doctor Angelicus q.7. de malo art. 11. versus corporis finem, vti sic loquitur: *Quando que contingit, quod aliqui in ipsis actibus peccatorum venialium vel in proposito venialiter peccandi occupentur somno, vel aliqua passione auferente vsum rationis, quibus manifestũ est, quod in hac vita peccata venialia non dimittuntur; & tamen propterea non impediuntur perpetuo à vita æterna, ad quam nullo modo perueniunt, nisi omnino immunes ab omni culpa effecti, & ideo oportet dicere quod venialia remittuntur eis post hanc vitam, etiam quantum ad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum repugnantem venialibus in hac vita cõmissis; quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis tollit quidem impedimẽtum venialis culpæ; non tamen meretur absolutionem vel diminutionem pœne, sicut in hac vita*. Vnde primus modus dicendi optimus est si ad sensũ Thomisticæ doctrinæ intelligatur secus reiciendus. Secũdus dicendi modus pessimus est, cum nullus per opera bona possit sibi peccatorum futurorum mereri remissionem. Tertius etiam fallus est, cum vt patet ex dictis in tractatu de gratia, peccatorum etiam venialiũ remissio fieri nequeat per puram Dei condonationem.



QVAE-

QVAESTIO X.

Quale sit præceptum contritionis, qualisque eius obligatio.

PRæsens supponit quæstio contra Franciscum à Victoria apud Canum 4.p. relectionis de pœnitentia, dari præceptum de côtritione habenda: vt manifeste ex sacris colligitur litteris Luc.13. *Nisi Pænitentiam egeritis omnes simul peribitis*. Actorum 4 *pænitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*, & alibi passim. Sed dices cũ Victoria speciali præcepto, speciale opponitur peccatum; sed finalis impœnitentia, quæ pœnitentiæ opponitur, non est speciale peccatum, sed solũ circonstantia illius peccati in quo quis moritur, vt docet Angelicus 2.2.q.14. ergo de Pœnitentia, seu contritione non est speciale præceptum. Nam respondetur duplicem esse impœnitentiam; vna est impropria, quæ est peccati continuatio, & hæc non est speciale peccatum, nec pęnitentiæ, seu contritioni ex diametro opponitur, sed generali, & eminentiali oppositione, sicut cætera opponuntur peccata. Altera est propriè dicta, quæ est formale, vel saltem virtuale propositum non conterendi de peccatis mortalibus, & hæc est speciale peccatum, directè côtritioni oppositum. Hoc supposito quæritur primò quale præceptum sit de contritione elicienda, an nimirum iuris diuini positiui, an naturalis.

Prima est aliquorum sententia post Medinam C. de pœnit. tract.1.q.2. ar.2. quod hoc præceptum sit diuinum positiuum.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Præceptum côtritionis est diuinum naturale*. Hæc est expressa D.Thomæ sententia, & discipulorum eius, vt videre est apud Nugnum hic q.2. supplem. art. 3. Pro quo nota, quod dum dicimus contritionis

nis præceptum esse diuinum naturale, per *ly naturale*, non intelligimus, id quod supernaturali opponitur, seu quod non est ordinis supernaturalis; sed intelligimus id quod est connaturale ordini gratiæ, quod consequitur ad gratiã, quod ipsi gratiæ est consentaneum, quomodo præcepta fidei, spei, & charitatis dicũtur præcepta diuina naturalia, quia sunt ipsi gratiæ consentanea; ita quod ordine gratiæ posito suaptè natura hæc præcepta consequantur, vnde de his non datur positiuum præceptum. At vero præcepta sacramẽtorum sunt quidem supernaturalia, sed positiua, quia de his gratiæ ordo nihil dictat, nec sunt ipsi gratiæ connaturalia, nec ad gratiam suapte natura consequuntur. Dicimus ergo contritionis præceptum non esse diuinum positiuum (intellige præsindendo ab hoc quod contritio sit pars Sacramenti pœnitentiæ, quia secundum hãc rationem de illa est præceptum positiuum ratione ipsius confessionis) sed diuinũ naturale, quia est gratiæ ordini connaturali consentaneum, &c.

Probatur primo eleganti D. Thomæ testimonio hac p. q. 84. art. 7. ad primũ vbi habet: *De iure naturali est, quod aliquis pœniteat de malis quæ fecit, quantum ad hoc, quod doleat fecisse, & doloris remedium quærat per aliquem modum, & quod etiam aliqua signa doloris ostendat, sicut, & Niniuitæ fecerunt, vt Ionæ 3. legitur.* Vbi vt vides vult Angelicus, Niniuitarum pœnitẽtiam fuisse naturalem, non quidem prout naturale à supernaturali distinguitur, sed prout ordini gratiæ talis pœnitentia fuit consentanea. Ob id dicit idem Angelicus q. 86 art. 6. ad vlt. quod Sacramentum pœnitentiæ (intellige quoad contritionem) fuit in lege naturæ, & veteri, verba D. Thomæ sunt ista. *Sciẽdum tamen quod etiam in veteri lege, & in lege naturæ, erat aliqualiter Sacramẽtum pœnitentiæ, vt supra dictum est.*

Probatur secundo ratione, ex hoc vltimo D. Thomæ testimonio desumpta. In lege naturæ erat præceptum con-

tritionis; sed illud non erat diuinum positiuum, ergo erat diuinum naturale. Maior est certa. Tum quia supposita hominis eleuatione, tenebatur post peccatum, ad gratiæ statum homo se ipsum reuocare, quod non nisi per contritionem per se fieri poterat, certè ridiculum esset dicere, hominem fuisse in finem supernaturalem eleuatum, & quod si ab ipso excideret, quod nullam haberet obligationem reuersionis. Tum etiam quia, existens in peccato mortali tenetur se ad gratiā præparare; atqui hæc præparatio per contritionem fieri debet; ergo. Minor probatur, quia in lege naturæ nullum erat præceptum diuinum positiuum, vt est communis Theologorum sensus, ob idque ille status, naturæ vocabatur, eo quod non essent, nisi præcepta naturalia, & statui naturali consentanea, vt quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; & statui eleuationis, vt sunt præcepta fidei, spei charitatis & pœnitentiæ. Cum enim homo lapsus in eo naturæ statu teneretur se ad gratiam præparare, tenebatur illos actus exercere, sine quibus gratia per se non habetur, vt sunt prædicti actus, vt ex dictis liquet.

Probatur tertio. Virtutes morales habent suos actus in præcepto sibi connaturali, ita quod vnaquæque virtus moralis, naturali pondere ad suos actus eliciendos inclinetur, modo, & tempore, & loco, quo naturalis ratio dictat; ergo id ipsum dici debet de virtutibus supernaturalibus, tum Theologalibus, tum moralibus infusis, & subinde idem dicendum erit de pœnitentia; Antecedens patet discurrendo de singulis, cum enim sint habitus operatiui, ad proprias innato, & naturali pondere, inclinari debēt, operationes. Consequentia liquet ex rationis paritate, sicut enim est naturale virtutibus acquisitis in suas inclinari operationes; ita est naturale virtutibus supernaturalibus inclinari in suas; vnde sicut fides, spes, & charitas habent naturale præceptum de proprijs actibus quando eorum currit obligatio, ita

&

& pœnitētia, & sic, sicut præceptum dilectionis est naturale respectu sui habitus, ita & contritio, respectu pœnitentiæ.

Probatur quarto, est præceptum naturale resarciendi offensam homini illatā; ergo etiam erit præceptum diuinū naturale, in homine eleuato, resarciendi offensam illatam Deo. Atqui hoc fit per contritionem; ergo de contritione erit præceptum naturale. Antecedens fundatur in illo primo rationis dictamine, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & quod tibi vis fieri alteri feceris* cū ergo naturaliter vnusquisque velit iniuriam, & offensam resarciri, ad hoc ipsum erga alios præstandum, naturaliter inclinabitur. Consequentia videtur euidēter sequi ex antecedenti; nam non debet esse minus fortis inclinatio gratię, quam inclinatio naturæ, nec debet esse minor inclinatio ad satisfaciendum Deo, quā hominibus; ergo, si natura naturaliter inclinat ad satisfaciendum hominibus, pro offensis illatis, proportionali pōdere, ad ipsum inclinabitur homo, respectu Dei; quod pondus in ordine gratiæ naturale erit.

Respondet Suarez hic, habere quidem hominem naturalem inclinationem ad satisfaciendum Deo pro iniurijs, vel offensis illatis, at non per pœnitentiam cum possit per dilectionis actum satisfacere, & subinde nullum esse contritionis naturale præceptum, sed solum satisfaciendi aliquo ex modis possibilibus.

Sed contra, quia nulla est virtus, quę habeat pro obiecto diuinam resarcire offensam, sub ratione offensæ, nisi pœnitentia; licet enim charitas peccatum destruere possit, hoc tamen est per accidens, vt supra pluries obseruauimus; ergo si semel homo lapsus, naturali tenetur præcepto, diuinam resarcire offensā, id erit per contritionem. Tū quia offensa naturaliter petit tolli per virtutem ad id deputatam; ergo cum hæc virtus sit pœnitentia, ab ipsa naturali iure, per proprium ipsius actum, qui est contritio, offensa tolli debet. Tum etiā quia,

cum peccatum formalissimã dicat auersionem à Deo, per formalissimã tolli debet conuersionem, quæ per nullum actum melius tolli potest, quã per contritionem, quæ non nisi per charitatis imperium poni potest.

Probatur quinto. Homo naturali præcepto, tenetur animæ propriæ salutem procurare, quando in peccato existit mortali, sed hoc fit per cõtritionem; ergo naturali præcepto ad contritionem obligatur, post mortale peccatũ perpetratum. Maior clara est, si enim naturali præcepto, homo tenetur sibi in temporalibus prouidere, à fortiori in spiritualibus. Minor patet ex dictis, nullus enim valet assignari actus, per quem homo in peccato mortali existens, sibi magis per se prouideat, quam actus contritionis. Maneat ergo ex dictis præceptum contritionis esse diuinum naturale, cuius obligationis radix est charitas, qua homo se ipsum diligere tenetur, vt sibi prouideat, quoad animæ salutem, iuxta illud Eccles. 30. *miserere animæ tuæ, placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate.*

Vnum solum argumẽtum contra præcedentem doctrinam, aliquam habens apparentiam, fieri potest: finis pręcepti non cadit sub præcepto, nec modus virtutis cadit sub virtute; at vtrunque caderet si contritionis daretur obligatio, ergo non datur. Maior est commune Theologorum pronunciatum. Minor patet ex dictis, nam contritio vera non datur, nisi sit charitate perfecta, nec elicit pœnitentia contritionem, nisi ex motione, seu imperio charitatis; quæ charitas, & est præceptorum omnium finis, & modus.

Respondetur, quod quando dicitur, quod charitas, quę est præceptorum modus, & finis, non cadit sub præcepto, intelligi debet respectu illorum præceptorum, quæ cum charitate necessariam nõ habent connexionem, secus respectu illorum, quæ cum charitate neçessariò connectuntur; & sic cum contritio, cum charitate necessariam habeat connexionem, sine eadem cha-

charitate elici non poterit, & sic respectu huius, & omnium virtutum infusarum, charitas; quæ est præceptorum modus, & finis, sub præcepto cadet; sicut & ipsa sub præcepto cadit.

Ex quibus patet resolutio secundæ difficultatis in quæstionis titulo propositæ, nimirum qualis sit cõtritionis obligatio, nam vt patet ex modo dictis, hæc obligatio formaliter est virtutis pœnitentiæ, & veluti radicaliter est charitatis; & subinde grauis vt patet. Ex his omnibus inferi potest, aliquarum resolutio difficultatum, scitu dignissimarum.

Prima difficultas est, an hęc iuris naturalis obligatio sit tanta, itaut etiamsi scirem Deum pœnitentibus veniam non promisisse, imò si scirem nolle remittere peccata quacunque pœnitentia posita, adhuc tenerer pœnitere? Respondetur affirmatiuè, & ratio est, quia sicut in humanis offensor tenetur quantum est de se offensam auferre, quantumuis offensus nolit illam ex malignitate remittere, ita pariformiter peccator tenetur quantum est de se peccata auferre per contritionem, quantumuis Deus nolet offensam relaxare. Hic casus, vt patet, ex hypotesi procedit impossibili, quia secundum sententiam nostram contritio ex rei natura habet peccatum expellere, ac subinde Deum placatum reddere, &c.

Secunda difficultas, an si Deus sponte condonaret offensam, teneretur adhuc peccator de illa pœnitere. Affirmatiuè respõdeo, nam offensæ condonatio, iuris naturalis obligationem non tollit, ostẽdẽdi doloris signa pro offensa irrogata; sicuti si Deus nolet ab hominibus diligi, coli, reuereri, adhuc homo deberet quantum est ex parte sua Deum colere, reuereri, &c. cum adhuc in homine talis maneret obligatio, eo ipso quod Deus est summum bonum.

Hinc alterius resolutio difficultatis infertur, an Deus in hoc naturali præcepto possit dispensare, faciendo, vel tollendo à peccatore obligationem quam habet, de proprijs pœni-

pœnitendi peccatis. Patet enim ex dictis id fieri non posse; sicut enim facere non potest, nec dispensare quod non ametur, quod non colatur; ita dispensare non potest, quod homo non pœniteat de offensis sibi illatis; quorum omnium ratio est, quia, & ea, quæ sunt intrinsecè bona, & quæ sunt intrinsecè mala, sũt talia antecedenter ad quodlibet diuinę voluntatis decretum, ad quamlibet legem, ac proinde sub dispensatione nõ cadunt; vbi enim non est lex, nec legis dispensatio esse potest, cum dispensatio sit *legis relaxatio*.

Tertia difficultas, an ille qui à proprijs iustificatus est peccatis per attritionem, & Sacramentum, teneatur ad huc ad hoc preceptũ contritionis. Respõdetur negatiuè, ratio est, quia id ipsum: quod facit contritio perfecta, facit attritio medio Sacramento, & subinde redditur omnino æquilans; cum ponatur vera in Deum conuersio, & vera peccati destructio; ob idque dicitur hominem per Sacramentum fieri ex attrito contritum. Vnde quando dicitur pœnitentiam, vel contritionẽ esse de iure naturali, intelligi debet, quando alia via per se non ponitur peccati destructio, & perfecta in Deum conuesio: dixi per se, quia quando homo per charitatem iustificatur, adhuc tenetur conteri, vel confiteri si peccata in mentem veniãt; cum dilectio, non nisi per accidens habeat iustificare, quando quis nullam habens peccatorum memoriam subito in Deum raperetur Aduerte tamen hoc dicendum non esse de dilectione; nam si quis iustificatus fuisset per attritionem, & Sacramẽtum in tempore, quo dilectionis curreret obligatio, ad huc ad dilectionis actum teneretur; nõ sic si per contritionem fuisset iustificatus; cum in contritione, dilectio vt imperans reperiatur. Et ratio est quia attritio, & Sacramentum non sũt æquiualens dilectionis, cum sint diuersi ordinis, nõ sunt instituta ad supplendam dilectionem, sicuti sunt instituta ad supplendam cõtritionem: nam tam per contritionem,

quam

quam per attritionem, peccatum retractatur, per dilectionem non sic, vt ex hucusque dictis, & in hac, & præcedentibus quæstionibus patet.

Quarta difficultas, an sit præceptũ conterendi de venialibus. Respondetur quod per se loquendo nullum est: non positiuum, cum nullibi id reperiatur, nec naturale, vitæ spiritualis acquirendæ, vel conseruandę, cum venialia nullum habeãt cum gratia oppositionem, & vita spiritualis non acquiratur per venialiũ detestationem, nec amittatur per illorum commissionem. Dixi per se loquẽdo quia si quis ex ignorantia inuincibili putaret se esse in prossimo peccãdi mortaliter periculo, nisi venialia detestetur, eo casu ad id teneretur.

Sed dices, homo naturali pręcepto tenetur grauissima, si potest, vitare mala tẽporalia; ergo etiam spiritualia; Atqui venialia peccata sũt maius malum, quam omnia damna temporalia; est enim maius malum vnum veniale, quam sit amissio temporaliũ, famæ, honoris, diuitiarum, & ipsius vitæ; ergo si tenetur homo vitare hæc grauissima damna temporalia, à fortiori tenebitur venialia vitare, quæ longe maiora sunt mala. Tũ quia videtur esse contra propriam charitatem non detestari venialia, ex quibus sequuntur in Purgatorio grauissimæ pœnæ, priuatio per multũ tempus diuinæ visionis &c.

Respondetur quod peccata venialia sunt quidem grauissima mala, si comparentur per ordinem ad mala temporalia; non sic, si comparentur ad mala spiritualia culpæ, cũ in omnium sententia in hoc ordine sint malum leue cum vitam non destruant gratiæ, cum diuinam relinquant amicitiã, &c. Vnde licet peccatum veniale sit maius malum, quam sit quod libet damnum temporale, imo quam sit quodlibet malum pœnæ spirituale; in suo tamen ordine cõseruat quod sit malum leue, ac subinde quod grauem non inducat detestationis obligationem.

Nec est cõtra charitatem grauiter, quod quis velit grauissi-

tissimas subire Purgatorij pęnas, non detestando venialia, cum licet hæc pœna comparatiuè ad præsentis vitæ pœnas, sit grauissima, in se tamen, seu in ordine pœnarum alterius vitę est leuissima, quia licet intensiuè grauior sit, quã pęna inferni, illa tamen acerbitas parua censetur ex securitate diuinę visionis: tã grande bonum est videre Deum, quod sola securitas videndi ipsum, facit quod grauissimũ pœnæ malum, & maius intẽsiuè, quam sit malum pœnæ inferni, leue censeatur, & videatur.

QVAESTIO XI.

Quo tempore obliget contritionis præceptum.

CONueniunt communiter omnes, cõtritionis præceptum in duobus casibus obligare. Primus est, quando præsens, & euidens mortis occurrit periculum, quod potest à peccatore præuideri, vel de quo rationabiliter potest dubitare. Secundus est, quando ministrandum, vel suscipiendum est Sacramentum, in quo gratiæ status requiritur, nec adest Sacerdos, qui illius sacramentalem excipiat confessionem. Ratio primi patet ex dictis q. præcedenti, quia quilibet tenetur vitare certum æternæ damnationis periculum. Ratio secundi ex sacramentorum sãctitate desumitur, cum summè dedeceat sancta pollutè pertractari, vt disput. 7. q. 5. de Sacramentis in genere ostendimus. his positis.

Prima sententia est, contritionis præceptum obligare statim post peccatum & quoties idem peccatum memoriæ occurrit, ita Alensis 4. p. q. 68. mem. 2. art. 2. §. 1. Gab. 4. dist. 14. q. 3. art. 3. dub. 2. quæ sententia licet nimis dura videatur fortissima tamen pro se habet argumenta, vt posta videbitur.

Secunda est, quod teneatur homo conteri omnibus diebus

diebus festis. Ita Sũma Angelica. v. feriæ. Pro hac refertur etiam Doctor subtilis. 4. dist. 27. art. 3. quatenus dicit obligari hominem actum elicere dilectionis Dei omnibus diebus festis, & per consequens tenebitur etiam conteri, cum hi duo actus per se simul fiãt.

Tertia sententia est, non nisi in mortis articulo, vel periculo contritionis pręceptũ obligare, hanc tuentur post. Sotum 4. dist. 12. q. 2. art. 6. Caietanus Summa v. cõtritio, & plures recentiores; & licet Didacus Nugnus q. 2. supplẽ art. 3. dicat hanc sententiam, sicut & pręcedentes, esse falsam & improbabilem, nihilominus cum iam sit ferè cõmunis probabilissima est, pręsertim cum illam satis clare innuat Angelicus Doctor 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 4.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. ***Contritionis præceptum vltra articulum, vel periculum mortis, obligat etiam aliquando in vita, quando quis diu viuit non tamen obligat statim post peccatum, nec quando peccatum memoria occurret; nec in diebus festi.*** Hanc sententiam sequitur Nugnus loco citato Lugo hic disput. 7. nu 234. post alios quos ibi refert, est que communis. Sed in temporis determinatione variant Theologi Nugnus dicit, quod qui maneret in aliquo mortali per octo, & fortè etiam per sex menses teneretur se accusare de huius pręcepti violatione; quia cũ hoc pręceptum (inquit) sit strictius, quam pręceptum cõfessionis & hoc obliget etiam iure diuino, semel in ãno, quia valde probabile est, quod etiam si illud tempus non determinasset Ecclesia, ita diuino iure obligaret; sequitur, quod si contritionis pręceptum strictius obliget, ad dictum tempus debeat determinari. Sed hæc sententia nimis angusta videtur, & contra communẽ fidelium vsum, qui etiam si per integrum annum non cõterantur non se accusant.

Mihi videtur media via incedẽdum, quod nimirum hoc pręceptum obliget tertio, vel quarto quoq; anno, ita quod si quis sine annua confessione

tale tempus in mortali transigeret, contra hoc pręceptũ faceret, ita in simili casu docuimus de pręcepto sacrę cõmunionis in tract. de Eucharistia. Conclusionem sic explicatam probant omnia argumẽta, quæ in fauorem primæ,& secundæ sententiæ adducentur. Deinde alijs probatur rationibus.

Prima ratio. Homo in peccato mortali existens per longum tempus,est in morali periculo labendi in alia nisi de primo conteratur; ergo naturali gratiæ iure tenetur contritionis actum vltra pręfixum tempus non differre: consequentia tenet,quia vnusquisque tenetur grauissimum peccati malũ,euitare,alioqui si amat tale periculum, peribit in illo. Antecedes proh dolor, quotidiana docet experientia; nam videmus in peccatis sordescentes, non solum prolabi in alia, & alia grauiora, verum etiam mortis tempore dolorem de illis non concipere. Si enim & illi qui ardenter honorem, vel voluptatem amant, etiamsi peccata sua semel in anno, imò etiam frequentius in cõfessione retractant, postea tamen data occasione,honoris, vel voluptatis, affectus inordinati vehementia relabuntur, quapropter diximus supra ab istis infirmis non oportere exigere,nec adeo distinctum propositum, nec adeo expressam peccatorum super omnia detestationem,nec esse expediens distinctè proponere tentationes, peccandi pericula, &c. quanto magis labentur illi,qui diu, sine vlla peccatorũ retractatione manent?

Secunda ratio. Si quis in humanis, vsque ad mortem, offensæ satisfactionem differat; grauiter peccat, si prius talem commodè potuit ponere satisfactionem; grauiter peccat, qui inimici reconciliationem vsque ad mortem difert, &c. ergo etiam grauiter peccabit, qui vsque ad mortem, offensæ Deo illatæ, satisfactionem reseruat, cum euidenti periculo non satisfaciendi,neque tempore illo: grauiter peccabit ille, qui in inimicitia Dei vsque ad mortem perseuerare contendit: certè

certè negari non poteſt, quin magnus intercederet Dei cōtēptus, gratiæ, & amicitiæ illius, in hac contritionis dilatione, vſque ad mortem.

Primum argumentum pro prima ſententia deſumitur ex diuerſis ſacræ Scripturę teſtimonis, in quibos pœnitentiæ reprobatur dilatio. Iſa. 65. *Omnes morte corruetis pro eo, quod vocaui, & non reſpondiſtis.* Ierem. 8. *Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, non ſunt confuſi, erubeſcere neſcierunt: idcirco cadent inter corruentes, dicit Dominus, &c.* idem dicitur alibi paſſim.

Reſpondetur ſacram Scripturam procedere de illis, qui nimis differunt, vltra tēpus pręfixum, vel melius, procedere de illis, qui in peccatis perſeuerant actualibus, nō vero de ſimplici pœnitentiæ dilatione, de qua noſtra procedit reſolutio.

Secundum argumentum. Homo magis tenetur proprio proſpicere bono, quam alieno; Atqui habita opportunitate tenemur proximo proſpicere, ratione præcepti correptionis; ergo id ipſum eſſe debet reſpectu ſui ipſius. Maior ex charitatis ordine conſtat, quæ alios, ex ſui regula, reſpicere facit: iuxta illud, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; ideſt regula, & modus diligendi proximum erit modus quo diligis te ipſum. Minorem docent omnes in materiam correptionis fraternæ.

Reſpondetur concedendo maiorem. Deinde diſtinguēda eſt minor, tenemur quam primum data opportunitate, corripere proximū noſtrum, ne in peccatum perſeueret, vel ne labetur in futurum, & conceditur; tenemur quam primum corripere proximum, vt à peccato commiſſo reſurgat, & negatur; ad hoc enim non tenemur, niſi quando & ipſe tenetur; vnde ſi videamus aliquem non confiteri, vel non conteri de peccato, quando ad id tenetur, vt in mortis periculo; quando ſacramenta miniſtrare, vel recipere debet, &c. tūc ad correptionem tenemur: ſimiliter quando in peccato perſeuerat, vel ne futurum com-

mittat, quia in istis duobus casibus id ipsum erga nos ipsos præstare tenemur.

Tertium argumētum. Homo obligatur vitare periculū morale peccandi mortaliter; atqui ille qui mortaliter peccauit nisi pœniteat, manet in periculo peccādi mortaliter; ergo pœnitere tenetur. Maior patet, alioqui peribit in illo periculo. Minor constat ex illo communi dicto Diui Greg. *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur mox suo pondere ad aliud trahit.* Respōdetur hoc periculum non esse proximum, sed remotum, quod ex debito peccādi mortaliter non est remouendum; si tamen daretur casus, quod tale periculum, proximum esset, remoueri deberet.

Quartum argumentū. Homo graui laborans morbo tenetur corporalem adhibere medicinam; ergo à fortiori laborans morbo spirituali, si enim quis vitare tenetur mortem corporalem, à fortiori spiritualem. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis est, quia laborans morbo corporali, nisi curationem adhibeat mors ipsa sequetur; non sic laborans morbo spirituali, cum sine nouo superaddito incommodo, supra illud quod primò induxit peccatum, possit in tali spirituali infirmitate, per aliquod tempus perseuerare.

Quintum argumentum. In humanis qui alium in honore, vel rebus offendit, tenetur statim restituere; ergo etiam qui in bonis externis, per peccata, Deum offendit. Respōdetur diuersam esse rationē inter Deum, & hominem, nā Deo nullum sequitur ex tali dilatione detrimentum, vt sequitur homini. Tum quia læsio illa hominibus facta est contra rigorosam iustitiam, vnde perpetuò clamat aduersus lædentem; at vero læsio facta Deo per peccatum non est nisi contra iustitiam imperfectum, & secundum quid, & ideo non est simile.

Sextum argumentum. Filius grauē Patri irrogat irreuerentiam, si non curet recōciliari eidem Patri, quē grauiter offendit; ergo etiam homo Deum grauiter offendit,

dit, si non curet quam primũ, cum eo, per pœnitentiam reconciliari. Respondetur tunc solum filium grauem Patri irrogare irreuerẽtiam, si cum malo interno affectu, in antiqua perseuerat offensa, secus si animum malum erga Patrẽ deponat, & animum petendi veniam habeat, licet hoc ex quadam pigritia, vel negligentia per aliquod tempus differat, præsertim cum tantum commercium cum eo nõ habeat, secus esset si quotidie ante oculos Patris sisteretur. Ex quo infertur citius obligari illos ad contritionem, vt sunt Sacerdotes, & religiosi, qui quotidie manent coram oculis æterni Patris, orando, recitando, &c. quam alij.

Septimum argumentum. Qui per infidelitatis actum fidem amisit, tenetur quam primum ad illã reuerti; ergo ille, qui per peccatum mortale amisit gratiam, & charitatem, tenetur quam primum per contritionem illam recuperare. Antecedens concedunt communiter omnes de fide tractantes, pro quo videri potest Sanchez lib. 2. præcept. cap. 1. Suarez de fide disput. 13. sect. 5. Consequentia tenet ex paritate rationis.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis est, quia maxima Deo irrogatur offensa, si ei dicenti, & asseueranti, statim non credatur; non sic, si statim non ametur; sicuti maxima Pontifici irrogaretur iniuria, si ei suum dictum sufficienter manifestatum non crederetur, sed in longũ illius dicti credibilitas differatur, nõ sic, si statim ac ab aliquo cognoscitur, non ametur. Vnde licet vtrũque præceptum, & fidei, & pœnitentiæ sit affirmatiuum, & suis solum obligent temporibus, vnum tamen temporum quo fidei præceptum obligat, est quando res fidei sufficienter manifestantur.

Octauum argumentũ, quod est secundæ sententiæ fundamentum, est tale. In diebus festis tenetur homo colere Deum; sed ad hoc status gratiæ requiritur; ergo &c. Maior patet. Minor probatur ex illo

illo Leuit. 23. *Sabatum requietionis est, affligetisque animas vestras, anima quæ non fuerit afflicta peribit.*

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; pręceptum namque cultus ab homine in mortali peccato existente adimpleri potest, vt docent Theologi. Ad illud Leuit. dicitur fuisse tunc temporis in aliquibus sabatis Iudæis pręceptum, faciendi pœnitentiam, sed quia tale pręceptum positiuum erat, pro tempore eo durauit, non modo.

Sed quæres primo, an ille qui est in periculo mortis, satisfaciat contritionis pręcepto, si actum dilectionis Dei super omnia eliciat? Aliqui affirmatiuè respondēt sed absolutè concedi non debēt, sed solum per accidens, si nimirum peccata memoriæ non occurrant, vt cum quis subito ad martyrium raperetur.

Quæres secundo an ille qui in mortis periculo cum sola confitetur attritione, satisfaciat pręcepto contritionis? Aliqui volunt quod non, eo quod teneatur tunc temporis sententiam sequi tutiorem, quæ est de confessione facienda cum contritione. Sed verius est post Tridentinum sess. 14. cap. 4. Confessionem cum attritione cognita esse sufficientem. Nec verum est teneri hominem sequi in nullo casu sententiam tutiorem, sed sufficit sequi tutam, & probabilem, dummodo probabilitas sit, non solum de valido, verum etiam de licito, vt alibi notauimus.

Quæres tertio, an quando quis grauissimis vrgetur tentationibus, vt credat se illas superare non posse, nisi per contritionem conuertatur in Deum, an ad id teneatur.

Respondetur affirmatiuè, tali supposita credulitate. Ratio est, quia licet ille talis absolutè, & simpliciter ad talem contritionis actum non teneatur cum alia non desint media ad tales superandas tentationes; eo tamen ipso, quod credit contritionis actum esse vnicum medium ad talem finem obtinendum con-

conſcientia obligat vt exequatur.

Quæres quarto, an in læthali exiſtens peccato, teneatur actum contritionis elicere tẽpore publicæ calamitatis, putà belli, peſtis &c. Reſpõdetur negatiuè, & ratio eſt, quia in his calamitatibus, mortis periculum licet reſpectu totius ciuitatis ſit grauæ, & vicinum, tamen reſpectu huius, vel illius, poteſt non iudicari vicinum, ſed remotum, & reſpectù ſingulorum moraliter diſtans; cenſebitur tamẽ periculum moraliter pręſens tempore peſtis, reſpectu illorum, qui infectis deſeruiunt, ſicuti & tempore belli, reſpectu illorum militum, qui ciuitatem aggrediuntur, cum horum reſpectu, mortis periculum non ſolum ſit commune, verum ſingulorum illorum proprium & non abſens, ſed moraliter preſens. Et hæc de pœnitentia virtute dicta ſufficiant. Die 8. Aprilis 1656.



DISPV-

DISPVTATIO TERTIA DE POENITENTIA SACRAMENTO

Quoad eius institutionem, & quidditatem.

VArijs nominibus fuit olim à Sanctis Patribus vocatũ hoc Sacramentum, ab aliqnibus nãque vocabatur Baptiſmus laborioſus, ab alijs manuũ impoſitio; ab alijs Sacramentum abſolutionis, ab alijs Sacramentum confeſſionis; à Scholaſticis tamen communiter Sacramentum Pœnitẽtiæ vocitatur; Et metito quidem; nam licet in hoc Sacramento omnia dicta ſuo modo intercedant, & potiſſimè abſolutio, & cõfeſſio, tamen principalius pro *Pœnitentia* hoc Sacramentum ſupponit; nam ſicut alia Sacramenta, non pro forma ſupponunt, ſed pro materia, ita & hoc. Vnde ſuſcipientes hoc Sacramentum *Pœnitentes* dicuntur. Non nego tamen quin etiam vocari poſſit Sacramentum confeſſionis, & abſolutionis; imo ſi aliquis vellet breuiuſculè hoc Sacramentum definire, vt facile eius definitionem in memoriæ armariolo conſeruare poſſet, hoc modo definire deberet, Sacramentum Pœnitentiæ, eſt *Sacramentum abſolutionis*, ita quod *Sacramentum* loco generis ponatur, in quo cum alijs cõuenit Sacramentis: & *abſolutionis* loco differentiæ, in quo ab alijs differt, eo nanque ipſo, quo dico *abſolutionis*, omnia, quæ ad

ad illam ponendam necessaria (vt materia remota, & actus pœnitentis) requiruntur, intelliguntur. Sed antequam ad hoc Sacramentum propius accedamus eius institutionem inuestigemus; sit ergo.

QVAESTIO I.

An Sacramentum Pœnitentiæ fuerit à Christo Domino institutum.

Ex septem Ecclesiæ Sacramentis nullum est, quod magis horreant hæretici quam Sacramentum pœnitentiæ; namque Cathari, seu Catharistæ (sic irronicè dicti) hoc Sacramentum negabãt, eo quod putabant homines semel per Baptismi Sacramentum mundatos, non posse amplius gratiam amittere, sed semper mundos, purosque manere. Eodem principio hoc Sacramentum negant Anabaptistæ, vt auctor est Lyndanus in Panoplia euangelica lib. 4. Nouatiani hoc idem negarunt Sacramentum, ex alio tamen principio, quia nimirum putabant pœnitentiæ locum nõ esse peccantibus post Baptismi receptionem.

Tandẽ Lutherani, & Caluinistæ negant hoc Sacramẽtum, quia putant omnino esse superfluum, cum vt ipsi volunt ad delenda peccata, quę post Baptismum committuntur, sufficiat eiusdem Baptismi memoria.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Pœnitentia illa, qua iuxta Ecclesiæ ritum, pœnitentes sua manifestant peccata Sacerdoti legitimo, cum debito dolore, & absolutione Sacerdotis eiusdem accedente, est verum Sacramentum à Christo Domino institutum.* Hæc conclusio est de fide, vt patet ex definitione Concilij Constantiensis sess. 15. Florentini in Decreto Eugenij. Et tandem Tridentini sess. 14. cap. 1. vbi dicitur:

citur: *Quoniam autem Deus, diues in misericordia, cognouit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati seruitutem, & dæmonis potestatem tradidissent. Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur.* Et can. 1. eiusdem sess. dicitur: *si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsis Deo recōciliandis, à Christo Domino nostro institutum: anathema sit.*

Probatur primò conclusio ex illis Christi Domini verbis Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Ex quibus verbis duo colliguntur, quæ ad rationem Sacramenti propriè dicti constituendam necessaria sunt; nimirum externus ritus, diuinitus, non humanitus institutus; & promissio gratiæ iustificantis, illi ritui annexæ; Sacramētum nanque duo ex necessitate habere debet, & quod sit symbolum, seu signum externum, practicè signans gratiam, & illam practicè causans, nisi obex ponatur, vt de Sacramētis in genere disp. 1. q. 1 & infra docuimus ex cōmuni Theologorum, & fidelium sēsu; ex illis autem verbis vtrunq; colligitur, & gratiam signari, & signatam effici; seu ex illis verbis colligitur, quod debeat dari aliquod sensibile, quod gratiā signat, & efficiat; quod sic ostendo; nam cum Christus Dominus in illis verbis potestatem dederit Apostolis remittendi peccata, debuit hoc facere medio aliquo signo externo, adhoc vt homines, qui corporei sunt, per illud intelligerent, sibi peccata remitti: quomodo nanque homines scire possent sibi peccata remitti, nisi medio aliquo sensibili, voce nimirum, vel signo aliquo externo? Potest id ipsum probari ex illo Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorū, & quodcunque solueris super terram erit solutum, & in cœlis, &c.* quo testimonio vtitur D. Thomas q. 87. ar. 7. ad probandam huius Sacramēti institutionem. Item D. Ambros. lib. 1.

lib. 1. *de Pœnit.* cap. 6. & 7. D. Aug. tract. 124 in Ioan. Relinquo varia hæreticorum responsa, quia facili negotio eneruari possunt.

Probatur secūdo, quia homo nō debet esse minus prouisus in spiritualibus, quam sit in naturalibus, atqui in naturalibus habet per quod vires deperditas restauret; ergo id ipsum habere debet in spiritualibus. Maior certa est, gratia nanque immitatur naturam, & perficit. Minor patet; nam videmus, quod post infirmitatem habet homo innatam virtutem per quam vires, per infirmitatem deperditas, restaurat. Consequentia ex præmissis benè sequitur. Certè ridiculum esset dicere hominem habere quo possit vires naturales deperditas recuperare, & non habere in via spirituali, quo possit easdem vires spirituales deperditas, restaurare? Et sicut id, per quod vitam primò acquisiuit spiritualem, fuit remedium sensibile diuinitus institutum; ita & remedium ad hanc vitam reparandam, signum sensibile esse debet ex Christi Domini institutione relictum.

Probatur tertio Christus Dominus prouidit de remedio sensibili, pro peccatis infidelium delendis, nimirum de Sacramento Baptismi, per quod infidelium peccata dimittuntur; ergo etiam conueniens fuit, quod prouideret fideles de aliquo remedio sensibili, per quod facile eorū peccata deleantur; hoc est Sacramentum pœnitentiæ, ergo &c. Antecedens est de fide: licet enim infideles potuissēt per actum contritionis, vel dilectionis iustificari, vt iustificabantur homines in lege antiqua, tamen remedium erat valde difficile, & conueniens erat, quod daretur remedium facile, per quod reciperent infideles suorum remissionem peccatorum, & fideles fierent. Ita pariformiter, licet fideles, qui gratiam amittunt baptismalem peccando, possent illam per contritionem perfectam, vel per dilectionem, similiter perfectam acquirere; tamen erat valde difficile, cum pauci sint, qui ad tales actus perfectos

pluralibus simul acceptis, siue sit genus, siue sit species, tres enim homines non sunt animal, sed animalia. Vnde cum tres partes pœnitentiæ non sint tres pœnitentiæ, sed vna, non potest esse quod sint partes subiectiuæ. Et sic patet Sacramentũ pœnitentiæ esse vnum specie infima, & solo numero plurificari; quomodo autẽ ille partes à Sacramento pœnitentiæ importentur, seu quomodo vnum constituant Sacramentum, explicabitur q. sequenti.

QVAESTIO II.

In quo Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter consistat.

ALij solent hanc quæstionem hoc modo proponere, quænam sint partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ: alij sic, pro quo pœnitentiæ Sacramentum supponat; sed in idem reddunt. Sunt de hac re variæ Theologorum sententiæ.

Prima sententia est, pœnitentiæ Sacramentum solam materiã essentialiter importare, non quidem remotam, sed proximam, & sunt actus pœnitentis, nempe contritio, siue perfecta, siue imperfecta, & confessio; Hanc sentẽtiam sequuti sunt plures ex antiquis, putantes in concretis artificialibus solam materiã esse essentialem, & in recto importari, formam vero in obliquo, & vt connotata.

Secunda sententia ex opposito docet, solam formam esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ, cõtritionem vero, & confesionem, solum requiri, vt quid præuium; satisfactionem vero, vt quid consequens. Hanc sententiam sequitur Doctor subtilis in 4. dist. 14. q. 4. & alij aliqui post ipsum.

Tertia sententia est, contritionem, cõfessionem, & absolutionem esse de huius Sacramenti essentia. Hanc sequuntur

quuntur

quuntur plerique moderni, præsertim Lugo hic dispu. 12. num. 20.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Sacramentum pœnitentiæ essentialiter solum dicit materiam, & formam, nempe confessionē, & absolutionem, licet in obliquo indispensabiliter connotet contritionem, siue perfectam, siue imperfectam; satisfactionem vero solum connotet, vt quid illatum, non quidem essentialiter, sed integraliter tantum.* Hæc est communis Theologorum sentētia cum D. Thoma hic q. 84. art. 1. ad 2. vbi dicit: *In pœnitentia est aliquid quod est Sacramētum tantum, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absoluentem; res autem, & Sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris, res autē tantum, & non Sacramentum, est remissio peccati, quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodāmodo causa tertij.*

Quibus verbis totam explicat conclusionem. Cum enim id solum ad essentiam pertineat Sacramenti, in quo consistit Sacramentum tantum, nimirū quod significat, & non significatur; & hoc per D. Thomam non contritioni conueniat, quia hæc est res, & Sacramentum simul; quia & significatur, & significat, significatur per confessionem, & absolutionem: significat, peccati remissionem; sed confessioni, & absolutioni, quia hæc significant, & non significantur, sequitur quod sola confessio, & absolutio sint essentialiter, & in recto Sacramentum, contritio vero solū vt connotatum indispensabiliter importatum requiratur. De satisfactione nulla est apud D. Thomam difficultas, cum luce clarius sit hanc Sacramētum supponere, & non nisi ad eius integritatem pertinere. Et ibidem Angelicus sequēti art. in corpore habet. *Duplex est materia scilicet proxima, & remota. sicut statua proxima materia est metallum, remota vero aqua; dictum est autem, quod materia proxima huius Sacramenti sunt actus pœnitentis, cuius materia sunt pecca-*

pluralibus simul acceptis, siue sit genus, siue sit species, tres enim homines non sunt animal, sed animalia. Vnde cum tres partes pœnitentiæ non sint tres pœnitentiæ, sed vna, non potest esse quod sint partes subiectiuæ. Et sic patet Sacramentũ pœnitentiæ esse vnum specie infima, & solo numero plurificari; quomodo autẽ illæ partes à Sacramento pœnitentiæ importentur, seu quomodo vnum constituant Sacramentum, explicabitur q. sequenti.

QVAESTIO II.

In quo Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter consistat.

ALij solent hanc quęstionem hoc modo proponere, quænam sint partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ: alij sic, pro quo pœnitentiæ Sacramentum supponat; sed in idem reddunt. Sunt de hac re variæ Theologorum sententiæ.

Prima sententia est, pœnitentiæ Sacramentum solam materiã essentialiter importare, non quidem remotam, sed proximam, & sunt actus pœnitentis, nempe contritio, siue perfecta, siue imperfecta, & confessio; Hanc sentẽtiam sequuti sunt plures ex antiquis, putantes in concretis artificialibus solam materiã esse essentialem, & in recto importari, formam vero in obliquo, & vt connotata.

Secunda sententia ex opposito docet, solam formam esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ, cõtritionem vero, & confessionem, solum requiri, vt quid præuium; satisfactionem vero, vt quid consequens. Hanc sententiam sequitur Doctor subtilis in 4. dist. 14. q. 4. & alij aliqui post ipsum.

Tertia sententia est, contritionem, cõfessionem, & absolutionem esse de huius Sacramenti essentia. Hanc sequuntur

quuntur plerique moderni, præsertim Lugo hic dispu. 12. num. 20.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Sacramentum pœnitentiæ essentialiter solum dicit materiam, & formam, nempe confessionē, & absolutionem, licet in obliquo indispensabiliter connotet contritionem, siue perfectam, siue imperfectam; satisfactionem vero solum connotet, vt quid illatum, non quidem essentialiter, sed integraliter tantum.* Hæc est communis Theologorum sentētia cum D. Thoma hic q. 84. art. 1. ad 2. vbi dicit: *In pœnitentia est aliquid quod est Sacramētum tantum, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absoluentem; res autem, & Sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris, res autē tantum, & non Sacramentum, est remissio peccati, quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodāmodo causa tertij.*

Quibus verbis totam explicat conclusionem. Cum enim id solum ad essentiam pertineat Sacramenti, in quo consistit Sacramentum tantum, nimirū quod significat, & non significatur; & hoc per D. Thomam non contritioni conueniat, quia hæc est res, & Sacramentum simul, quia & significatur, & significat, significatur per confessionem, & absolutionem: significat, peccati remissionem; sed confessioni, & absolutioni, quia hæc significant, & non significantur, sequitur quod sola confessio, & absolutio sint essentialiter, & in recto Sacramentum, contritio vero solū vt connotatum indispensabiliter importatum requiratur. De satisfactione nulla est apud D. Thomam difficultas, cum luce clarius sit hanc Sacramētum supponere, & non nisi ad eius integritatem pertinere. Et ibidem Angelicus sequēti art. in corpore habet. *Duplex est materia scilicet proxima, & remota. sicut statuæ proxima materia est metallum, remota vero aqua; dictum est autem, quod materia proxima huius Sacramenti sunt actus pœnitentis, cuius materia sunt pecca-*

pluralibus simul acceptis, siue sit genus, siue sit species, tres enim homines non sunt animal, sed animalia. Vnde cum tres partes pœnitentiæ non sint tres pœnitentiæ, sed vna, non potest esse quod sint partes subiectiuæ. Et sic patet Sacramentũ pœnitentiæ esse vnum specie infima, & solo numero plurificari; quomodo autẽ illæ partes à Sacramento pœnitentiæ importentur, seu quomodo vnum constituant Sacramentum, explicabitur q. sequenti.

QVAESTIO II.

In quo Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter consistat.

ALij solent hanc quęstionem hoc modo proponere, quænam sint partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ: alij sic, pro quo pœnitentiæ Sacramentum supponat; sed in idem reddunt. Sunt de hac re variæ Theologorum sententiæ.

Prima sententia est, pœnitentiæ Sacramentum solam materiã essentialiter importare, non quidem remotam, sed proximam, & sunt actus pœnitentis, nempe contritio, siue perfecta, siue imperfecta, & confessio; Hanc sentẽtiam sequuti sunt plures ex antiquis, putantes in concretis artificialibus solam materiã esse essentialem, & in recto importari, formam vero in obliquo, & vt connotata.

Secunda sententia ex opposito docet, solam formam esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ, cõtritionem vero, & confesionem, solum requiri, vt quid præuium; satisfactionem vero, vt quid consequens. Hanc sententiam sequitur Doctor subtilis in 4. dist. 14. q. 4. & alij aliqui post ipsum.

Tertia sententia est, contritionem, cõfessionem, & absolutionem esse de huius Sacramenti essentia. Hanc sequuntur

quuntur plerique moderni, præsertim Lugo hic dispu. 12. num. 20.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Sacramentum pœnitentiæ essentialiter solum dicit materiam, & formam, nempe confessionẽ, & absolutionem; licet in obliquo indispensabiliter connotet contritionem, siue perfectam, siue imperfectam; satisfactionem vero solum connotet, vt quid illatum, non quidem essentialiter, sed integraliter tantum.* Hæc est communis Theologorum sentẽtia cum D. Thoma hic q. 84. art. 1. ad 2. vbi dicit: *In pœnitentia est aliquid quod est Sacramẽtum tantum, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absoluentem; res autem, & Sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris, res autẽ tantum, & non Sacramentum, est remissio peccati, quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodãmodo causa tertij.*

Quibus verbis totam explicat conclusionem. Cum enim id solum ad essentiam pertineat Sacramenti, in quo consistit Sacramentum tantum, nimirũ quod significat, & non significatur; & hoc per D. Thomam non contritioni conueniat, quia hæc est res, & Sacramentum simul, quia & significatur, & significat, significatur per confessionem, & absolutionem: significat, peccati remissionem; sed confessioni, & absolutioni, quia hæc significant, & non significantur, sequitur quod sola confessio, & absolutio sint essentialiter, & in recto Sacramentum, contritio vero solũ vt connotatum indispensabiliter importatum requiratur. De satisfactione nulla est apud D. Thomam difficultas, cum luce clarius sit hanc Sacramẽtum supponere, & non nisi ad eius integritatem pertinere. Et ibidem Angelicus sequẽti art. in corpore habet. *Duplex est materia scilicet proxima, & remota. sicut statuæ proxima materia est metallum, remota vero aqua; dictum est autem, quod materia proxima huius Sacramenti sunt actus pœnitentis, cuius materia sunt pecca-*

pluralibus simul acceptis, siue sit genus, siue sit species, tres enim homines non sunt animal, sed animalia. Vnde cum tres partes pœnitentiæ non sint tres pœnitentiæ, sed vna, non potest esse quod sint partes subiectiuæ. Et sic patet Sacramentũ pœnitentiæ esse vnum specie infima, & solo numero plurificari; quomodo autẽ illę partes à Sacramento pœnitentiæ importentur, seu quomodo vnum constituant Sacramentum, explicabitur q. sequenti.

QVAESTIO II.

In quo Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter consistat.

ALij solent hanc quęstionem hoc modo proponere, quænam sint partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ: alij sic, pro quo pœnitentiæ Sacramentum supponat; sed in idem reddunt. Sunt de hac re variæ Theologorum sententiæ.

Prima sententia est, pœnitentiæ Sacramentum solam materiã essentialiter importare, non quidem remotam, sed proximam, & sunt actus pœnitentis, nempe contritio, siue perfecta, siue imperfecta, & confessio; Hanc sentẽtiam sequuti sunt plures ex antiquis, putantes in concretis artificialibus solam materiã esse essentialem, & in recto importari, formam vero in obliquo, & vt connotata.

Secunda sentętia ex opposito docet, solam formam esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ, cõtritionem vero, & confesionem, solum requiri, vt quid præuium; satisfactionem vero, vt quid consequens. Hanc sententiam sequitur Doctor subtilis in 4. dist. 14. q. 4. & alij aliqui post ipsum.

Tertia sententia est, contritionem, cõfessionem, & absolutionem esse de huius Sacramenti essentia. Hanc sequuntur

quuntur plerique moderni, præsertim Lugo hic dispu. 12. num. 20.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Sacramentum pœnitentiæ essentialiter solum dicit materiam, & formam, nempe confessionē, & absolutionem, licet in obliquo indispensabiliter connotet contritionem, siue perfectam, siue imperfectam; satisfactionem vero solum connotet, vt quid illatum, non quidem essentialiter, sed integraliter tantum.* Hæc est communis Theologorum sentētia cum D. Thoma hic q. 84. art. 1. ad 2. vbi dicit: *In pœnitentia est aliquid quod est Sacramētum tantum, scilicet actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absoluentem; res autem, & Sacramentum, est pœnitentia interior peccatoris, res autē tantum, & non Sacramentum, est remissio peccati, quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodāmodo causa tertij.*

Quibus verbis totam explicat conclusionem. Cum enim id solum ad essentiam pertineat Sacramenti, in quo consistit Sacramentum tantum, nimirū quod significat, & non significatur; & hoc per D. Thomam non contritioni conueniat, quia hæc est res, & Sacramentum simul, quia & significatur, & significat, significatur per confessionem, & absolutionem: significat, peccati remissionem; sed confessioni, & absolutioni, quia hæc significant, & non significantur, sequitur quod sola confessio, & absolutio sint essentialiter, & in recto Sacramentum, contritio vero solū vt connotatum indispensabiliter importatum requiratur. De satisfactione nulla est apud D. Thomam difficultas, cum luce clarius sit hanc Sacramētum supponere, & non nisi ad eius integritatem pertinere. Et ibidem Angelicus sequēti art. in corpore habet. *Duplex est materia scilicet proxima, & remota. sicut statua proxima materia est metallum, remota vero aqua; dictum est autem, quod materia proxima huius Sacramenti sunt actus pœnitentis, cuius materia sunt pecca-*

excitentur, ideo debuit illis de remedio facili prouidere pro suorum remissione peccatorum, quod est pœnitentiæ Sacramentum, in quo homo cum sola peccatornm attritione iustificatur. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est Caluini in sua Harmonia euāgelica ad cap. 20. S. Ioan. ad illa verba Christi Domini. *Accipite Spiritum sāctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Vbi dicit Caluinus, quod Christus Dominus per illa verba dedit tantū Apostolis potestatem prædicandi Euangelium, & annunciandi remissionem peccatorum à se factam; ergo non instituit aliquod Sacramentum, per quod peccata delerētur.

Respondetur falsum esse Christum Dominum non instituisse tunc temporis hoc Sacramētum; licet enim ante passionem illud promisisset, cum dixit Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorū, & quodcunque ligaueris super terram &c.* Et Matt. 18. *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram erunt ligata, & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlo.* Suam tamen promissionem fuit tantum exequutus post resurrectionem, quando Apostoli iam erant Sacerdotes creati ab eo, & pretium nostræ redemptionis omnino solutum, & solum restabat quod per sacramenta hominibus explicaretur.

Secundum argumentū hęreticorum; de Sacramenti ratione est, quod verbo constet, & elemento, iuxta illud Augustini, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; Sed in hoc catholicorum ritu, nullum interuenit elemētum, seu signum externum; nec Christus Dominus vllū præscripsit verbum, ergo &c.

Respondetur ex dictis, suū dari in hoc Sacramētum elementum, & verbum, vt ex sequentibus patebit magis; nec verum est, quod Christus Dominus nullum præscripserit verbum, cum ex huius Sacramenti institutione id expressè colligatur; cum enim hoc Sacramentum sit institutum per modum iudicij, in quo pœnitens partes agit, & rei,

&

& testis, & Sacerdos iudicis, sequitur, quod sicut in externo iudicio, iudex proferre debet sententiam, vel liberationis, vel condemnationis, ita id ipsum facere debet in interno, & secreto iudicio, & sic accedet verbum ad elementum, & fiet Sacramentũ. Et licet absolutionis verbum non ita expressè in sacris habeatur litteris, manifestè tamen, vt patet, colligitur, & ex perpetua habetur traditione, & Ecclesiæ praxi; sicuti hoc modo habemus formam Sacramenti Baptismi, & aliorum ferè cæterorum.

Maneat ergo hoc Sacramentum à Christo Domino fuisse institutum, non in statu innocentiæ, vt malè aliqui omnium Magistro Petro Lõbardo dist 22. attribuunt, cũ ibi loquatur non de Sacramento pœnitentiæ, sed de pœnitentia ipsa, quæ tunc tẽporis originem habuit cũ fuerit tunc primo Parenti infusa. Nec etiam in Paradiso, cum dixit Deus Adamo: *Adam vbi es?* vel quando quæsiuit à Cain: *Vbi est Abel frater tuus*: vel cũ dixit Iosue ad Achor: *filij da gloriã Deo Israel, & cõfitere, ac indica mihi quid feceris, ne abscondas*. Nec à D. Iacobo c. 5. cum dixit: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini*. Vel ab Ecclesia per generalem consuetudinẽ vt quidam dixerunt hæretici, vel in aliquo Concilio; sed vt dixi à solo Christo D. hoc Sacramẽtum institutũ fuit, licet per Apostolos, & per Diuum Iacobum fuerit expressius, & clarius promulgatum.

Sed quæres, an hoc Sacramentum sit vnum, vel plura? Aliqui dixerunt Sacramentũ pœnitentiæ esse vnum genere, & habere tres partes subiectiuas nempe cõtritionem, confessionem, & satisfactionem; Sed hos bene impugnat Doctor Angelicus 4. dist. 16. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. dicens. *Quidam dicunt quod sunt partes subiectiuæ, vno modo considerando pœnitẽtiam, secundum quod habet tantum rationem pœnæ, quia qualibet harum partium est priuatio quædam. Sed hoc non potest esse, quia totum vniuersale non prædicatur in singulari de suis partibus plura-*

pluralibus simul acceptis, siue sit genus, siue sit species, tres enim homines non sunt animal, sed animalia. Vnde cum tres partes pœnitentia non sint tres pœnitentia, sed una, non potest esse quod sint partes subiectiua. Et sic patet Sacramentũ pœnitentiæ esse vnum specie infima, & solo numero plurificari; quomodo autẽ ille partes à Sacramento pœnitentiæ importentur, seu quomodo vnum constituant Sacramentum, explicabitur q. sequenti.

QVAESTIO II.

In quo Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter consistat.

ALij solent hanc quęstionem hoc modo proponere, quænam sint partes essentiales Sacramenti pœnitentiæ: alij sic, pro quo pœnitentiæ Sacramentum supponat; sed in idem reddunt. Sunt de hac re variæ Theologorum sententiæ.

Prima sententia est, pœnitentiæ Sacramentum solam materiã essentialiter importare, non quidem remotam, sed proximam, & sunt actus pœnitentis, nempe contritio, siue perfecta, siue imperfecta, & confessio; Hanc sentẽtiam sequuti sunt plures ex antiquis, putantes in concretis artificialibus solam materiã esse essentialem, & in recto importari, formam vero in obliquo, & vt connotata.

Secunda sententia ex opposito docet, solam formam esse de essentia Sacramenti pœnitentiæ, cõtritionem vero, & confesionem, solum requiri, vt quid præuium; satisfactionem vero, vt quid consequens. Hanc sententiam sequitur Doctor subtilis in 4. dist. 14. q. 4. & alij aliqui post ipsum.

Tertia sententia est, contritionem, cõfessionem, & absolutionem esse de huius Sacramenti essentia. Hanc sequuntur

quuntur plerique moderni, præsertim Lugo hic dispu. 12. num. 20.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Sacramentum pænitentiæ essentialiter solum dicit materiam, & formam, nempe confessionē, & absolutionem, licet in obliquo indispensabiliter connotet contritionem, siue perfectam, siue imperfectam; satisfactionem vero solum connotet, vt quid illatum, non quidem essentialiter, sed integraliter tantum.* Hæc est communis Theologorum sentētia cum D. Thoma hic q. 84. art. 1. ad 2. vbi dicit: *In pænitentia est aliquid quod est Sacramētum tantum, scilicet actus exterius exercitus, iam per peccatorem pænitentem, quam etiam per Sacerdotem absoluentem; res autem, & Sacramentum, est pænitentia interior peccatoris, res autē tantum, & non Sacramentum, est remissio peccati, quorum primum totum simul sumptum est causa secundi; primum autem, & secundum sunt quodāmodo causa tertij.*

Quibus verbis totam explicat conclusionem. Cum enim id solum ad essentiam pertineat Sacramenti, in quo consistit Sacramentum tantum, nimirū quod significat, & non significatur; & hoc per D. Thomam non contritioni conueniat, quia hæc est res, & Sacramentum simul, quia & significatur, & significat, significatur per confessionem, & absolutionem: significat, peccati remissionem; sed confessioni, & absolutioni, quia hæc significant, & non significantur, sequitur quod sola confessio, & absolutio sint essentialiter, & in recto Sacramentum, contritio vero solū vt connotatum indispensabiliter importatum requiratur. De satisfactione nulla est apud D. Thomam difficultas, cum luce clarius sit hanc Sacramētum supponere, & non nisi ad eius integritatem pertinere. Et ibidem Angelicus sequēti art. in corpore habet. *Duplex est materia scilicet proxima, & remota. sicut statuæ proxima materia est metallum, remota vero aqua; dictum est autem, quod materia proxima huius Sacramenti sunt actus pænitentis, cuius materia sunt*

pecca-

peccata, de quibus dolet, & quæ confitetur, & pro quibus satisfacit. Vnde relinquitur quod materia remota pœnitentiæ sint peccata, non acceptanda, sed detestanda, & destruenda. Cũ autem sacramenta rebus, & verbis constare debeant, tanquam ex materia, & forma, vt de Sacramentis in genere disput. 2 q. 1. fusè docuimus, sequitur quod ad Sacramenti pœnitentiæ essentiam pertinere debeat, & cõfessio quæ est pœnitentis actus, tanquã materia; & absolutio, quæ est actus ministri huius Sacramenti, tanquam forma. Videatur sanctus Doctor 4. cõtra Gent. cap. 72. vbi doctrinam traditam elegantissimè explicat.

Quod vltra confessionem, & absolutionem requirantur ex parte pœnitentis etiã contritio siue perfecta, siue imperfecta, & satisfactio docet Tridentinum sess. 14. can. 4. vbi dicitur: *si quis negauerit ad integram, & perfectã peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti pœnitẽtiæ, videlicet contritionem, cõfessionem, & satisfactionem, quæ tres partes pœnitentiæ dicuntur, &c. anathema sit.*

Quod autem contritio explicata debeat de necessitate supponi, admittunt omnes, & benè, quia cum hoc Sacramentum sit institutũ per modum iudicij, seruare debet iudicij humani conditiones, inter quas vna est, quod reus signum aliquod doloris ostẽdat de patrato delicto si enim cognosceretur voluntatẽ habere obstinatam, & complacentiam de delicto commisso, non fieret ei remissio, quin potius tãquam illa indignus, iuxta iuris rigorem puniretur. Ita similiter in hoc Sacramẽti pœnitentiæ iudicio, requiritur, quod reus (si vult absolutoriam recipere sententiã) aliqua doloris signa ostendat &c.

Quod autem satisfactio nõ nisi vt connotatum integrale requiratur, patet, quia sicut in iudicio externo pœnæ, vel mulctæ impositio de necessitate non requiritur, sed sine illa perfici potest, imò aliquãdo perficitur. Ita & in nostro iudicio, talis pœnæ, vel satisfactio-

factionis impositio nõ requiritur, sed sine illa perfici potest, & aliquando perficitur, vt in mortis articulo cõtingit.

Quod modo explicata cõtritio non sit huius Sacramẽti pars essentialis, nec importetur in recto, nec pro illa pœnitentiæ Sacramentum supponat, rationibus agendo, sic contra Lugum ostendo.

Prima ratio, ex analogia huius Sacramenti ad iudiciũ externum, desumpta, quam ille auctor, & alij omnes admittunt, sic efformatur. Illæ sunt partes essentiales, & in recto importatæ sacramenti pœnitentiæ (quod est quoddam spirituale iudicium) quæ sunt tales in iudicio externo; sed in iudicio externo partes essentiales sunt solũ rei accusatio, & iudicis sententia, & non dolor rei de commisso delicto; ergo id ipsum dici debet de iudicio pœnitentiali. Maior docetur ab omnibus, & colligit Ecclesiæ traditio, & communis sanct. Patrum sensus, ex illo Ioan. 20. *quorũ remiseritis peccata remittuntur eis.* Vbi vt definit Tridentinũ sess. 14. can. 3. Christus Dominus hanc potestatem iudicãdi, & relaxandi peccata, dedit Sacerdotibus, tanquam iudicibus. Minor etiam satis clara videtur; nam in tantum rei accusatio, vel criminis manifestatio in externo iudicio requiritur, in quantum hoc necessarium est, adhoc vt iudex sententiam proferat; nõ enim potest iudex iuridicè sententiam proferre, de eo quod ignorat; imò nec de eo, quod solus ipse iudex, tãquam persona priuata vidit, vel probè nouit, sed debet in delicti notitiam deuenire, per notitiam sibi tanquam iudici intimatã; Atqui in ordine adhoc, est perinde quod reus de proprio doleat delicto; ergo &c.

Nonne potest iudex reum absoluere, etiamsi de delicto non doleat, vel complacentiam habeat? Certè nullus iudex punit reum, quia complacentiam de patrato delicto habet, sed quia legis trãsgressor fuit, & ad rectam reipublicæ gubernationem, & conseruationẽ pertinet, quod delicta puniãtur, vt sic homines ab illis patrandis arceantur,

tur, nil prorsus curando, præsertim quoad iudicij essentiã, quod reus habeat, vel nõ habeat delicti patrati complacentiam. Vnde si quis delicti fingeret displicentiam, & ob id à iudice absolueretur, certè benè absolutus esset, quod non contingeret iuxta sensum Luganæ sententiæ.

Secunda ratio. Illud pertinet intrinsecè, & essentialiter, & in recto ad Sacramentum pœnitentiæ, quod est intrinsecè, & essentialiter, & in recto sensibile; sed contritio secundum se non est talis; ergo intrinsecè, & essentialiter, & in recto ad essentiam Sacramenti pœnitentiæ non pertinet. Maior clara est per dicta de Sacramentis in genere disput. 1. q. 1. & 2. vbi ostendimus, quod licet possit Deus aliquod instituere Sacramentum, quod esset signũ insẽsibile, de facto tamen omnia sacramenta sũt symbola, seu signa sensibilia rei sacræ, nempe gratiæ sanctificantis. Minor etiam clara est; nam contritio cum sit actus volũtatis nequit esse de se, & in recto sensibilis, sed solum fieri potest sẽsibilis per aliud.

Confirmatur hoc argumẽtum, quia id quod est Sacramentum, & res sacramenti, seu quod significatur, & significat, non potest esse in recto ipsum Sacramentum; sed contritio est res, & Sacramentum; ergo nõ potest esse ipsum sacramentum, vel pars essentialis illius in recto importata. Maior ex se clara videtur, nã in sacramentis omnibus, sacramentum tantum distinguitur à Sacramento, & re sacramenti per hoc quod significat, & non significatur, non enim implicat quod vna & eadẽ res solum significet, & non significetur, & quod significet, & significetur. Minor est D. Thomæ in primo testimonio relato, & est communis sensus Theologorum, & ipsius etiam Lugonis; ergo.

Tertia ratio: nõ potest esse minus sensibilis forma sacramenti pœnitentiæ, quam sit materia eiusdem; sed forma est omnino sensibilis formaliter, & in recto, solum in obliquo, & connotatiuè afferre habet insensibilitatem, scilicet potestatem, & intentionem,

nem; ergo etiam id ipsum de eius materia dici debet. Maior est clara in Philosophia; vniuersaliter nanq; videmus in compositis omnibus siue physicis, siue artificialibus, seu artefactis, formam semper esse materia ipsa abstractiorem, & ratio ipsa id dictat, tum quia à forma, specifica desumitur vnitas, à materia numerica, species autem abstractior est indiuiduis. Tũ quia forma limitando materiæ potẽtialitatem illam eleuat, & perficit; at vero materia contrahendo formam, illã deprimit. Minor luce clarior est, nec hucusque aliquis dixit formam huius, nec aliorũ sacramentorum in recto, & essentialiter aliquid spirituale, & insensibile importare, sed solum supponere.

Quarta ratio; si contritio, seu dolor de peccatis intrinsecè, & essentialiter, & in recto requireretur ad pœnitentiæ sacramentum constituendum, maximè quia confessio, quæ est pars intrinseca, sine eo solueri non potest; atqui hæc ratio est nulla; ergo &c. Maior ab aduersarijs admittitur, vt videre est apud Lugum num. 21. cum enim de huius sacramenti essentia sit, quod confessio sit dolorosa, & hæc sine dolore saluari nõ possit, sequitur, contritionem in tantum intrinsecè ad Sacramenti pœnitentiæ constitutionem pertinere, in quantum sine illa confessio saluari non potest. Minor ostenditur, quia si ob hanc rationem contritio ad Sacramentum pœnitentiæ intrinsecè pertinet, sequitur quod etiam peccata quæ cõfitentur ad idem pœnitentiæ Sacramẽtum intrinsecè pertineant; non enim minus esse potest confessio sine dolore, ac sine peccatorũ narratione, imò hæc magis intrinsecè ad confessionem pertinet, quam dolor, cum hic ab illa valeat separari, secus peccatorum narratio.

Respondet Lugo, quod physicè loquendo negari non potest, quin prętęritio peccati aliquo modo intret in obliquo ad constituendum Sacramentum hoc, vt omnino conuincere videtur argumẽtum. Sed hæc solutio est contra eundem auctorem; cum

enim ipse velit peccatū prę-teritum nō esse nisi quid morale, contra se loquitur dum dicit physicè pertinere ad huius Sacramenti constitutionem. Sed quidquid de hoc sit, aliter impugnatur illa solutio, nam Tridentinum sess. 14. cap 3. ita loquitur: *Sunt autem quasi materia huius Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramēti ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionē ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Sanè vero res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet reconciliatio est cum Deo, &c.* Vbi vt vides Concilium non alias partes componentes hoc Sacramētum ex parte pœnitentis vult esse, nisi contritionem Confessionem, & satisfactionem; imò manifestè docet peccata non aliter adhoc Sacramentum pertinere, nisi vt effectus illius, seu nisi prout per illud destruuntur, vt ex vltimis verbis citatis colligere liquet.

Respondet ille, quod dum Concilia assignāt illos tres actus pro materia pœnitentię, præsertim confessionem, in obliquo assignant peccata, cum confessio sine peccatis veris esse non possit. Sed vt hanc solutionem falsitatis euincamus nota ex D. Thoma supra in secundo testimonio relato, quod peccata sunt quidem materia huius Sacramenti, sed remota, & actus pœnitentis proxima, rursus quod peccata non sint quoquomodo Sacramenti pœnitētię materia remota, sed destruenda, nō acceptanda, non compones: Hoc posito, sic datam impugno solutionem: ex mente Conciliorum, & Sanctorum Patrum, peccata sunt materia destruenda, & detestanda in pœnitentiæ Sacramento; ergo non possunt esse materia componens illud, etiam in obliquo. Antecedens patet ex se, & ex ipsa iudicij natura, vbi rei peccata, & delicta, sunt materia punienda, & hoc modo ad iudiciū pertinent, non materia iudicium ipsum componens. Consequentia etiam videtur clara

nam

nam implicat eandem materiam respectu eiusdem iudicij esse materiam destruēdam, & componendam, alioqui idem tenderet in sui ipsius destructionem; aliud nanque est rei confessionem esse iudicij partem, & aliud est, ipsum delictum confessum, esse eiusdem iudicij partem, etiam in obliquo importatam, cum delictū non confiteatur, vt iudicium componat, sed vt per ipsum destruatur, vel puniatur. Non affero argumentum in fauorem sententiæ Luganæ, quia nulla sunt, & si quod fieri potest, ex dictis facile solui poterit; possunt afferri aliqua argumenta, quæ aliquam præseferunt apparentiam, in fauorem secūdæ sententiæ, quæ tenet solum absolutionē esse de huius Sacramenti essentia.

Primum argumentum est, quia in alijs Sacramētis actus suscipientis ad Sacramēti essentiam non pertinet; ergo neque in hoc Sacramēto pertinebunt, ac subinde sola absolutio, quæ est ministri actus, huius sacramētis essentia erit.

Respondetur transeat antecedens, quia fortè potest esse difficultas de Sacramēto Ordinis, an nimirū eius materia proxima sit sola Episcopi traditio, an etiam ordinati receptio. Deinde negatur Cōsequentia; ratio discriminis est, quia hoc Sacramentum, vt ex dictis liquet, est institutum per modum iudicij, ad cuius essentiam non solum iudicis sententia, vt forma requiritur, verum etiam delicti manifestatio, vt materia.

Secundum argumentum, quod ex præcedenti infertur est, quia si Sacramentum pœnitentiæ coalesceret etiam ex cōfessione tamquam ex materia proxima, & essentiali, sequeretur, quod & huius Sacramenti gratia, & peccatorum remissio, non esset in virtute clauium, non esset à Sacerdote solum, sed etiam à pœnitente; & sic de ipso pœnitente, secundum quod huius Sacramenti proximā exhibet materiam, dici posset, quod sibi gratiam causet Sacramentalem, quod sibi peccata remittat, quod sibi pœnitentiæ Sacramētum administret; hæc omnia videntur falsa, & à sensu, & communi lo-

loquẽdi modo fidelium aliena; ergo.

Respondetur negari non posse confessionem pœnitentis, nõ concurrere etiam, tanquam partem minus principalem (per modum scilicet materiæ) ad gratiam in ipso pœnitente causandam, quia tamen totum hoc fit in virtute clauium, in virtute potestatis, quam habet Sacerdos ad delenda peccata; ideoque non dicitur pœnitens in se ipso gratiã causare; sibi peccata remittere, sicut nec dicitur se ipsum absoluere; sed solum concurrere dicitur vt præbens materiam, quæ simul cum forma tanquam cũ potiori, & nobiliori parte cõcurrat ad componendum pęnitentiæ Sacramentum, quod habet hæc munia præstare in virtute tamen clauium, quæ in ipso Sacerdote, tanquam in Christi Domini ministro reperiuntur.

Tertium argumentum est, quia in veriori, & cõmuniori D.Thomæ, & Thomistarum sententia, quam nos de Sacramentis in genere fusè defendimus, nouæ legis Sacramenta instrumentaliter physicè gratiam causant in suscipiente, sed pœnitens per cõfessionem, gratiam in se ipso, eo modo instrumentaliter nõ causat; ergo &c. Minor videtur clara ex communi fidelium sensu. Respõdetur quod licet actus nostri præcisè gratiam physicè non causent, illã tamen causant, vt sunt partes Sacramenti, vt dictum est, & nisi aliunde ponatur ob ex.

Circa satisfactionem quã diximus esse partem dumtaxat integralem Sacramenti pœnitentiæ, vnum occurrit breue dubiolũ, an nimirum debeat esse sensibilis, ita quod teneatur Confessarius imponere satisfactionem sensibilem, an vero possit etiam imponere satisfactionem insensibilem, vt v.g. quod quis oret per tantum tempus mẽtaliter, quod recitet vnũ Miserere mentaliter &c. Aliqui cum Alense 4. p.q.84. mem. 2.art.1. Almaino 4. dist.15.q. 1. dicunt satisfactionem debere esse per se sensibilẽ, nec posse esse aliquid mentale: Verius tamen respondetur cũ alijs satisfactionem posse esse aliquid

aliquid ſpirituale,& mentale, quod ſufficiẽter fiet ſenſibile per ipſam Sacerdotis impoſitionem , & pœnitentis acceptationem. Et meritò quidem quia cum ſatisfactio nõ ſit pars eſſentialis huius Sacramenti,ſed integralis dumtaxat, non eſt neceſſe, quod ſit in ſe formaliter, & in recto ſenſibilis, ſed ſufficit quod ſit aliquo modo talis, vt proportionaliter de contritione, ſeu dolore theologizati ſumus.

QVAESTIO III.

Quænam ſit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

PRæcedẽti quæſtione materiam huius Sacramẽti proximam explicuimus, quę eſt ipſius pœnitentis actus, modo explicato, licet enim rigorosè loquendo ſola confeſſio ſit huius Sacramẽti materia proxima, tamen etiam contritio requiritur,tanquam quid in obliquo importatum; & ſatisfactio tanquam quid illatum; ideoque de ſola materia purè remota, non quidẽ amplectenda,ſed inſectanda, ſed deſtruenda,ſed deteſtanda, præſens procedit quęſtio.

Pro quo nota ex D. Thoma art. 2. q. 84. rei materiam duplicem diſtingui poſſe, vnã ex qua, quæ totius ingreditur compoſitionem, vt lignum, æs,&c. reſpectu ſtatuæ; alteram circa quam, ars,ſcientia, vel artifex occupatur,vt infirmitas tollenda reſpectu Medici,vulnus curandum reſpectu Chirurgi, coloratum reſpectu viſus, quæ in præſenti difficultate remota materia vocatur.Idem Angelicus 1.2. q.55.art.4.aliam aſſignat materiam, nempe in qua, & eſt ſubiectum in quo talis res exercetur, & in præſenti, pœnitens ipſe, materia in qua dicetur, cum pęnitentia in ipſo ſubiectetur.

Conueniunt ergo Thologi materiam ex qua pœnitentię Sacramentum componitur, eſſe pœnitentis actus,vt quęſtione præcedenti explicuimus,

mus, & formam huius compositi esse absolutionem, vt quæstione sequenti dicetur. Difficultas præsens solũ procedit de materia circa quam, seu remota Sacramenti pœnitentiæ, de qua,

Dico primo. *Materia circa quam, seu remota Sacrementi Pœnitentiæ est actuale peccatũ post Baptismum commissum.* Est omnium Catholicorum sentententia, pro qua videri potest D. Thomas art. 2. citato in corpore, & in solutione ad tertium.

Probatur primo: illa est materia remota, seu circa quam, Sacramenti pœnitentiæ, circa quam destruendam hoc Sacramentum occupatur; Atqui hoc sacramentum occupatur in destruendo peccato actuali post Baptismum commisso; ergo. Maior ex dictis patet. Minor probatur, quia, vt benè aduertit D. Thomas citatus, peccatum originale ad hoc non pertinet sacramentum, sed est materia per Baptismum destruenda.

Probatur secundo: illa est materia huius sacramenti remota, quæ hoc sacramentum non componit, sed per ipsum destruitur, per potestatem à Christo Domino datã; atqui Christus Dominus solum dedit Sacerdotibus potestatem destruendi peccata post Baptismum commissa; ergo sola hęc sunt huius sacramẽti materia remota. Minor in qua est difficultas probatur; nã Io. 20. talis datur potestas Sacerdotibus remittẽdi peccata, qualẽ promiserat Christus Matt. 18. Atqui hoc loco Matthæi solum promiserat dare facultatem dimittendi peccata fidelium, de illis nanque solũ loquebatur, vt colligere liquet ex illo verbo *dic Ecclesiæ*; ergo. Tũ quia, vt docet D. Thomas supra, pœnitere est eorum quæ nostra voluntate commisimus, peccatum autẽ originale non est sic: Vnde licet possimus originale peccatum detestari, in quantum nos Dei constituit inimicos, vt faciebat Dauid cum dicebat psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, non tamen est huius Sacramenti materia remota, seu circa quam cum sub nostra

ſtra non cadat retractatione; ſed ſolum eſt materia remota ſacramenti Baptiſmi, ſicut & omnia alia peccata, quæ ante ipſum Baptiſmum committuntur.

Dico ſecundo *inter peccata actualia, quæ poſt Baptiſmũ cõmittuntur, peccata mortalia ſunt materia neceſſaria, venialia vero ſufficiens.* Eſt de fide, vt videre eſt in Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. Ratio eſt quoad mortalia, quia Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituendo, voluit, quod ſolum per illud, vel per ordinem ad illud baptizaturum peccata dimitterentur; vnde ſi quando per contritionem perfectam, vel dilectionem dimittãtur, remaneat obligatio illa ſubijciendi huic ſacramento. Ratio vero quoad venialia eſt; quia in illis vera offenſæ ratio reperitur, vt ſupra oſtendimus; ob idque diximus, venialia eſſe propria, licet non neceſſaria pœnitẽtiæ virtutis materia; ita pariter ob eandem rationem ſunt propria pœnitentiæ ſacramẽti materia, licet non neceſſaria; ſolum enim primariò eſt hoc ſacramentum inſtitutum pro mortalibus delendis; cũ ſit ſecunda poſt naufragium tabula, deinde etiam pro venialibus.

Dico tertio *peccata ſiue mortalia, ſiue venialia ſolum quoad rationem culpæ, ſunt huius Sacramenti materia remota, non vero quoad reatum pœnæ, licet ſecundario, & ratione remiſsionis culpæ, etiam pœna æterna in mortalibus remittatur*; ratio clara eſt, quia illa eſt primariò materia huius ſacramẽti remota, ſuper quam primariò cadit abſolutio, ſed ſed hæc primariò cadit ſupra culpam; ergo hæc primariò, & per ſe primò eſt huius ſacramenti materia remota, ob idque diximus quęſtione prę-cedenti ſatisfactionem eſſe dumtaxat partem huius Sacramenti integralem, cũ hæc ad pœnæ tendat deletionẽ, vt poſtea dicetur.

QVAESTIO IV.

Quænam sit Sacramenti Pœnitentiæ legitima forma, vbi aliæ difficultates resol. uuntur.

EXplicata vtraque huius sacraméti materia, proxima nimirum, & remota, formam illius explicemus oportet. Pro cuius explicatione nota in hoc cõuenire omnes, qui hoc admittunt sacramentum, vti sunt fideles omnes, quod huius sacramenti forma, sit iuridica à peccatis absolutio, præscindendo ab hoc, quod sit, vel non sit verbalis, ita docent Scholastici omnes, cũ Magistro, & Theologi cum D. Thoma hic q. 48 art. 3. & docet Tridentinum sess. 14 cap. 6. vbi habet. *Quãuis autem absolutio Sacerdotis, alieni beneficij sit dispẽsatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed instar actus iudicialis, quo ab ipso, velut à iudice sententia pronunciatur.*

Conueniunt etiam omnes hanc iuridicam peccatorum absolutionẽ debere esse verbalem, licet P. Suarez hic pro opposita sententia referat Paludanũ, Petrũ Soto, Syl. Nauarum, & alios, dicentes absolutionem fieri posse signis, nutibus &c. quos ab hac P. Suarez censura liberat viros hos omnino catholicos, Didacus Nugnus, cum non sit credibile tales tantosque viros doctissimos, & sapientissimos Concilij Florẽtini ignorasse definitionem in decreto super vnionem Græcorum, & Armenorum, statuentis huius sacramenti formam esse illa verba, quæ profert Sacerdos, *ego te absoluo*; est etiam hæc veritas definita in Tridentino sess. 14. cap. 3. vbi dicitur: *Docet præterea sãcta Synodus, Sacramenti pœnitẽtiæ formam, in qua præcipuè eius vis sita est,*

est, in illis ministri verbis positum esse : ego te absoluo.

Sed dices primò, quia hoc sacramentum per modum iudicij institutum est, atqui iudicium humanum saluari essentialiter potest per sententiam signis, & nutibus prolatam; ergo hoc idem de hoc spirituali iudicio dicendum erit. Respondetur esse quidē hoc Sacramentum per modū iudicij institutum, sed specialem habet absolutionis formam, vt quandoque in alijs etiam præscribitur iudicijs; si enim princeps statuere potest in suis iudicijs specialem formā seruādam, quare id ipsum non potuit facere Christus? imò & de facto fecit, vt ex Concilijs, & PP. & ex perpetuo Ecclesiæ vsu, constat.

Dices secundò: accusatio in alijs iudicijs, imò, & in hoc scriptis fieri potest; ergo etiā absolutio. Respondetur ex dictis negando consequentiā, expressior nanque significatio in forma requiritur, quam in materia requiratur sacramentorum. Et licet in matrimonio signa, & nutus sufficiant, non tamen in alijs sacramentis, vt constat ex perpetuo Ecclesiæ vsu, quæ nutibus non baptizat, nec Sacerdotes consecrāt, &c. ratio autem ob quam nutus, & signa in matrimonio sufficiant, est specialis huius sacramenti ratio, quia nimirum, est contractus humanus, in quo verba solum requiruntur, vt internus exprimatur consensus, qui cum sufficienter alijs modis exprimi possit, quam per verba, sine istis fieri potest, nec voluit Christus ad verba hoc sacramentum coarctare, ne aliquis habilis ad humanam propaginem excluderetur, vt sunt muti. His positis: præsentis quæstionis difficultas ad hoc reuocatur, vt videamus quænam verba essētialiter requirantur ad huius sacramenti essentiam.

Rituale Romanum sequētia præscribit verba *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen.* Deinde Sacerdos eleuata manu dextera dicit: *Dominus N. I. Christus te absoluat & ego &c.* Deinde, *ego te absoluo à peccatis tuis in nomine*

Patris, & Filij &c. Postea subiungit. *Passio Domini N. Iesu Christi &c.* Est certum apud omnes illa verba *Misereatur tui &c.* Dominus noster &c. quæ dicuntur ante absolutionis formam; & illa alia quæ dicuntur post absolutionem, nimirum passio D.N.I.C. etiã sine peccato veniali relinqui posse; cum vt docet Tridentinum sess. 14. cap. 3. solum *laudabiliter adiungantur de Ecclesiæ more.* de reliquis verbis nempe, *ego absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, est aliqua inter Theologos difficultas. Nam Durandus in 4. dist. 22. q. 2. vult omnia illa esse necessaria. Gab. dist. 14. q. 2. vult ista esse necessaria: *ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis.* Sed Rituale Romanum illam particulam *ab omnibus* abstulit, cum contingere possit, imò frequenter contingat, quod quis de venialibus non doleat, vel non de omnibus. Alij volunt omnia ista verba esse necessaria *ego absoluo te à peccatis tuis*. Alij ex opposito volunt sufficere verbum *absoluo*; vnde si quis, sit in periculo mortis, & deberet absolui à censura, & peccatis posset Sacerdos illud verbum proferre cum intentione absoluendi prius à censura, deinde à peccatis, ita tenere videtur Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. §. postremũ tèdem dubium, & aliqui alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Legitima, & essentialis sacramenti pœnitentiæ forma, est *Absoluo te*, est communis. Habetur in Tridentino sess. 14. cap. 3. Illam docet D. Thomas, & omnes Theologi hic q. 84. art. 3.

Probatur ratione qua vtitur D. Thomas loco mox citato, quia illa est forma cuiuscunque sacramenti, quæ habet significare, id quod fit in illo; sed ista verba *te absoluo* significant id quod fit in hoc sacramẽto; ergo hæc est sufficiens forma huius sacramẽti. Maiorem probat Angelicus inductione facta in alijs sacramentis; quia enim in Baptismo fit animę ablutio, ideo dicitur; *te baptizo* &c. Et quia in Confirmatione dãtur spirituales vires ad fidem

con-

constanter sustinendam, propterea eius forma est, *consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, &c.* ergo cum id quod fit in hoc sacramento sit peccatorum absolutio, eius forma sufficiens erit: *Absoluo te*. Licet enim hæc verba applicari possint ad plures absolutiones, quæ fieri possunt, tamen posita peccatorum confessione, & alijs circonstantijs, sufficienter determinantur ad peccatorum absolutionem significandam. Vnde persona ministri sufficienter exprimitur per verbum, *Absoluo*: persona pœnitentis per particulã *te*: materia remota, nempe peccata à quibus pœnitens absoluitur, per eadem verba, secundum quod in hijs circõstantijs proferuntur &c.

Sed quæres primo, quale peccatum sit relinquére illas particulas *ego*, & *à peccatis tuis*: omnes magis communiter dicunt, non esse peccatũ mortale illas relinquere; plures tamen volunt esse veniale; ego dicerem, illum non peccare venialiter per se loquẽdo, qui diceret *absoluo te à peccatis tuis*, secus si solum diceret *absoluo te*, cum sit cõtra communem Ecclesię praxim, licet non videatur esse in materia grauis.

Quæres secundo, an hæc forma pronunciari debeat modo enunciatiuo, vel deprçcatiuo? Respondeo cum D. Thoma loco citato, & opusc. 15. debere proferri enũciatiuè, & si aliter proferatur, absolutio erit nulla. Vnde si quis dicat *Absoluat te Christus, vel Deus*, vel *absoluaris à Deo*; vel (vt quidam confessarius ignarus dicebat *Dominus noster Iesus Christus te absoluat in nomine Patris, & Filij &c.* Qui dum illum corriperem, pertinaciter dicebat illã formulam esse sufficientem pro venialibus, non pro mortalibus) absolutio est nulla. Ratio D. Thomæ est, quia Sacerdos in hoc sacramento est iudex; iudex autem non profert sẽtentiam deprecatoriè, sed absolutoriè. Quod si dicas in sacramento extremæ vnctionis, forma est deprecatiua; ergo etiam in hoc sacramẽto. Respondet D. Thomas opusc. citato: *seruatur autem hoc*

pro-

propter auctoritatẽ sacræ Scripturæ: dicitur enim Iacobi 5. *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit: remittentur eis. Vbi etiam ratio huius singularis obseruantiæ assignari videtur. In alijs enim sacramentis nihil corporaliter agitur, quod non statim ex operatione ministri sequatur; sic statim in baptismo fit ablutio corporalis, quæ spiritualem designat, & sacramentaliter causat. Sanatio autem corporalis non statim sequitur ex vnctione, sed petitur præstanda à Deo. Vnde & interior sanatio, quæ per eã signatur sub deprecatione à Domino deposcitur. In sacramento autem pœnitentiæ verba scripturæ, quæ maximè sunt sectanda non faciunt mentionẽ de aliqua deprecatione, sed magis verbo indicatiuo vtitur. Non enim dicit: Quæcunque petieris esse soluenda erunt soluta, sed quæcunque solueris erunt soluta.* Hæc D. Thomas. Esset tamen valida absolutio si reuerentiæ causa dicas, absoluo Dominationem vestrã, Sanctitatem vestram, Maiestatem vestram, &c. Quia forma hæc non est deprecatoria, sed absoluta. Similiter est valida per verba æquiualentia, vt si quis dicat remitto tibi peccata tua, relaxo peccata tua &c. videantur quæ diximus de Sacrameutis in genere disput. 2. q.3. & 4. Sed Ecclesiæ ritus semper seruandus est.

Queres 3. an forma absolutionis dari possit in sensu imperatiuo, vt dicendo. *Absoluaris, vel absoluatur Petrus &c.* Similiter si dicatur volo absoluaris, placet te absolui? Et respondeo affirmatiuè ratio est, quia illa absolutionis forma est sufficiens ad valorem Sacramenti, quibuscunque verbis proferatur, quãdo per illam actus iudicis, sententiã decisiuam proferentis, quo pœnitens à peccatis soluatur, sufficienter significatur, atqui totum hoc soluatur in verbis illis imperatiuis; dum nanque dico *absoluaris* & persona ministri implicatur, & virtualiter ibi exprimitur persona quæ absoluitur; cum idem sit dicere *absoluaris* ac *absoluo te,* quoad inclusionem personæ Sacramentum recipientis.

Quæ-

Quæres 4. an effectus huius Sacraměti producatur per sola illa verba *Absoluo te*, quãdo simul cum alijs proferuntur verbis, quæ cum illis implicantur, vt *ego*, & à peccatis tuis vel etiam omnia concurrant? Et respondeo, quod cum illa verba *Absoluo te*, quando solitariè proferuntur, suum producant effectum, prout sibi alia duo implicant, & virtualiter continent, scilicet *ego*, & *à peccatis tuis*, sequitur quod si hæc duo verba *ego*, & *à peccatis tuis* expressè ponantur, simul cũ alijs suum producent effectum, & sic tũc temporis omnia illa assumẽtur, vt peccata remittant. Vnde reiciendus est Lugo hic disput. 13. nu. 34. oppositum sentiens. Cum enim ista verba *ego absoluo te à peccatis tuis*: sint realiter idem cum istis *absoluo te*, & in tãtum ista sufficient in quantum omnia illa continent, & solum differant secundum maiorem, & minorem expressionem, sequitur quod si hæc duo verba *absoluo te* peccatorum faciunt remissionem, etiam omnia illa, nempe *ego absoluo te &c.* si enim illud *ego* virtualiter expressum concurrit ad peccatorum faciendam remissionem, quare non etiam concurret, quando expresse ponetur? cum sit regula generalis, quod id, quod ad aliquẽ concurrit effectum, vt est virtualiter tale, à fortiori cõcurret, quando erit formaliter tale; si namq; calor virtualis, qui reperitur in spiritibus vini, habet stomachum calefacere, à fortiori id ipsum præstabit calor formalis, vt siquis vinum ebuliens sumat &c.

Sed dices cum Lugo, quod ex nostra sententia sequeretur, quod si aliquis postquam dixit *ego absoluo te à peccatis*, relinqueret *tuis*, non absolueret, cum propositio non sit adhuc completa. Respondetur quod quando omnia illa verba proferuntur, omnia eleuantur ad suum effectum producendum, quando vero non omnia; dummodo sint essentialia, semper producetur effectus, cuius rei optimum habemus exemplum in sententia D. Thomæ & Thomistarũ, vt videre est apud N. Cõplut. in Logica de quantitate discreta,

creta, vltima nanq; vnitas est forma numeri, & cum non sit maior ratio, quod vna sit vltima, quam alia, illa habebit hoc munus præstare, cui contigit ratio vltimæ. Ita in præsenti cum forma absolutionis perfici possit per aliquod ex illis verbis, vt si quis dicat *ego à peccatis tuis te absoluo*, per hoc vltimum forma completur; si dicat ego absoluo te à tuis peccatis, ly peccatis, erit vltimum formæ complemētum, & sic de alijs.

Quæres 5. an absolutionis forma possit cōditionatè proferri? Hanc difficultatem fusè examinauimus de Sacramentis in genere dip. 7. q. 9. Ideoque illam breuiter resoluemus. Dic ergo. Validum esse pœnitentiæ Sacramentū si eius forma sub conditione de præsēti, vel præterito subsistente proferatur, quia nec suspendit effectum, nec sensū, nec efficit aliquid illa conditio, quod valori formæ, & Sacramenti, officere possit. Imo aliquando licitum est talem apponere conditionem, vt si confessarius dubitaret, an verba protulerit absolutionis, cū tali conditione, & validè, & licitè posset conditionem apponere, vel vocaliter expressa, vel mente concepta: *Si nō es absolutus ego te absoluo &c.* Similiter si dubitaret Confessarius, an ea, quæ pœnitens cōfitetur (vt contingit in personis valde spiritualibus, & in pueris) sint peccata, posset validè, & licitè absolutionis formā sub conditione proferre: videlicet *si ea quæ confessus es sunt materia sufficiens ego te absoluo &c.* Nullo tamen modo valet hoc Sacramentū per formam cum conditione de futuro, quia hæc suspendit effectum, sensum, & Sacramētum, vt loco citato probauimus; vbi etiam assignauimus differentiam huius, & aliorū Sacramentorū, à matrimonio.

Quæres sexto, an absolutio possit dari absenti? Ante decretum Clem. VIII. anno 1602. erat multorum Theologorum opinio, vt Paludani dist. 17. q. 2. Petri Soto lect. 11. *de Confess.* Siluest. V. Confess. 3. Medinæ C. *de Confess.* q. 15. & aliorum, qui dicebant absolutionem validè conferri posse absenti, imò & licitè, en-

necessitatis tẽpore. Sed modo hæc sententia nõ est amplius probabilis, propter eiusdem Pontificis decretum quod est sequentis tenoris. *Sanctissimus Dominus noster, &c. re maturè, ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam, & scãdalosam damnauit ac prohibuit præcepitque ne vnquam aliquo casu tamquam probabilis defedatur.* Sed de hoc infra de cõfessione.

Quæres septimo, an absolutionis forma possit à pluribus ministris proferri? Hanc difficultatem pertractauimus in tract. de Baptismo disput. 3.q.4 & 5. vbi docuimus tanquam certũ idem Sacramentum posse à pluribus confici ministris, quando omnes tanquam causæ totales, & independentes formam pronunciant, secus quando tamquã causæ partiales. Solum hic vnum restat suggerendum, facilius posse hoc sacramẽtum à pluribus ministris ministrari quam alia non solum successiuè (cum luce clarius sit eandem materiã dari posse pluribus iudicibus iudicandam; vnde potest quis venialia peccata, imò & mortalia pluries clauibus subijcere, & absolutionem ab illis obtinere) verùm etiam simul, vt cum quis in naufragio peccata sua cõfitetur pluribus Sacerdotibus audientibus, & ab illis omnibus beneficium recipit absolutionis. Cum enim hoc sacramentum per modum iudicij sit institutum, & eadem causa possit à reo pluries proponi cognoscẽda pluribus iudicibus, sequitur, quod si alia sacramenta possunt à pluribus ministris ministrari, etiam hoc poterit.

Dubium esse posset, an tũc temporis fiat vnum tantum, vel plura pœnitentiæ sacramenta. Respondet Lugo hic disput. 13. nu. 164. esse plura. Sed contrarium prorsus est asserendum præsertim in sententia D. Thomæ; nam cum non possint esse duo pœnitẽtiæ sacramenta specie distincta, vt omnes tradunt; neque

duo numero, cum implicet duo accidentia solo numero distincta in eodem recipi subiecto, patenter sequitur esse vnum,& idem numero sacramentum, quando quis simul à pluribus absoluitur ministris, secus si fiat successiuè, cũ eadem materia, vt dictum est, possit pluribus inseruire iudicijs. An autem possint eo casu ministri dicere *nos te absoluimus*, vel ego te absoluo &c. loco citato explicuimus.

QVAESTIO V.

Quem sensum habeant illa verba: Absoluo te.

RElicto nostri temporis hæreticorũ errore, qui dicunt horum verborum *Absoluo te*, sensum alium nõ esse, quam declaro te esse absolutum, vel per fidem conceptã, vel per verbum prædicationis: sententias refero catholicorum.

Prima sententia est Abulensis in prima parte sui defensorij cap. 5. & 6. qui vult, quod per *Ly absoluo te*, culpæ, vel pœnæ æternę remissio nõ significetur, sed quod significetur dumtaxat remissio reatus, seu obligationis ad pœnam; cuius fundamenta postea soluentur.

Secunda sentẽtia est, quod *Ly te absoluo*, non significet, quod Sacerdos re vera absoluat à pœna, vel à culpa, sed solum declaret pœnitentem esse à Deo absolutum, ac subinde quod hoc sacramentum efficax non sit, nisi quando iam ante homo per contritionem perfectam à Deo absolutus fuit. Hæc sententia magistro tribuitur sententiarum 4 dist. 18. Alense ibidẽ q. 80. mem. 1. & 2. Bonauart. 2. q. 1. & 2. & alijs antiquis, quorum fundamenta postea adducentur, & soluentur.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Sacramenti pœnitentiæ forma: nempe absoluo te, faciunt istum sensum: ego vicè Christi, seu vt Christi Domini minister, & iudex ab eo constitutus, de facto,*

facto, & practicè absoluo te à peccatorũ culpis, seu remitto tibi peccatorum tuorũ culpas; & subinde pœnas æternas illis debitas. Vel breuius cum D:Thoma q.84 art.3. ad 5. & in idẽ reddit: *absoluo te, ideſt ſacramentum absolutionis tibi impendo*. Hæc concluſio eſt vera, & communis inter catholicos.

Probatur primò ex illis Chriſti Domini verbis Io.20. *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*; nam hic apertè datur poteſtas Sacerdotibus abſoluendi à peccatis; atq; hæc exercetur in pœnitentiæ ſacramento per Sacerdotem, media abſolutionis forma; ergo. Maior patet, nam poteſtas dimittendi peccata, non eſt poteſtas dimittendi reatum, ſeu obligationem ad pœnam peccatis debitam; non eſt declarare hominem à Deo eſſe abſolutũ, ſed eſt poteſtas dimittendi peccata quoad culpam, & ſubinde quoad pœnam.

Cõfirmatur primò hoc argumẽtum; nam Chriſtus Dominus eo loco Ioan. eam dedit Sacerdotibus poteſtatem circa peccata, quam ipſe habebat, vt D. notat Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio dicens: *Patrem omnifariam filio poteſtatem dediſſe; & eandem ipsã omnifariam poteſtatem à Deo filio, Sacerdotibus eſſe traditam*. Atqui Chriſtus Dominus habuit à Patre poteſtatem non ſolum abſoluendi à peccatorum reatu, & declarandi hominem à peccatis per Deum eſſe abſolutum, ſed veram, & propriam habuit poteſtatem abſoluendi à peccatorum culpis; ergo eandem dedit Sacerdotibus: vnde videmus quod eodem modo loquebatur cum ipſe peccata remittebat: *remittũtur tibi peccata*; ac quando dedit poteſtatem Sacerdotibus illa remittendi: *quorum remiſeritis peccata, &c.*

Confirmatur ſecundò, quia poteſtas remittendi peccata Sacerdotibus à Chriſto Domino Io.20. conceſſa, eouſque ſe extendit, quouſque ſe extẽdit poteſtas eadem peccata detinendi, eiſdem Sacerdotibus, eodem loco, ab eodem Chriſto Domino conceſſa:

ſed poteſtas quam habēt Sacerdotes detinendi peccata, eſt non ſolum quoad reatū pœnæ, quoad declarationem &c. ſed quoad culpam; ergo etiam poteſtas abſoluendi. Maior eſt D. Auguſtini lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. Minor patet, tum ex vſu, & communi Eccleſiæ praxi; Tum ex ratione ipſa; nam ſi Sacerdos poteſtatem non haberet detinendi peccata quoad culpā, nullus damnaretur præcisè ratione negatæ abſolutionis, vel ex defectu ſacramentalis abſolutionis.

Probatur ſecundo ex ſacroſancto Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 1. vbi dicitur: *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum ſanctū: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittēdi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorū legitimis ſucceſſoribus fuiſſe cōmunicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit &c.* Quibus in Concilij verbis, illud ponderādum eſt, quod ex communi SS. PP. cōſenſu, pœnitentiæ ſacramentum eſt inſtitutum ad reconciliandum Deo homines poſt Baptiſmum lapſos, per peccatorum remiſſionem, patet autem homines Deo non reconciliari, niſi per culpæ remiſſionem; ergo.

Probatur tertio, ſi abſolutio à pœna eſſet primarius huius ſacramenti effectus, vt vult prima ſententia, & prætenſus horum verborum ſenſus *Abſoluo te, &c.* eſſet à tali pœna, vel reatu liberare, ſequeretur hoc ſacramentum ſolum eſſe validum quando confitentur peccata mortalia, vel venialia, nondum remiſſa, non autem quando confitenter peccata aliàs confeſſa, & dimiſſa, tunc enim temporis reatus pœnæ æternæ non deletur, cum iam deletus ſupponatur; hoc eſt cōtra fidelium vſum, & praxim, qua ſolent homines ſe accuſare de peccatis aliàs confeſſis; ergo &c. Soluuntur argumenta in cōtrarium.

Pri-

Primum argumentum pro Abulensis sententia est. Peccatum non est aliquod vinculum; ergo per absolutionē tolli non potest, ac proinde horum sensus verborum *Absoluo te*, non potest esse, quod verè homo à peccatis soluatur. Consequentia tenet, vbi enim non est vinculum, nec vinculi solutio esse potest; ergo si semel peccatum non est vinculum, nec per solutionem tolli poterit. Antecedens probatur, nam si peccatum nō manet transacto actu peccati, nisi secundum reatus rationem; ergo solum secūdum reatus rationem, tolli potest. Antecedens cōstare videtur, cū nihil queat assignari quod maneat, peccati actu transacto.

Respondetur negando antecedens, nam re vera peccatum vinculum quoddam spirituale est, ligans animam ad modum vinculorum physicorum, & materialium; multis nanque modis peccatum animam spiritualiter ligat. Primò ligat animam maximo, & summo vinculo per reatū scilicet culpæ, per quam ligatur taliter cum bono commutabili, ad quod creatura peccādo se conuertit, quod non nisi iussu Dei, & per Sacerdotalē manum solui potest, vt D. notat Ambros. lib. 9. in Luc. explicans illud Matt 21. *Ite in Castellum quod contra vos est, & inuenietis asinam alligatā, & pullum eius cum ea, soluite, & adducite mihi*, dicens: *non poterat solui, nisi iussu Domini. Soluit eum manus Apostolica. Talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis, & tu, vt possis ligatos soluere*. Secundò animā ligat per reatum pœnæ æternæ, & temporalis, quæ peccatum consequuntur ratione auersionis, & conuersionis. Tertiò quia per illud taliter ligatur, quod omnem gratiā amittat, omnia dona, & quod nullo modo expedita sit pro gloria. Quartò ligat quantum ad obligationem illud peccatum confitendi, etiam si per contritionem perfectam sit deletum. Ad probationem quod peccatum non maneat, peccati actu transacto, patet ex dictis in p. 2. vbi fusè probauimus hominem transacto peccati actu, verè manere macu-

maculatum; quod maximè habet verum in communi Thomistarum sententia, & nostra, quod peccatum habituale in positiuo consistat.

Secundum argumentū pro secunda sentētia est, quia solus Deus peccata quoad culpam remittere potest;ergo remissio peccati nequit esse sēsus illius formæ *Absoluo te*. Consequentia tenet. Antecedēs probatur ex illo Isa.45. *ego ipse deleo iniquitates, & peccata populi mei*. Id ipsū docere videtur D.Ambros.apud Gratianum dist.*3.de Pœnitentia* can.*Verbum Dei*, dicens: *Verbum Dei dimittit peccata; Sacerdos est iudex, Sacerdos quidem officium suum exhibet; sed nullius potestatis iura exercet*. Et D.Augustinus in illud Ioan.. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, dicit: *nemo tollit peccata mundi, nisi solus Deus*.

Respondetur distinguendo antecedens: Solus Deus peccata dimittit tanquam causa principalis, & cōceditur: omnibus modis, & negatur. Licet namque solus Deus, vt causa principalis peccata relaxet, tamen sacerdos per potestatem sibi concessam, quā media forma dicta, exequutioni mādat tamquam Dei instrumentum, id ipsum exequitur. Eodem modo intelligi debet S.Ambrosius, & Augustinus, & si qui sunt alij, modo eo loquentes.

Tertium argumentum, qui ad Sacerdotem vt absoluatur accedit, vel est debitè contritus, vel non: Si non est debitè contritus, Sacramentum nullum est, si autē sit debitè contritus, iam peccatum quoad culpam dimissum est;ergo nihil dimittendum est, ac subinde per talem formam significari non potest, peccati quo ad maculam, remissio.

Respondetur quod quādo homo in mortali existens ad Sacerdotem, vt absoluatur accedit, non quidem perfectè contritus, sed attritus, tunc absque cotrouersia certū est, per Sacramentum, & attritionem illam, veram fieri peccati remissionem; quod si nec attritus, nec cōtritus accedat Sacramentū nō fiet: Quomodo autem fiat peccati remissio

in

in casu, quo quis cõtritus accedit, cum iam per contritionẽ remissum sit, sequens quęstio explicabit.

QVAESTIO VI.

Quem effectum habeat absolutionis forma, quando quis contritus sua confitetur peccata.

EAdem difficultas procedit, quando quis peccata alias confessa, & absoluta, in secunda, & tertia, & sic deinceps, confessione, iterum confitetur, & ab illis absoluitur, vti est fidelium vsus, de qua re variæ sunt. Theologorum sententiæ,

Prima Sentẽtia est Coninchi hic disput.4.dub.8.nu.55. quod peccata etiã tunc tẽporis dimittãtur, & quod per illa verba *ego te absoluo à peccatis tuis*, à Sacerdote prolata, in huius sacramenti administratione, significatur, reo hic, & nunc peccata dimitti; sed cum hac conditione, quantũ Sacerdos ex ipsa confessione cognoscere potuit ipsum eorum esse reum, & ad eorum remissionem esse dispositum. Itaque istius auctoris sensus esse videtur, quod in tantum peccata remissa, vel per contritionem, vel per confessionem, iterũ in alio, & alio pęnitentiæ sacramento remittantur, in quantum Sacerdos habet illam cõditionem, qua cognoscit confitentẽ esse reum, & esse dispositum.

Sed hæc sententia prorsus eliminanda est. Primò quia est contra omnium Confessariorum praxim, cum nullus prudens Confessarius restringat suam intentionem ad hoc, quod reus sit verè reus, quod sit dispositus, quando peccata alias confessa, vel remissa cõfitetur, quod patet, quia nullus confessarius pœnitentem interrogat, an de illis peccatis habeat contritionem, an alias illa

illa fuerit confessa, quod tamen necesse esset adhoc vt talem haberet cōditionem; vnde & pœnitentes eodem modo confitentur peccata alias confessa, ac non alias confessa, & Sacerdos eodem modo illos absoluit, quando scit peccata fuisse alias confessa, & non fuisse.

Secundo demus Sacerdotem ex ipsa confessione cognoscere, vel reum non esse reum, vel nō esse dispositum, & reuera confitens, & reus esset, & dispositus; absolutio tunc tēporis à Sacerdote data per illum auctorem esset nulla, cum per illum absolutio tunc temporis data, non habeat illam conditionem, quam illa requirit. Terzo non video quomodo Sacerdos possit cognoscere ex pœnitentis confessione, illum esse reum modo, modo non, ex peccatis iam dimissis; si nanque Sacerdos scit peccata illa, quæ iterum clauibus subijciuntur esse dimissa, iudicabit confitentē, vel semper reum, vel semper non reum.

Secunda sentētia est, quod huius sacramenti effectus in casu proposito non sit peccata dimittere, cum iam dimissa supponantur, sed sit obligationem tollere, illa clauibus subijciendi. Hanc sententiam sequutus est Alensis 4.p. q.21. Gab.4. dist.18. q. 1. & alij. Sed hæc sententia nec vera est, nec difficultatem euacuat. Non est vera; quia est cōtra sensum verborum formæ *ego te absoluo à peccatis tuis*. Non tollit difficultatem, quia licet ad mitteretur, quo ad peccata per contritionem, sine sacramento dimissa, in quibus obligatio remaret illa Ecclesiæ clauibus subijciēdi, tamen admitti nō potest, quo ad peccata venialia, & mortalia alias confessa, in quibus talis non remanet obligatio.

Tertia sententia est P. Suarez quam refert, & impugnat Nugnus hic q.84. art.3. dub. 2. quod huius Sacramenti effectus, eo casu, sit producere gratiam sanctificantem peccati remissiuā, ob idque vult quod sensus horum verborū *ego te absoluo à peccatis tuis*; sit iste, *ego tibi gratiam sanctificantem confero, quantum est de se, remissiuam peccati*: Ita quod

quod per Suarium, quando hoc sacramentũ peccata non supponit remissa, tunc primarius huius sacraméti effectus, sit gratiam conferre, & media illa peccata expellere; quando vero peccata remissa supponuntur, tunc sacramentum sufficienter saluatur, per effectus primarij productionem S. gratiæ peccati remissiuæ.

Sed hæc etiam sententia reiici debet. Primò quia est contra communem Theologorum sensum, quod nimirũ peccata sẽper nõ remittãtur. Secundo quia est contra sensum etiam ipsorum fidelium, qui putant peccata toties remitti, quoties confitentur. Tertio quia est contra sensum illorum verborum formæ *ego te absoluo à peccatis tuis*, quorum verborum sensus, omnino diuersus est ab illo quem prætẽdit Suarez. Quarto quia confundit sensum verborum formæ, cũ ipsius sacramenti significatione; nam licet & hoc, & omnia sacramenta secundum quod dicunt materiam, & formam, principaliter gratiam habeãt significare; tamen forma ipsa solitariè, propriam habere potest significationem, vt videre est in aliorum formis sacramentorum, nam forma Sacramenti Eucharistiæ significat præsentiam corporis, & sanguinis Christi, sub speciebus, & illã efficit, at ipsa postmodũ forma, & species, vt totum componunt sacramentum, gratiã significant, & postea conferunt. Ita similiter, licet absolutionis forma, & confessio dolorosa, vt pœnitentiæ cõponunt sacramentum, primariò gratiam signent, & causẽt; ipsa tamen forma solitariè, primariò peccati significabit remissionem, & illam causabit. His reiectis.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Absolutionis forma verè, & propriè peccata remittit, siue alias remissa sint per contritionem, siue per aliam, & aliam confessionem*. Hæc conclusio est cõmunis fidelium sensus; illam docent Thomistę post Angelicum Præceptorem hic q. 84. art. 3. ad 5. & alij communiter.

Probatur 1. quoad peccata per contritionem dimissa.

peccata in alia,& alia confessione remissa. Nam ad hoc vt vnum, & idem peccatum iterum, & iterum remittatur, sæpe, ac sæpius, verè,& realiter coram Deo,& quoad culpæ rationem deleatur, sufficit,quod ita sit moraliter præsens in pœnitentis apprehensione, vt pœnitens ipse ita se gerat circa illud, ac si realiter eius fœderat animam, ipsum detestando,de ipsoq; dolendo ex supernaturali motiuo; sed hoc ipsum faciunt homines de peccatis alias ritè confessis; ergo possunt per iuridicam Sacerdotis sententiam iterum,& iterum deleri,quod varijs modis solet explicari.

Primò exemplo mutuę reconciliationis humanæ, quæ postquam semel facta est,alio postmodum tempore iteratur, etiam sæpe, ac sæpius: & qui læsit, iterum, atque iterũ ab eo quem læsit veniam poscit, non obstante, quod alias illam veniam petierit, & obtinuerit, & sic cum peccatum longe maiorem habeat malitiam, & offensæ rationem, quam in purum habeat hominem offensa; & Dei misericordia, longe hominum transcendat misericordiam; sequitur non repugnare, neq; ex parte Dei, neque ex parte peccati, neque ex parte hominis, quod iterum, ac iterũ idem peccatum quoad culpam remittatur. Et sicut ille, qui se ad aliquid obligauit, iterum,& secundo,&c.ad idẽ se obligare potest, vt faciunt religiosi in votorum renouatione; ita ille, qui alium offendit, potest petere veniam secundo,tertio, &c. ac subinde remissionem recipere; ergo, &c.

Secundo explicari hoc solet exemplo fori externi;nam si quispiam reus ad varia vocetur tribunalia, ab inuicem independentia,& neutiquam subordinata, & in ijs omnibus à crimine, quod patrarat, absoluatur; tunc illa criminis remissio in vno facta tribunali, non propriè confirmatur in alio, cum supponatur ab illo independens,sed in vnoquoque tribunali ita benè, ac iuridicè fit,ac si in eo solo fieret tribunali,& absolutio quę postea in alijs fit tribunalibus omnino per accidens se ha-

de indignitate positiua, quæ peccato remisso relinquatur, & subinde ipsum arguat, quia peccato dimisso, nulla relinquatur in dignitas; nã Coninchus non loquitur de indignitate positiua relicta, peccato dimisso, sed priuatiua, vel negatiua, ad eum modo, quo ipse Lugo supra disp. 3. nu. 16. dicit hominem per imperfectiones auerti à Deo negatiuè, in quantum priuatur auxilijs vberioribus, quæ habuisset, si actum perfectiorẽ elicuisset. Ita ille qui peccauit, etiam peccato dimisso, habet quandam indignitatẽ priuatiuam, vel negatiuam; quia si nõ peccasset intimiorem cum Deo habuisset amicitiam, & subinde maiorem dignitatem, intimitatem &c.

Sed quidquid sit de mente istorum, iste modus explicandi videtur mihi concionatorius magis, quam Theologicus, Primò quia non est assignabilis illa malitia, quæ directè per singulas dimittatur confessiones. Secundò dato quod assignari posset, non videtur posse sustineri, quomodo per primam confessionem omnis illa malitia non tollatur, nam, si solum aliqua ex illis infinitis malitijs, per primam confessionem tolleretur remaneret obligatio confitendi secundò, tertio, & sic in infinitum, vt possint malitię illæ omnes directè tolli; admitto quidem in peccato molitiarum infinitatem, secũdum eam rationem, secundũ quam est destructiuum Dei secundum omnem rationem, nam eo ipso quod per peccatum ex affectu peccantis destruitur Deus in ratione vltimi finis, destruitur etiam secundum omnes alias perfectiones, tamen secundũ quod istæ malitiæ infinitæ, infinitis Dei opponuntur perfectionibus, per primam confessionẽ destruuntur, siue directè, siue indirectè importentur; cum per hoc sacramentum totalis culpæ, quoad omnes illius malitias, fiat remissio. Soluũtur argumẽta in contrarium.

Primum argumentum. Si illorum verborum effectus esset, peccata remittere, deberet iste effectus, cum primarius, & essentialis sit, semper poni, quoties verum,

&

formæ cum dicatur, *Per istā sanctam vnctionem &c. indulgeat tibi Deus quidquid peccasti &c.* Sed de huius argumenti materia dicemus, cum de extrema vnctione in sequenti tractatu agemus. Pro modo respondetur negando antecedens, non enim potest validè hoc extremæ vnctionis Sacramentum dari, nisi illi qui aliquando actualiter peccauit, siue postea tunc tēporis dum confertur actualia dentur, siue non dentur peccata, ob idque docet Diuus Thomas supra, non posse hoc sacramentum conferri pueris ante rationis vsum, sed de hac materia tractatu sequenti sermo reddibit.

DISPVTATIO QVARTA

De contritione, & attritione, vt sunt partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ.

Disputatione precedēti, materiam huius sacramēti remotam, explicuimus, imò & proximam, vt videre est q. secunda per totam, ac subinde explicuimus quomodo contritio, siue perfecta, siue imperfecta, ad hoc sacramentum pertineat; vnde solum restat vt aliqua magis particularia de contritione, & attritione explicentur, vt sic explicata maneat contritionis natura, & secundum quod ad pœnitentiam virtutem pertinet, & secundum quod pertinet ad pœnitentiam sacramentum. Nam vt pertinet ad pœnitentiam virtutem, explicata fuit supra disputatione secunda ferè per totam; secundum vero quod ad pœnitentiam Sacramentum perpræ-

vel sufficiat præcedentia naturæ modo dicetur.

Quod vero non sit necesse, quod dicta contritio, vel dolor peccatorũ, tempore vel natura confessionem præcedat. Probatur ex communi fidelium sensu, qui sufficienter putant, se esse dispositos pro absolutionis beneficio obtinendo, si contritionem habeant post confessionẽ, sed ante absolutionem: Imò & iste Confessariorum vsus est; nam suorum auditis pœnitẽtium peccatis, si videant sufficientem nõ habere dolorem, curant ad eum habendum illos excitare, antequam illos absoluant. Similiter videmus illos, qui generalem faciunt confessionem, pluries ad Cõfessarium accedendo, reseruant dolorem pro tempore eo, quo confessionem perficiunt. Deinde probatur ratione. Nam si ob aliquam rationem dolor præcedere deberet confessionem, maximè, vel quia est causa illius, vel vt per illã fiat sensibilis; sed ob neutrum requiritur quod præcedat; ergo. Maior videtur illius auctoris fundamentum, non enim alia assignari causa potest, talis præcessionis. Minor probatur, quoad vtrãque partem; & quidem quoad primã, quia necesse non est, quod dolor sit causa confessionis, imò videtur quod nullo modo illius causa esse possit, cũ non solum possit quis de peccatis dolere, absque confessionis imperio, seu absque eo quod dolor causet confessionem, verum etiam quia confessio non à dolore imperatur, sed ab illa voluntate, qua quis vult peccata sua Ecclesiæ clauibus subijcere. Deinde probatur etiam quoad secundam partem, quia dolor reddi potest sensibilis absque confessione, & quando nil aliud esset, nec suspirium, nec lachrymæ, nec pectoris tõsio, sufficeret permanentia sensibilis pœnitentis, ante tribunal Sacerdotis, vt dolor ille sensibilis fieret. Vnde dolor de peccatis nec causa confessionis est, nec effectus illius, sed est effectus illius voluntatis à qua, & ipsa coufessio imperatur, & cum hæc volũtas imperat permanentiam pœnitentis ante pedes Confes-

 soris,

ſoris, quamdiu abſolutionis beneficium non impetrat, per talem perſeuerantiam ex tali voluntatis imperio, dolor ad confeſſionem requiſitus, fit ſufficienter ſenſibilis, cum talis volũtas ad omnia illa ponendã, ſe extendat, quæ neceſſaria ſunt pro confeſſione perficienda. Soluuntur argumenta in oppoſitum.

Primum argumẽtum. Dolor neceſſarius ad pœnitentię Sacramentum ponẽdum debet eſſe ſenſibilis; atqui ſenſibilis eſſe nequit, niſi per cõfeſſionem ab ipſo dolore procedentem; ergo Confeſſio debet ab ipſo dolore procedere, ac ſubinde dolor debet confeſſionem pręcedere. Maior ab omnibus conceditur; cum enim ſacramenta ſigna eſſe debeãt ſenſibilia, eorum partes componentes, debent eſſe aliquo modo ſenſibiles, vel per ſe, vel ſaltẽ per aliud. Minor etiam clara eſt. Primo quia nõ videtur aſſignari poſſe, per quid aliud, dolor, ſenſibilis fieri poſſit, niſi per confeſſionem. Secundo quia cõfeſſio non eſt ſimplex peccatorum narratio, ſed doloroſa; alioqui, ſi quis ſua narraret peccata præciſè, & hiſtorialiter, ſi poſtea dolorem eliceret, poſſet abſolutionis beneficium recipere; quod non videtur dicendum.

Reſpondet Lugo diſp. 14. num. 17. dolorem fieri poſſe ſenſibilem per confeſſionem præcedentem, in quantum quod confeſſio ſignificat deſiderium obtinendi abſolutionem, & per conſequens, pœnitens vult ponere ea omnia, quæ ad hoc ipſum ſunt neceſſaria; quod exemplo explicat ſatisfactionis, quæ ſenſibilis redditur per verba Sacerdotis, & per pœnitentis acceptationẽ, vt cum Sacerdos moribundo imponit pro ſatisfactione, quod corde proferat dulciſſimum IESV nomen, vel quod eliciat actum dilectionis, vel contritionis; & ſano quod recitet aliquid mentaliter, vel tanto tempore, mentali vacet orationi, &c. & tamen hæc impoſitio antecedit ipſam ſatisfactionem; ergo pariter dolor, ſenſibilis fieri poterit per præcedẽtem confeſſionem.

Sed hæc ſolutio nullo modo do

do debet sustineri. Primo quia est contra sensum omnium philosophorum, dum volunt actus intellectus, & voluntatis, non reddi sensibiles per actus externos, nisi quatenus sunt vel eorum causæ, vel effectus, sumus enim in materia signi naturalis, non ad placitum: signum autem naturale, nullibi reperitur, nisi ibi intercedat ratio causæ, vel effectus, vt omnes docent; cũ sola causa, possit naturaliter suum ostendere effectum, & effectus causam; vbi enim hęc connexio non reperitur, ratio signi naturalis reperiri non potest. Sed dolor positus post confessionem non est confessionis causa, nec effectus, vt ex se liquet, & concedit ille; ergo non potest fieri sensibilis per præcedentem confessionem.

Nec exemplum quod adducit, illi fauet; imò manifestè est contra ipsum; nam vt patet, illa satisfactio est effectus impositionis sensibilis, & acceptationis; quod non contingit in nostro casu. Deinde dico, non esse necesse satisfactionem esse sensibilem, nec in se, nec in alio, cum solum partes essentiales sacramentorum sensibiles esse debeãt, non partes integrales; vnde dato, quod tunc temporis satisfactio nullo modo sensibilis redderetur, adhuc posset esse pars integralis, vt patet; cum pertineret ad pœnitentiæ sacramentum, vt integrale complementum illius.

Hac ergo solutione relicta, respondeo ex dictis, quod quando dolor non præcedit confessionem, & non fit per illam sensibilis, potest fieri sẽsibilis per aliquid aliud, quod sit eiusdẽ doloris aliquo modo effectus, vt suspiria, lachrymæ, tunsio pectoris, perseuerantia ante tribunal confessionis, oculorum, seu palpebrarum motus, vel quid simile. Deinde dico quod dolor, vt est sacramentum, & res sacramenti, nempe prout significatur, & significat, non debet esse sensibilis, cũ secundũ hanc rationem sit sacramenti effectus, purè internus, prout nimirum perseuerat, sacramento finito; secundũ enim hanc rationem dicitur sacramentum, & res sacramenti;

similiter prout est pars sacramenti non quidem in recto importata, sed in obliquo, sed ex connotato, non est necesse, quod sit sensibilis, sed sufficit quod confessio à qua connotatur sensibilis sit. Per quod patet ad illud quod de confessione dolorosa dicebatur, nam ad hoc quod confessio dolorosa dicatur, non est necesse, quod dolorem supponat, vel connotet, vt antecedentẽ, sed sufficit vt connotetur vt cõsequens, eo namque ipso quod quis sua confitetur peccata, vel habet de illis dolorem, vel vult illum concipere, vt absolutionem obtineat, dispositus sufficienter censetur, quantum ad dolorosam confessionem.

Secundum argumentum. Si sufficeret ad pœnitentiæ sacramentum ponendũ, quod dolor post confessionem poneretur, posset quis historialiter, sua Sacerdoti narrare peccata, & postea de illis dolorem elicere, & absolutionis beneficium obtinere; Atqui hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Maior sequi videtur ex illa sententia; in tantum enim simplex peccatorum narratio, non est sufficiens ad pœnitentiæ sacramentum ponendum, in quantum quod confessio, quę est pars essentialis Sacramẽti pœnitentiæ debet esse dolorosa; atqui non est dolorosa, si dolorem non supponat; ergo si semel potest dolorem non supponere, simplex sufficiet peccatorum narratio. Minor patet, nam simplex peccatorum narratio, non est pars essentialis huius sacramenti.

Respondetur negãdo maiorem, nam simplex, & historialis peccatorum narratio, (nisi virtute repetatur, vt si quis post illam narrationem diceret *de peccatis narratis me accuso &c.*) nõ est confessio, hæc enim fieri debet ex voluntate absolutionis obtinendæ, ac subinde debet cõnotare dolorem, & omnia requisita ad pœnitentiæ sacramentum ponendum, quorum vnum est dolor de peccatis.

QVAE-

QVAESTIO II.

An dolor peccatorum debeat pro singulis sacramentis replicari.

PEtrus confessus fuit sua peccata, sufficienti cum dolore de illis; recepto absolutionis beneficio, recordatur se omisisse vnius, vel plurium peccatorum confessionē, quę statim eidem Sacerdoti confitetur, & absolutionem recipit, & nouum ponitur sacramentum; quo casu inquiritur, an nouus dolor poni debeat. Vel certè vt faciunt scrupulosi, recepta semel peccatorū absolutione, petunt secundò, & tertio per nouam accusationem, nouam à Sacerdote absolutionem; an tunc, nouus etiam dolor, poni debeat, vel sufficiat præcedens? similiter moribundus absoluitur ab vno peccato, quod cōfitetur, deinde respirat parūper, & aliud confitetur peccatum, & absoluitur, & sic tertiò, quartò, &c. an in his, & similibus casibus, quoties nimirum nouum ponitur sacramentum, nouus dolor poni debeat; & procedit difficultas, quando dolor fuit vniuersalis de omnibus peccatis, & non fuit retractatus, sed sufficienter perseuerat.

Prima sententia est, nouum semper requiri dolorem, quoties nouum ponitur sacramētum. Hanc sententiam sequitur Bonacina de sacram. disput. 5. q. 4. puncto 4. & alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Non est necesse, quod quoties nouum ponitur Sacramentum, nouus ponatur dolor, vt in casibus prius enumeratis, &c.* Hæc cōclusio est communis in scholis, & constat ex communi praxi confessariorum, qui in supradictis casibus non sunt solliciti exigere à pœnitentibus nouum de peccatis dolorem.

Probatur ex dictis quęstionibus præcedentibus; quia dolor de peccatis, nō est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ

tentiæ in recto importata, sed solum vt connotatum; atqui idem dolor potest à pluribus confessionibus cōnotari; ergo non est necēsse ad singulas confessiones nouum dolorem apponere. Maiorem ostendimus disput. præcedenti q. 2. Minor etiam constat; nam id quod solum tanquam connotatum ad aliquid requiritur, non est necesse, quod materialiter replicetur, sed sufficit quod replicetur formaliter. Exemplum habemus in Sacramento Eucharistiæ, vbi corpus Christi solum in obliquo à Sacramēto importatur; vt contra Lugum fusè probauimus disput. 1. de Eucharistia quæst. 3. & tamen ad numericam Sacramenti Eucharistiæ multiplicationem, non est necesse, imò nullo modo Christi Domini corpus multiplicari debet; sed sufficit quod multiplicetur formaliter ratione scilicet diuersę cōnotationis diuersorum sacramentorum, quæ per diuersas ponuntur consecrationes. Ita pariformiter cum dolor non sit ipsum pœnitentiæ sacramentum, nec pars illius in recto importata, sed solum in obliquo, vt corpus Christi respectu Eucharistiæ, necesse non erit, quod ad singula pęnitentiæ sacramenta ponenda, dolor nouus ponatur, sed sufficiet nouam eiusdem doloris ponere connotationem. Exemplum etiam habemus ex communi Confessariorum praxi, qui pro diuersis pœnitentiæ sacramentis, eandem quandoque imponunt satisfactionem: vt si quis post suorum peccatorum confessioné, & absolutionem receptam, & post impositam satisfactioné, alicuius peccati non confessi recordetur, & illud eidé confessario statim confiteatur, eādem quam prius imponit satisfactionem; vt si pro prima cōfessione vnam imposuit coronam, eandem, pro secunda confessione, imponit confessarius. Si enim in alijs etiam rebus, per vnum opus potest quis pluribus satisfacere obligationibus, quare non etiam in hoc casu id ipsum fieri potest? & ratio vniuersalis est, quia vna, & eadem res, à pluribus connotari potest præceptis; ergo &c. Soluuntur

argu-

argumenta in contrarium.

Primum argumentum est: vna & eadem confessio non potest pro pluribus inseruire sacramentis; ergo neq; vnus, & idem dolor. Antecedens patet; nam implicat sacramẽtum numero plurificari, quin numero plurificetur materia, cum enim numerica vnitas à materia vna numero desumatur, non potest sacramentum numero plurificari, quin numero, eius plurificetur materia; confessio autem, vt patet, est proxima, pœnitentiæ sacramenti, materia. Consequentia probatur, ex paritate rationis, nam licet contritio, seu dolor non sit ipsa pœnitentiæ sacramenti materia proxima in recto, ad illam tamen pertinet in obliquo, & tanquam indispensabile connotatum; Atqui est eadem ratio rei, & connotati indispensabilis illius; ergo.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam; ad probationem dico, magnam esse inter confessionem, & dolorem disparitatem: nam confessio est pars materialis, essentialis, & in recto importata, & à qua numerica Sacramenti pœnitentiæ vnitas, desumitur, non vero contritio, vel dolor, vt ex dictis liquet; at vero dolor solum ex connotato importatur; numerica autem rerum vnitas, non à connotatis, sed ab earundem rerum, materia, desumitur. Alia etiã differentia addi potest ex ipsa sacramenti pœnitentiæ natura: nam cum hoc sacramentum per modum iudicij sit institutum, & in iudicio noua non detur sententia, sine noua causæ cognitione, sequitur quod nouum non ponetur pœnitentiæ sacramentum, sine noua accusatione, seu cõfessione, per quam fit noua causæ cognitio &c. Non sic dolor, vel pœna, vel mulcta, quæ non ex necessitate, in iudicio etiam humano, plurificari debet.

Secundum argumentum. Si vnus, & idem dolor posset pro pluribus inseruire sacramentis, sequeretur quod posset quis in ipso anni principio, elicere propriorum dolorem peccatorum, in ordine ad primam confessionem ponendam,

nendam, & postea (si nunquã per mortale peccatum interrumpetur) deseruire poterit pro omnibus confessionibus, quæ postea per totum annũ ponentur, absque eo quod nouus dolor ponatur, hoc autem non viderur dicendum; ergo. Maioris sequela probatur, nam non est maior ratio, quod vnus, & idem dolor pro duabus deseruiat confessionibus, quam pro pluribus, dummodo nunquam interrumpatur. Minor etiam clara est, cum esse videatur contra communem fidelium sẽsum, qui quoties confitentur, toties conantur, nouum ponere dolorem.

Respõdetur imprimis hoc argumentum nequaquã procedere posse, quando confessio fit de peccatis nouis, de quibus dolor non præcessit: noua namque peccata, nouũ requirunt dolorem; sed solũ procedere potest de eorundẽ peccatorum confessione, de quibus dolor præcessit, & cõfessio; ad quod dico, quod ille dolor deseruire poterit pro omnibus confessionibus, quæ postea fient de ijsdem peccatis, de quibus ille dolor fuit. Et iste est mos piorum, qui cũ frequenter de leuibns confiteantur peccatis, ne ob vsum, sacramentum nullitatis periculo, exponatur, se accusant de aliquo præteritæ vitæ peccato, de quo aliquando habuerunt dolorem, & sic exponendo materiam talem, pœnitentiæ sacramentũ, nullitatis periculo, non exponũt; cum & materia sit certa, quæ exponitur, & de ea dolor præcesserit; qui mos in mea religione maximè est in vsu; & rationabiliter certè, primò ob dictam rationem non exponendi sacramentum nullitatis periculo. Secundò, quia dum illud peccatum de nouo subijcitur de quo dolor aliquando præcessit, dolor ipse; in ipso peccato, ad præsens tribunal, modo aliquo reuocatur; & sic fit virtualiter præsens, & quasi virtualiter renouatur. Tertiò quia hoc sacramentum est institutum ad similitudinem forẽsis iudicij, in quo multo tempore post causæ discussionem, absolutio, vel condemnatio fieri solet; ergo hoc ipsum fieri potest

test in hoc sacramentali iudicio, quandiu scilicet actus pœnitentis censentur moraliter permanere, in ordine ad nouam causæ cognitionem; tandiu autem permanere dicuntur, præsertim in ordine ad hoc tribunal, quandiu permanent habitualiter, ideſt quandiu, nec expreſsè; nec impreſsè, ſeu implicitè retractantur. Vnde hanc ſententiam poſt Ledeſmam, & Ioãnem de la Cruz, ſequitur Lugo diſput. 14. num. 34. quibus adde Hurtadum de ſacram. in genere diſput. 1. diff. 11. & Præpoſitum quem refert, & ſequitur Diana p. 5. tract. 14. reſol. 67. Ex quo principio deducit idem Diana cum auctoribus illis, quod ſi quis veſperi ſuam examinet conſciẽtiam, & dolorem eliciat peccatorum, in ordine ad confeſſionem mane faciendam, non erit neceſſe nouum ponere mane dolorem, ſed ſufficiet ille, quem veſperi poſuit. Quę omnia benè in mentis armariolo conſeruari debent, quia valdè practicabilia ſunt; melius tamen & ſecurius eſt, nouum ſemper ponere dolorẽ. An autem dolor ſufficiens ad confeſſionem ponendam, aliquam habere debeat relationem ad confeſſionem ponendam, ſeu an neceſſe ſit referre dolorem ad confeſſionem ponendam ſequens quæſtio explicabit.

QVAESTIO III.

Quam relationem ad confeſsionem dolor ad illam requiſitus habere debeat. Vbi an requiratur propoſitum non peccandi.

Certum in primis eſt, neceſſe non eſſe pœnitẽtem, dum de peccatis dolet, expreſsè talem referre dolorem ad confeſſionem ponendam; iſta namque videtur fidelium praxis, quod ſolum curant de dolore concipiendo,

cipiendo, non de tali formali ad cõfessionem ponendam, relatione. Solum ergo difficultas esse potest de relatione aliqua virtuali, de qua.

Prima sentẽtia est, nullam relationem requiri in dolore elicito, ad hoc vt pro sequenti confessione deseruiat. Ita Lugo hic disput. 14. sect. 4. nu. 37. & sequentibus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Dolor, pro peccatorum absolutione sacramentali obtinẽda, debet aliquo modo referri ad talem finẽ.* Ita Suarez, & alij cõmuniter.

Probatur primo ex sacrosancti Tridentini Concilij testimonio sess. 14. cap. 4. vbi dicitur: *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic cõtritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso ita demũ præparat ad remissionem peccatorum, & si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.* Peto modo à C. de Lugo, quid sibi velit Tridentinum, dum vult contritionem in homine baptizato esse dispositionem ad gratiam, seu præparare ad gratiam, secundum quod cõiungitur cum voto præstandi ea, quæ ad ritè hoc sacramẽtum suscipiendum requiruntur? peto inquam an hoc sit, contritionem aliquo modo, saltem virtuali ad sacramentum referri, vel non? si dicat quod sic, habemus intentum; si quod non: explicet quid sibi velit Tridentinum: certè contritionem coniungi cum voto confitendi, & præstandi reliqua ad hoc sacramentum requisita, non potest non habere, vel non dicere relationem aliquam virtualem. Et si contritio, virtualem habere debet, ex Tridentino, relationem, ad sacramentum, à fortiori id dici debet de attritione, quæ nullo modo habet extra sacramentum iustificare, nec ad gratiam disponere, nisi medio sacramento. Sed agamus contra Lugum rationibus.

Prima ratio est, quia Baptizatorum contritio, non aliter habet iustificare, & ad gratiam disponere, nisi prout est votum saltem virtuale huius

ius sacramenti; ergo non aliter elici potest, nisi prout virtualiter ad hoc sacramentum ordinatur, ac subinde implicabit in adiecto dicere, quod quis queat contritionem elicere, & non per ordinem ad sacramentum. Antecedens est de fide, vt patet ex citato Tridentini testimonio, & ex Bulla Sixti IV. in qua damnauit Petrum Oxouiensem dicentem peccata mortalia deleri per contritionem, sine ordine ad claues Ecclesiæ, vt vidimus supra disput. 2. q. 2. Consequentia patet, quia nō aliter elici potest contritio, quam eius natura requirat; atqui eius natura est, quod ad sacramentum saltem virtualiter ordinetur; ergo non aliter elici poterit. Hæc ratio est Tridentini loco citato, vbi dicitur: *Docet praterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominem Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi cōtritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Et sic cum de mente Concilij, sacramenti votum in ipsa contritione reperiatur, implicabit per idem concilium, contritionem dari, sine voto sacramenti, ac proinde sine relatione, ac respectu ad illud.

Secunda ratio ad hominē contra Lugum. Contritio per illum auctorem est materia proxima partialis, & in recto importata, sacramenti pœnitentiæ; ergo dum ponitur, poni debet cum aliquo ordine, & relatione ad ipsum pœnitentiæ sacramentum. Antecedens est Lugonis beneplacitum. Consequentia probatur, implicat aliquid fieri de nouo, vel esse alicuius compositi pars, cuius prius non erat, sine aliqua ad idem cōpositum relatione, omnis nāque pars, cū alicuius sit pars, ad id cuius est pars, ordinem dicere debet, alioqui nō magis esset huius, quam cuiusq; compositi pars; si non magis ad hoc, quā ad alia composita ordinem diceret; ergo cum dolor per illum auctorem, sit pars essentialis huius sacramenti in recto importata, & secundum nos importetur in-

 dispen-

dispensabiliter vt connotatũ, vt obliquum, cum de huius sacramenti essentia ex Tridẽtino sess. 14. cap. 5, sit veniæ peccatorum omnium petitio, aliquem ordinem, vel relationem ad hoc sacramentum dicere debet.

Confirmatur hæc ratio, nã si pars sacramenti ad sacramentum referri non deberet, sequeretur posse aliquem, puerum abluere, sine intentione baptizandi illum, sed solum cum intentione ipsum lauandi, & deinde mutata intentione, formam baptismi proferre, & facere sacramentum. Similiter idem fieri posset de confessione; posset nãque aliquis, sine animo sua peccata confitendi, sed solũ historialiter narrandi, ea confessario manifestare, & deinde accedẽte absolutionis forma, absolui; quod nemo dicit. Non enim est maior ratio de vna parte materiali, quam de alijs, quando eodem modo importantur, vt in nostro casu contingit.

Respondet Lugo, quod nõ omnes actiones sacramentales poni debeant ex intentione ponendi sacramentum, vt manifestum est in matrimonio, vbi si quis intendat illud ponere in ratione contractus, etiamsi nõ intendat illud ponere in ratione sacramenti, quia ignorat matrimonium esse sacramentum, adhuc vt sacramentum ponetur. Similiter species panis sunt materia sacramenti Eucharistiæ, & tamen necesse nõ est, quod qui illas conficit, habeat intẽtionem ponendi sacramentũ; alioqui qui facit hostias, talẽ habere deberet intentionem. Tum quia solum illud ex intentione faciendi sacramentum poni debet, respectu cuius Sacerdos, vel quilibet alius operatur vt minister Christi, hoc autem non est respectu recipientis sacramẽtum, sed administrantis illud, ob idque ablutio poni debet ex intentione ponendi sacramentum, non contritio &c.

Nam contra est, quia pars vt pars à quocũque ponatur, semper poni debet per ordinem ad totum, alioqui non ponetur vt pars, ergo cũ contritio ex intrinseca, & essentiali ratione hoc sacramentũ

vt

vt pars respiciat, vel in recto per Lugum, vel aliquo modo in obliquo, vt volumus nos, hoc modo, & non alio poni debet.

Nec exempla quæ adducit Lugo illi prosunt, imò maximè obsunt, nã eo ipso quod quis contrahit matrimonium, intentionem habet virtualem ponendi omnia, quæ ad eius substantiam requiruntur, inter quæ est ratio sacramenti vt patet; ob idque videmus, quod si quis positiuè nollet matrimonium facere, qua ratione est sacramentum, sed solum qua ratione est cõtractus humanus, matrimonium non faceret secundũ aliquos, licet nos oppositum putemus, cum ratio contractus, quæ ad sacramenti rationem supponitur non sit sacramentalis, nec pars sacramenti, sed de hoc suo loco. Secundum exẽplum de speciebus panis, vel procedit de speciebus, vt sunt materia proxima Eucharistię, & hoc modo poni non possunt, nisi ex intentione ponẽdi sacramentum, imò sunt ipsum sacramentum in recto, vt in tract. de Eucha. disp. 1. q. 3. docuimus, vel certè procedit de speciebus, vt materia remota sacramenti Eucharistię, & tunc non est ad rem, cum certum sit materiam cuiusq; sacramenti remotam, poni nõ debere ex intentione proprij sacramenti. Nec ratio quam ille auctor adducit, est ad rẽ; nam si aliquid valeret, probaret etiam, necessarium non esse confessionem poni, cum intentione faciendi sacramẽtum, cum pœnitens dum cõfitetur, non concurrat, vt minister Christi, vt illius personam repræsentat, sicuti quãdo dolorem ponit; sed solum vt purum suscipiens sacramẽtum. Aliud ergo est concurrere ad sacramentum, vt minister Christi, & aliud concurrere ad sacramentum, vt suscipiens illud, in vtroque casu proportionata requiritur intentio, cum differentia tamen, quod in ministro, talis poni debet intentio, per quã eius ministerium exprimatur; & in suscipiente talis similiter intentio poni debet, per quam susceptio significatur; vnde vt vides ratio Lugonis ipsi aduersatur.

Circa

Circa propositum nõ peccandi de cætero ad pœnitentiæ sacramentum requisitum, sunt variæ sententiæ, aliqui namque volunt requiri propositum formale, vt Medina C.de confess. quæst.*de confessione ficta iteranda*. Toletus lib.3.cap.4. Alij volunt nullũ requiri propositum. Hãc Suarez disput.20.sect.4. num 32. tribuit Soto. Verior,& tenẽda sentẽtia est quod sufficiat proposito virtuale in ipso dolore contentum, vt supra disput.2. q.2.§.*quares* 2. explicuimus.

QVAESTIO IV.

Quale peccatum sit confiteri venialia sine vllo dolore? & an sufficiat dolor virtualis. Vbi aliæ difficultates enodantur.

PHilippus Faber 4.dist.17. q.vnica disput.14.cap.3. num.51. defendere connatur non esse peccatum mortale, confiteri peccata venialia, sine vllo dolore, sed solum esse veniale,ita quod si quis mortalia confiteatur peccata.sine vllo dolore, peccet mortaliter; si vero venialia confiteatur, sine dolore vllo, peccet solum venialiter; quia,inquit, in primo casu frustratur sacramentum in re graui, in secundo vero solum in re leui: Sed hæc sententia nullatenus valet sustineri; vnde.

Nostra sententia sequenti explicatur cõclusione. *Si quis sola venialia confiteatur, & de illis nullum habeat dolorem, peccat mortaliter peccato sacrilegij*. Hæc conclusio est omnino certa, & illam defendũt omnes Theologi.

Probatur primò conclusio. Reddere sacramentum nullum, est graue irreuerentiæ peccatum; sed confiteri venialia sine vllo illorum dolore,est reddere pœnitentiæ sacramentum nullum;ergo erit grauæ irreuerẽtiæ peccatum, ac subinde mortale.Maior est com-

commune Theologorum sẽsus;cum enim sacramenta sint res grauissimæ, ordinatæ ad sanctificandos homines, & reddendo illos diuinæ consortes naturæ; non potest non esse, grauissimum sacrilegij genus, illa suis frustrare effectibus; cum enim nihil sit in mundo dignius, nihil nobilius post Deum, gratia sanctificante, & vnione hypostatica,& nulla actio esse possit dignior, nulla nobilior actione productiua illarum, sequitur, quod sicut grandis esset irreuerentia, impedimentum ponere vnioni hypostaticæ, ita similiter erit, simile irreuerentiæ genus, ponere impedimentũ gratiæ sacramentali; hoc autem fit in saeramento pœnitentiæ, dum peccata venialia sine vllo dolore confitentur; ergo. Minor etiam patet, & concedit Philippus Faber; ergo.

Respondebis cum Fabro esse quidem graue irreuerentiæ peccatum frustrare sacramentum suo effectu in re graui, non tamen in re leui. Nã contra est. Primò, quia licet peccatorum venialium remissio, sit res leuis, impedire tamen sacramentum, ne gratiã, ad quam ordinatur, producat, non potest non esse res grauis;aliud namque est peccata remitti venialia,esse quid leue, aliud vero, formam sacramenti falsam, reddere; & sacramentum ipsum suo effectu frustrare, & nullum reddere, esse quid leue; aliud est, acetum esse quid leue, & aliud est ipsum consecrando, Eucharistiæ sacramentum non efficere, & eiusdem Eucharistiæ formam, falsam hic, & nunc scienter reddere: certè nullus sanæ mentes dicere audebit solũ esse veniale peccatum verba consecrationis calicis supra acetum proferre, vel supra aliã materiam inneptam, &c. Quid enim refert ad homicidij grauitatem, quod homo sclopeto, vel bombarda occidatur? quod ense, vel acu? certè homicidij grauitas nunc à medio præcisè desumitur, sed ab hoc, quod homo vita, quæ res grauissima est, priuetur: ita pariformiter, parum refert ad sacrilegij, erga sacramenta, grauita-

uitatem, quod pœnitētię v.g. sacramentum irritum reddatur, ex defectu doloris, vel materiæ, vel intentionis, vel per quodlibet aliud, cum in se res grauissima sit; sūt enim sacramenta sola, & suprema Christi Domini, & diuinitatis instrumenta in ordine supernaturali ad gratiam causandam, ad homines iustificandos, ad ipsos diuinæ consortes naturæ reddendos,&c. Secundò, quia licet leue sit, venialium peccatorum dolor; non tamen leue est, ponere cætera, ad Pœnitentiæ sacramentum requisita, & non ponere dolorem: est leue ponere, vel non ponere venialium dolorem vt ex se liquet, non tamen est leue ponere cętera ad hoc sacramentum requisita, & non ponere consulto dolorem, dolor namque non requiritur, vt ponatur ratione venialium, sed ratione sacramenti, cum de huius ratione sit vt supra, & infra dicemus, quod indispensabiliter connotetur, cum omnia Cōcilia, & Patres velint dolorem esse modo alibi explicato, Pœninitentiæ sacramenti, partem; vnde ob id sicut esset peccatum mortale cetera ad hoc sacramentum requisita ponere, & non ponere confessionem, ita, & non ponere dolorem, alioqui si ob materiæ leuitatem in se esset solum veniale non ponere dolorem, in Pœnitentiæ sacramento, ita ob eandem rationem solū veniale peccatū esset in Baptismo non ponere ablutionē, cum in se res leuissima sit.

Probatur secundò ex inconuenientibus quæ in Fabri sententia sequuntur. Primò namquè sequæretur non esse peccatum mortale frustare Pęnitentiæ sacramentum suo effectu confitendo mortalia sine dolore, licet.n. peccatum mortale res grauissima sit, nō tamen est res grauissima, nec grauis, sed leuis quod deleātur per confessionem A, vel per confessionem B. Sequęretur non esse mortale, quod Baptizatus iterum rebaptizetur cum nullo fructu se priuet cuius sit capax. Sequęretur non peccare mulierem, quæ habitu induta virili, sacros reciperet ordines, cum nullo fructu capaci se priuet: Sequęre-

quęretur Sacerdotē non peccare mortaliter panem consecrando hordeaceum, cum ipse nullo se priuet fructu, cū solum fiat irritum sacramentū in re leui, quæ gratiæ fructum impedire non valet, & etiamsi valeret sponte eo se priuare posset, cum nulla sit obligatio operandi pro gratiæ augmento acquirendo, hæc omnia, vt patet absurda sunt, & ex Fabri sententia sequi videntur: ergo. Soluuntur argumenta in oppositum.

Primum argumentum: si quis plura confiteatur venialia, & de omnibus nò doleat, sed solum de aliquo, vel aliquibus, non peccat mortaliter; ergo neque si de nullo doleat; Antecedens admittūt omnes. Consequentia probatur; nam in vtroque casu confitens leui priuatur emolumento, & in vtroque casu, frustratur sacramentalis absolutio, effectu leui; ergo &c.

Respondetur concedendo Antecedens, vt postea videbitur, & negando consequentiam; ad probationem iam patet ex dictis, nam in casu quo quis de nullo doleat veniali sacramentalis absolutio absolutè & simpliciter frustratur, cum sacramentum sit nullum, at vero in casu quo quis plura venialia confiteatur peccata, licet absolutio frustretur secundum quid, nō tamen simpliciter, quia materia datur sufficiens ad verū, & validum ponendum sacramentum.

Secundum argumentum: In Caietani, & aliorum sententia quæ tenet, Eucharistiæ sacramentum suum gratiæ effectum non producere, nisi in homine cum actuali attentione, & deuotione accedente, si quis sine illa accedat non peccat mortaliter, & non ab aliam rationem, nisi quia censetur leui effectu priuari; atqui hoc idem in nostro casu contingit; ergo. Respondetur diuersam esse rationem in casu Caietanæ sententiæ, & nostræ, nam in sententia illa Caietani, licet Eucharistię sacramentum suo frustretur effectu, nō tamen sit nullum; at in nostro casu nullum ponitur sacramentum. Deinde dico, quod ob id Caietani sētentia communiter reicitur,

cum res grauis videatur, venerabile Eucharistiæ sacramentum, suo scienter frustrare effectu; cum volũtaria, accedẽdo, distructione. Ob hoc diximus de Eucharistia, hoc sacramentum ad sui effectus productionem non requirere actualem attentionem, nec deuotionem, licet optimum sit hæc habere.

Tertium argumentum. Nõ est peccatum mortale, leuem non adimplere pœnitentiam; ergo neque erit peccatũ mortale confiteri leuia, sine dolore. Respondetur diuersam planè esse rationem antecedentis, & Consequentis; nam in casu Antecedentis, sacramentum non fit nullum, benè in casu consequentis. Vnde etiamsi in primo casu, aliquo, sic confitens, priuetur effectu, non tamen peccat mortaliter, cum verum ponat sacramentum, & aliunde obligatio grauis non intercedat, cum materia sit leuis.

Quartum argumẽtum, potest quis ob grauis damni vitationem, exterius matrimonium contrahere, & interius, contrariam habere intentionem, & sic nullum facere sacramentum, vt communiter admittunt Theologi; & hoc sine peccato mortali, imò aliquando etiam sine veniali; ergo etiam poterit quis saltẽ ex aliqua occasione, sine peccati mortalis reatu, facere pœnitentiæ sacramentũ nullum.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando cõsequentiam. Ratio discriminis multiplex. Prima quia potest dari casus, in quo quis excusetur à non ponendo interiori cõsensu pro matrimonio non ponendo, non tamen casus assignari potest, in quo quis possit sua peccata confiteri, & possit excusari à dolore non ponendo. Nã matrimonium est contractus onerosissimus, afferens vinculum indissolubile, vnde si quis cogere velit aliquẽ ad contrahendum, & iste non possit ob mortis metum recedere, poterit interiorem non ponere consensum; non sic in dolore. Secũda, quia in matrimonio, ratio sacramenti, non est per se primo inspecta; sed ratione contractus naturalis, quem ratio

ratio ſacramenti ſequitur, ex Chriſti Domini inſtitutione; vnde id quod excuſare habet à non ponenda contractus intentione, excuſare etiam habet, à non ponenda ratione ſacramenti. Nõ ſic eſt in alijs ſacramentis, cum in illis ratio ſacramenti ratione ſui, nõ ratione alterius inſpiciatur. Vnde matrimonium licet ſacramentum ſit, eſt tamen in multis priuilegiatum, vt quod fieri quæat per procuratorẽ; quod poſſit fieri per appoſitionem conditionis de futuro &c.

Circa ſecundam difficultatem in quæſtionis titulo poſitam, an nimirum requiratur dolor formalis; an vero ſufficiat virtualis. Eſt prima ſententia Tamburini in opuſc. expeditæ confeſſionis lib. 1. c. 3. §. 1. num. 1. & 2. quod pro venialium confeſſione, virtualis dolor ſufficiat. Vnde dicit, quod ſi quis accedat ad confitenda venialia ſine actuali illorum complacentia, cum deſiderio recipiendi ſacramentum, eiuſque effectum; cũ in hoc deſiderio ſufficienter, virtualẽ habeat deteſtationem, bene erit diſpoſitus.

Sed hæc Tamburina ſententia eſt prorſus eliminanda. Primò quia eſt contra apertã Tridentini doctrinam ſeſſ. 14. cap. 3. vbi dicitur: *ſunt autem quaſi materia huius ſacramẽti ipſius pœnitentis actus, nempe contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente, ad integritatem ſacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorũ remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes requiruntur.* Patet autem, quod deſiderium recipiendi ſacramentum, nec contritio perfecta, nec imperfecta eſt, vt patet ex eodem Cõcilio cap. ſequenti, vbi vtriuſque contritionis naturam explicat.

Secundò quia eſt contra communem Theologorum ſenſum, qui volunt pœnitentiæ ſacramentum de neceſſitate importare dolorem peccatorum. Videatur Magiſter, Angelicus q. 90. art. 2. & omnes eius expoſitores. Tertiò quia eſt contra manifeſtam rationem; Nam ille dolor

requiritur ad pœnitentiæ ſacramentum ponendum, per quem fiat peccati retractatio, & deteſtatio; ſed dolor virtualis, ſeu diſplicentia virtualis, quæ habetur ex deſiderio confitendi, non eſt talis, ergo. Maior patet, ſacramentum namque pœnitentiæ eſt inſtitutum ad tollendum peccatum retractatũ; eodem enim modo quantum ad hoc facit pœnitentiæ ſacramentũ venialium deletionem, ac mortalium, & eadem diſpoſitio proportionalis requiritur ad delenda venialia per ſacramentum, ac mortalia. Minor probatur, quia diſplicentia virtualis, quæ habetur in deſiderio recipiendi hoc ſacramentum, ſtare poteſt cum affectu ad peccatum, ſaltem veniale; ergo hæc diſplicentia virtualis, cum affectum peccandi non excludat, non erit ſufficiens diſpoſitio ad hoc ſacramentum recipiendum. Vnde licet peccata venialia remitti poſſint extra ſacramentum per ſolam illorũ virtualem, & ſimplicem diſplicentiam, tamen in ſacramento, non niſi per diſplicẽtiam formalem, & efficacem remitti poſſunt, cum talis ſit huius ſacramenti natura. Sicuti ſi quis fuiſſet à mortalibus per dilectionis actum iuſtificatus, adhuc deberet formalem, & efficacem doloris actum elicere, quando illa poſtea confiterentur, vt ſuo loco notauimus, & docent omnes.

Sed quæres primò, an ſufficiat ille dolor, quo quis dolet ſe non dolore, ſeu an ſufficiat ille actus quo quis deſiderat conteri, ſeu dolere. Comitolius apud Victorellum in Summa Toleti lib. 3. cap. 4. vbi etiam citat Nauar. & videtur eſſe eiuſdem Toleti sẽtentia, tenet partem affirmatiuam, vnde dicit, quod qui nullo afficitur dolore, dicit tamen ſe vehementer dolere, quod de ſuis peccatis dolere non poſſit, ſit ſufficienter diſpoſitus, pro ſacramento pœnitentiæ ponendo. Sed hæc ſententia præcisè vt ſonat nõ eſt vera, cum, vt patet ex dictis, dolor de peccatis ex aliquo ſupernaturali motiuo

omni-

omnino requiratur ad pœnitentiæ sacramentum ponendum. Puto tamen esse valde difficile, & practicè impossibile, quod quis vehementer doleat se non dolere, vel desideret efficaciter se dolere, vel conteri, & quod sufficiẽtem non habeat dolorem, licet reflexè illum non cognoscat; præsertim quãdo est purè internus, & passionem in sensu non causat.

Quæres secundo, an pœnitens sub mortali teneatur dolere de omnibus venialibus, quæ confitetur, an vero sufficiat dolere de aliquo, ad hoc, vt pœnitentiæ sacramentum subsistat. Verior, & communior Theologorum sententia est, ad pœnitentiæ sacramentum ponendum sufficere de aliquo veniali dolere, nec esse necesse de omnibus dolore, quæ in confessione dicuntur. Ratio communis est pro omnibus sacramentis, quia videmus omnia sacramenta subsistere, etiamsi cum propria, & idonea materia, alia non idonea ponatur, vt in baptismo, si quis aqua vtatur naturali, non adeo pura, vel in qua alterius liquoris pars minima, reperiatur, si quis vtatur hostia nõ adeo ex furfure purgata &c.

Quæres tertio, an in casu præcedentis difficultatis teneatur Pœnitens certiorem facere confessarium se non habere dolorem de omnibus peccatis, sed solum de illo, vel illo. Respondetur negatiuè, si enim teneretur certiorem facere confessarium de doloris carentia, nulla esset ambigendi difficultas in casu præcedentis difficultatis; nec requiritur quod pœnitẽs habeat positiuum animum non ponendi illa venialia, vt confessionis materiam, sed sufficit quod ea omnino ponat, quæ necessaria sunt ad validum ponendum sacramentum.

Quæres tertio, an id quod diximus de peccatis venialibus valeat etiam quoad morlia iam confessa, vt quando quis confessionem facit generalem, an teneatur de omnibus peccatis mortalibus, alias confessis dolere. Et respondeo idem esse dicẽdum in vtroq; casu, sicut enim qui gene-

generaliter confitetur, non tenetur omnia mortalia alias confessa exponere, ita non est obligatio de omnibus dolere, licet aliunde sit valde difficile dolere de vno mortali, & non dolere de omnibus saltem virtualiter, de quo supra.

Quęres quarto, an attritio cognita, sit sufficiens dispositio cum sacramento, ad gratiam ponendam. Respondetur affirmatiuè cum communi Theologorum sententia, & constat apertè ex Tridentino sess. 14. cap. 4. vbi absolutè id docet, nulla facta mentione bonæ fidei, vel quod debeat esse putata contritio, vt aliqui voluere, alioqui simplicium, vel rusticorum conditio melior esset, quam conditio Theologorum, illi enim cum nesciant distinguere inter cōtritionem, & attritionē, facilius possunt bonam habere fidem de contritione, quā Theologi, quam docti, quod non est dicendum; tum quia cum hoc sacramentum sicut, & Baptismus, sit mortuorum sacramentum, à mortuo suscipi potest, non posset autem suscipi nisi per accidens, quādo suscipiens putaret esse viuus per contritionem, & mortuus esset.

Quęres quinto, ad quę peccata venialia se extendat ille dolor, quo quis quando confitetur, dicit me accuso de omnibus venialibus, vel de omnibus mendacijs? Respondere optimum consilium esse in confessione (loquendo de venialibus) assignare materiā determinatam saltem in specie subalterna, vt accusare se de omnibus mendacijs, mendacium autem species subalterna est, seu quoddam genus non adeo vniuersale, habens sub se proprias species, & tunc si dolor re vera ad omnia ista venialia se extendat, & sint aliunde materia sufficienter determinata, òmnia per sacramentum dimittentur, si vero quis se accusaret solum de venialibus vt sic, non descēdendo ad aliquam speciē, vel genus magis determinatum, dummodo re vera de omnibus doleat, omnia etiā de quibus ille dolor fuit, dimittentur; dico de quibus ille dolor fuit, quia si post talem

lem doloris vniuersalis actum aliquod veniale committeretur, hoc directè non dimitteretur, ac autem indirectè constat ex dictis super disput. 2. q. 9. vbi plura diximus de venialium remissione. Hæc vt dixi procedunt de venialium confessione, & dolore, quia si de mortalibus loquamur, licet dolor possit esse vniuersalis, confessio tamen debet esse determinata quoad species peccatorum, & numerũ, quia cum hoc sacramentum sit institutum per modum iudicij, & in iudicio de causis grauibus, debeant ipse causæ in particulari cognosci, secus in leuibus, fit quod mortalia debeant particulariter confiteri, venialia vero possunt etiam in sua vniuersalitate cognosci, &c.

Queres sexto, an dolor, seu attritio vniuersalis, qua quis doluit de omnibus peccatis venialibus, & mortalibus, reuocetur, per subsequens peccatum veniale, ita quod si quis, eo casu sine nouo dolore ad Pœnitentię sacramentũ accederet, indispositus accederet. Affirmatiuè respondet Lugo, loquendo speculatiuè, quia sicut nouum mortale præcedentem interrumpit dolorem, ita, & nouum veniale. Sed nec speculatiuè, nec practiuè vera est illa sententia, nam peccatũ nouũ veniale, per se interrumpere non habet dolorem de mortalibus, & venialibus habitũ, cum optimè stare possit, quod quis doleat de omnibus peccatis præteritis, & tamẽ nouũ comittat veniale; vt modo dicetur de proposito. Nec argumentum, quo conuincitur Lugo, aliquid probat, nã licet verum sit peccatũ nouũ mortale interrumpere dolorẽ præteritum, non tamen nouũ veniale per se loquẽdo: quod sequens difficultas magis dilucidabit.

Queres septimo, quale propositum requiratur ad hoc vt quis venialium obtineat, per Pœnitentię sacramentum, remissionem. Supponit difficultas requiri propositum nõ peccandi de cetero, ad sacramentum Pœnitentiæ ponendum, vt docet Tridentinum, & Theologi omnes, licet sufficiat tale propositum esse

esse virtuale; de eius vniuersalitate, vel particularitate disquiritur: ratio difficultatis est, quia non videtur quonãmodo possit quis, dum dolet de omnibus venialibus præteritis, habere propositum vitandi omnia venialia futura; cum enim propositũ debeat dolori commensurari, & dolor sit vniuersalis, etiam propositum vniuersale esse debet, hoc autem non videtur esse possibile, cum omnia venialia futura vitari non possint.

Ad hanc difficultatem respondet Suarez hic disput. 4. sect. 3. nu. 5. & in comment. art. 1. q. 87. quod dum quis dolet de omnibus venialibus non potest habere propositũ vitandi omnia venialia, sed solum faciendi quantum est ex parte sua, & quantum in ipso erit vitandi, vel minuendi omnia venialia, quantum humano modo id fieri potest. Sed hæc responsio nullo modo sustineri debet, primò quia non explicat modũ quo propositum dolori respõdeat. Secundò quia tale propositũ non potest à vera oriri contritione; nec attritione, nam dolor de peccatis sufficiens ad iustificationem, debet (per Tridentinum sess. 14. cap. 4.) affectum ad peccatum excludere, atqui tale propositum non excludit, ergo neque dolor à quo causatur. Minor ostenditur, nam optimè stare potest cum affectu non solum ad venialia, verum etiam ad mortalia, quod proponat illa vitare quantum humana patietur fragilitas, & illa minuere. Tertio quia cum tale propositum non sit efficax, vt patet, nec dolor à quo procedit, efficax erit.

Lugo hic disput. 14. n. 133. & sequentibus, duobus modis ad propositam respondet difficultatem. Primò, quod quãdo quis dolet de omnibus peccatis suis venialibus, non intendit dolere nisi de illorũ collectione; nõ de singulis; ad eum modum quo religiosus se accusat de transgressionibus regulæ; tunc enim temporis non intendit dolere de singulis transgressionibus; sed solum de illarum collectione, vel frequentia, & de hac frequentia tollenda procedit propo-

propositum. Secundò dicit sensum illius doloris de omnibus venialibus non esse volitionis absolutæ vitandi peccata futura, nempe *volo nunquam peccare venialiter*: sed conditionatæ, & sensum esse: *volo quantum est in me, nunquam peccare venialiter, licet sciam ex fragilitate me peccaturum*.

Sed neutra responsio placet, non quidem prima, quia non puto verum, quod dum fideles de omnibus suis dolēt peccatis eorum intentio non ad peccata ipsa, se extendat, sed ad solā peccatorum collectionem, & frequentiam, imò de vtroque quandoque dolere solent, nempe & de peccatis ipsis, & de illorum frequentia, tanquam de peccatorum quadam circonstātia: certè ridiculum esset, fideles dolere de illa peccatorum venialium circunstantia, & non magis, & prius dolere de peccatis ipsis. Tum quia, dato quod de illa collectione, vel frequentia, vt sic, dolerent fideles, ex consequenti tamē etiam de ipsis peccatis sub tali collectione contentis dolere debent, nec remitti potest peccatum sub illa ratione generali, quin etiam remittatur sub rationibus specialibus illius. Tum etiā quia, adhuc non explicatur; quomodo propositum dolori respondeat, nam si dolor est de illa collectione, etiam propositum erit de eadem collectione dumtaxat vitanda, patet autem quod collectio, sub proposito ad confessionem necessario, non cadit, nā propositum ad confessionem necessarium, affectum erga peccatum futurū excludere debet; atqui propositum vitandæ collectionis peccatorum stare potest cum affectu erga peccatum, licet excludat frequentiam illius, vel collectionem; ergo.

Neque etiam solutio secūda placet, nam licet verum sit, posse esse dolorē de peccatis cum sufficienti proposito correspondēte ex vna parte, & ex alia possit dolens credulitatem habere, se postea ex fragilitate casurum; tamen & dolor, & propositum correspondens, esse debent volitionis, non solum conditio-

natæ, sed efficacis, verũ etiam absolutæ, quod ille negat, & ratio est, quia omnis dolor, & propositum correspõdens, ad hoc vt sit sufficiens, pro peccatorum remissione facienda, siue extra, siue intra sacramẽtum debet esse absolutus nõ conditionatus; cum dolor cõditionatus stare possit cum affectu ad peccatum, vt patet, imò propositum quod Lugo ponit, absolutum esse videtur, vult enim sensum illius doloris vniuersalis esse *doleo de omnibus peccatis meis, & quantũ est in me nunquã peccare volo venialiter, licet sciam ex fragilitate me peccatorum*: certè iste actus non est conditionatus, sed absolutus, non enim video sub qua conditione fiat, aliud namque est dolere, vel proponere vitare peccata sub conditione, & aliud est scire, se ex fragilitate esse peccatorum, hoc enim non est conditio, vt patet. Adde illum auctorem duo repugnantia dicere videri, nempe illud propositum esse efficax, & non esse absolutum; quod enim efficax est, absolutũ est, & quod sub conditione est, cum à conditione ipsa depẽdeat, efficax non est. His ergo prætermissis.

Respondetur ad difficultatem propositam cum Doctore Angelico q. 87. ar. 1. ad primum, vbi ita loquitur. *Pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere, ab omnibus, & singulis peccatis mortalibus; sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus; quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur*. Quorum verborum sensus est, quod in hoc discriminetur propositum vitandi mortalia, in eorundem mortalium dolore contentum, à proposito vitandi venialia, quod illud esse debet de omnibus, & singulis mortalibus, hoc vero nõ de omnibus collectiuè, sed de singulis solum diuisiuè, propositum autem vitandi singula venialia diuisiuè, contenta sub illo vniuersali dolore, non reuocatur, per commissionem huius, vel illius venialis, sed per commissionem omnium venialiũ diuisiuè sumptorum, sub illa

colle-

collectione contentorum; cũ enim propositum vitandi venialia in illo vniuersali dolore contentum, sit de omnibus venialibus diuisiuè acceptis: (collectiuè namq; omnia vitare venialia humanam transcendit infirmitatem) non cẽsetur reuocatum per commissionem huius, vel illius venialis; sicut nec propositum vitandi hoc veniale tollitur per cuiusque venialis commissionem, sed per commissionem illius dumtaxat. Adde valde probabile esse, quod dolor, & propositum de aliquo, vel aliquibus, vel omnibus venialibus habitum, non reuocetur per commissionem cuiuscunque venialis, sed solum per expressam retractationẽ; & iste videtur esse communis sensus fidelium, qui posito de aliquo, vel aliquibus venialibus dolore, etiãsi postea alia venialia committãt, vel ante, vel etiam in ipsa confessione, non sunt soliciti de nouo dolore ponendo, vnde diximus supra q. 2. esse piorum vsum confiteri de aliquo peccato vitæ preteritæ, de quo aliquãdo dolorem habuerunt, vt si fortè tunc propter vsum, non habeant verum dolorem, & propositum emendationis illarum leuiũ culparum, quas confitentur, sacramentum nõ fiat irritum; Vnde omnes fateri debent differentiã esse inter dolorem, & propositum quoad mortalia, ac quoad venialia, quod illud per quodlibet peccatum reuocetur, vt ex se liquet, hoc vero non nisi expressè; alioqui magnis scrupulis exponerentur fideles, si semel dolore, & proposito de aliquo peccato veniali habito, per aliud veniale reuocaretur; imò frequentissimè confessiones inualidè fierent, cum post peccatorum dolorem venialium, alia venialia committantur.



QVAESTIO V.

An attritio, vel dolor quem ostendit ille, qui sua confitetur peccata manens in occasione proxima, vel qui statim relabitur, censeatur sufficiens ad pœnitentiæ sacramentum ponendum. Vbi etiam aliæ difficultates resoluuntur.

OCcasio proxima cōmuniter definitur, quod sit illa, in qua quis positus, vel per se, moraliter loquendo, vel vt in plurimum, labitur in peccatum; occasio vero remota illa est, in qua quis positus nec per se, nec vt in plurimum labitur in peccatū. Deinde occasio proxima diuiditur in liberam seu voluntariam, & in non liberam, seu non voluntariā, occasio proxima libera, illa est, quā quis sine scandalo, sine graui infamia, sine magno spirituali, vel temporali detrimento vitare potest; non libera illa dicitur, quam quis vitare non potest sine scādalo, sine infamia &c. hoc posito.

Dico primò, *in remota existens occasione absolui potest, dum de proprijs dolet peccatis etiamsi propositum non habeat talem vitandi occasionem*. Est communis Theologorum sētentia, alioqui opporteret de mundo exire, vt dicit Apost. 1. Cor. 5. cum in omnibus ferè statibus occasio detur remota mortaliter peccandi. Vnde ob hoc dicunt plures, absolui debere adolescentes, qui laborando cum fœminis, vel conuersando, cum in eadem domo habitent, etiamsi cum illis peccent cogitatione, consensu, tactu, & copula; quia ea occasio remota censetur, dummodo proponant se non amplius peccaturos.

Dico secundò, *existens in occasione proxima libera, absolui*

ui non potest, per se loquendo, cum tunc non censeatur sufficienter dispositus per dolorem, & propositum requisitum; nam qui in proxima peccandi occasione libere manere vult, censetur affectum ad peccatum conseruare. Dixi per se loquendo, quia per accidens absolui posset, qui sufficienter dispositus censeretur. Si pœnitens extraordinarium ostenderet peccatorum dolorem, & extraordinarium propositum. Similiter si proponeret noua adhibere remedia ad non cadẽdum, cautellas nouas, vt si occasio esset cum domestica fœmina, proponeret nunquam manere velle cum ea in eodem cubiculo, sed quoties in illius cubiculum intrabit, erit associatus, &c.

Dico tertiò, *qui est in occasione proxima non libera absolui potest, & sufficienter dispositus censetur, dummodo verè de suis doleat peccatis, & proponat quantum in se erit non peccaturum, etiamsi aliunde credat ex fragilitate peccaturũ fore.* Et hoc colligitur ex cap. *consulisti* de frigidis, & maleficiatis, vbi decernitur eos qui matrimonium nullũ cõtraxerũt ex defectu potẽtiæ coeundi, ob infamiam vitandam, posse manere simul tanquam frater, & soror; etiamsi aliquando aliqua sequærentur peccata, vt oscula, tactus, &c. Et ratio est, quia nullus obligationem habet illas vitandi occasiones, quæ vt auferantur in propria non sunt potestate. Sic filiusfamilias, qui cum famula peccare solet, absolui potest, & sufficiẽter dispositus censetur, etiamsi talem non remoueat occasionem, cum in eius non sit potestate illam remouere; idem dic de famulo, qui cum hera peccare solet, si sibi valdè damnosum sit, talem famulatum relinquere, quia difficulter alium inueniet dominum; in hijs tamen, & similibus casibus, curare debet prudẽs confessarius, de aliquo remedio, vt quod ille famulus solus non agat cum hera, quod ipsã corripiat, &c. Ratio dicti est, quia proxima occasio non necessitat ad peccandum, sed cum proposito non peccandi stare potest.

Sed

Sed quæres primo, an Pœnitens, qui sepius confitetur, sepius etiam relabitur, sufficientẽ habere censeatur dolorem, & propositum, & subinde semper possit absolui. difficultas hæc potissimè procedit respectu illius qui sepe absolutus fuit absque proximæ occasionis remotione, ob graue detrimentum, quod passus fuisset in illius remotione. Ad quam difficultatẽ respondet Suarez disput. 32. sect. 2. & alij, quod ille talis cogendus sit tale detrimentũ subire, & talem occasionem relinquære, nec aliter absolui possit, cum non videatur habere, nec dolorem sufficientem, nec propositum, cum semper relebatur, nec vlla correctio repetiatur. Verior tamen, & communior est sẽtentia opposita, cum qua dico *talem relapsum per se loquendo absolui posse, & debere*. & ratio communis est, quia adhuc post talem relapsum, & talem experientiam, verus dolor, verumque propositum stare potest, cum positiua voluntate talem non auferendi occasionem, non absolutè, sed cũ tali detrimento; ergo. Antecedens patet, quia Pœnitens ob graue detrimentum fuit excusatus quando primò confessus fuit, & ob hoc non tenebatur illud subire pro illa vitanda occasione, ac subinde esse poterat sufficienter dispositus, ergo etiam modo. Antecedens admittunt omnes: consequentia probatur, quia detrimentum quod semel excusat, semper excusare potest; si enim semel quis nõ tenetur se ipsum infamare, numquam per se loquendo, tenebitur id facere: dixi per se loquendo, quia si ex tali relapsu, doloris, & propositi carentia argueretur, tũc absolui non posset.

Quæres secundò, an ille sit sufficienter dispositus per dolorem, & propositum, qui nõ vult vitare occasionem labẽdi in aliquod mortale in communi, seu indeterminatum. v g. Petrus expertus est, quod quoties conuersatur cum Ioanne, toties in aliquod peccatum labitur, vel saltem vt in plurimum, vt ex octo vicibus quibus cum illo conuersatur, labitur quinque vicibus, sed modo

modo in carnis peccatum, modo in peccatum detractionis, modo in peccatem gulę, &c. An tunc teneatur Petrus, Ioannis conuersationem vitare; & si nolit eam vitare censeatur non esse dispositus per dolorem, & propositum sufficiens. Suarez, & Filliucius apud Lugum disput. 13. nu. 161. dicunt Petrum non teneri talem occasionem vitare, eo quod occasio labendi in aliquod peccatum in communi, seu indeterminatum non censeatur proxima, sed remota; volunt namque occasionem illam proximam dici, inter quam, & peccatum ipsum, mediat tentatio proxima ad peccatum in particulari; quando vero mediat tẽtatio ad peccatum nõ in particulari. sed solum in communi remota occasio sit. Sed hæc sententia displicet Lugo, & alijs communiter, & merito quidem. Quia illa eadem obligatio, & maior quæ me obligat ad vitandum hoc peccatum numero, me etiam obligat ad vitandum hoc, vel illud, quid enim refert quod ego sciam quod cõuersando cum tali, peccabo peccato grauis detractionis, vel quod sciam quod conuersando cum illo tali peccabo mortaliter, licet nesciam, an tale mortale debeat esse detractionis, vel gulæ? &c. certè illa obligatio, quam habeo vitandi occasionem, non peccandi peccato detractionis, me etiam obligat ad vitandum quodlibet aliud mortale, etiam si determinatè nesciam quodnam illud sit, dummodo sciam quod re vera mortaliter peccabo. Nec verum est quod occasio proxima illa sit inter quam, & peccatũ mediat tentatio particularis, ad particulare peccatum; nam cæteri Theologi non requirunt ad occasionẽ proximam medium tentationis, sed nexum moralem, labendi, saltem vt in plurimum in peccatum, alioqui ille, qui ludi occasione peierat, vel blasphemat, talem occasionẽ vitare non teneretur, quia non mediat tentatio proxima & particularis ad tale periurium ponendum? Maneat ergo esse obligationem vitandi occasionem peccandi mortaliter,

taliter, siue hæc occasio sit ad determinatum peccatum, siue ad indeterminatum, cum vtrobique periculum gratiæ perdendæ reperiatur.

Quæres tertiò an confessarius possit Pœnitenti relapso, aliquando absolutionem differre, an vero teneatur illum absoluere, præsertim quando dicit se esse sufficienter dispositum per dolorem, & propositum. Ioannes Sancius in suis practicis disputationibus disput. 9. nu. 6. & sequentibus, dicit non posse confessarium recidiuo absolutionis beneficium denegare, nec etiam ad experimentum differre, sed teneri illi statim absolutionem impendere, & & teneri credere Pœnitenti dicenti se dispositum esse per dolorem, & propositum. Sed communior sententia oppositum tenet, præsertim quando confessarius videt, Pœnitentem, pluries fuisse relapsum, sine vllo emendationis signo. Si tamen confessarius modo, nouum obseruaret dolorem, & propositum, seu videret firmius proponere, & nouas proponeret adhibere diligentias, absolui deberet; nec confessarius facilis esse debet in differenda absolutione, quia, vt experientia didici, maiora sequuntur mala. Hoc consilium executioni mādent confessarij, præsertim cum iuuenibus, in carnis relapsibus, quia certè stare potest dolor & propositum sufficiēs, cum illis relapsibus, cum inimicus sit adeo potēs, vicimus, & numquam abscedat, &c.

Quæres quarto an Pœnitens recidiuus possit non confiteri consuetudinem peccandi? Conueniunt omnes, consuetudinem peccandi, non esse nouum peccatum, distinctum ab illis, quæ ex tali cōsuetudine committuntur, & proinde non teneri Pœnitentem consuetudinem peccandi confiteri, sed sufficere, si ipsa peccata fateatur, vt est communis fidelium vsus, vix .n. vnum inuenies, qui talem consuetudinem confiteatur. difficultas est, an si Pœnitēs à confessario interrogetur de tali consuetudine, teneatur respondere. Ioannes Sancius loco supra citato dicit nō teneri

teneri Pœnitentem respondere, sed posse vti æquiuocatione interius retenta, vel cōcepta scilicet vt teneatur dicere: cum enim inquit ille, non sit obligatio confitendæ consuetudinis, cum modo per cōfessionem interrumpatur, & ex alio parte cum timeat Pœnitens, quod si cōsuetudinem fateatur, confessarius absolutionis beneficium denegabit, vel differet, habet sufficiens fundamentū vtendi æquiuocatione. Communior tamen sententia oppositum tenet, quia confessarius ius habet cognoscendi Pœnitentis dispositionem, & peccandi consuetudo infirmū arguat emendationis propositum, sequitur confessarium posse Pœnitentem de consuetudine interrogare, & Pœnitentem teneri respondere; est enim Cōfessarius tum iudex, tum Medicus habens ius cognoscendi ea omnia, quæ necessaria sunt tum ad Pœnitētis correptionem, tum ad eiusdem Pœnitentis sanitatē spiritualem.

Quæres quinto, an si detur casus, quod pœnitens aliquod peccatum commiserit, & illud non confiteatur; Confessarius qui hoc scit possit talem pœnitentem nō absoluere? Prima sententia tenet Confessarium non posse talem pœnitentem absoluere; quia sacramenti forma pronunciari nō debet, vbi constat subiectum esse indispositum. Ita plures apud Dianam de sacram. res. sol. 105. Secunda sentētia est pœnitentem absolui debere. Ita alij apud eundem Dianā: Mihi media via incedendum videtur: Si re vera confessario constaret de pœnitentis indispositione, certè nullo modo absoluendus esset; cū enim Sacerdos sit in hoc Sacramento iudex, non potest sententiam proferre absolutiuam, supra subiectum incapax; si vero id non constet; quia licet sciat Confessarius pœnitentem, tale peccatum commisisse, persuadere tamē sibi potest, pœnitentem etiā de illo interrogatus, illud negare, non quia illud non cōmiserit, sed quia putat non teneri illud confiteri, tunc si aliunde videat pœnitentem esse sufficienter dispositum,

eum abſoluere debet; alioqui grauis illi iniuria irrogaretur.

Quæres ſexto, an Confeſſarius poſſit abſolutionem illi negare, qui habet iurandi cõſuetudinem, ex inaduertẽtia. Et reſpondetur communiter negatiuè, & ratio eſt, quia iuramentum, & blaſphemiæ ex inaduertentia prolatæ, non ſunt peccata, eo quod ex ſui natura illi actus requirunt, quod ab vtente ratione proferantur. Vnde poſtquam pęnitens firmo propoſito habitum, vel conſuetudinem liberè peierandi retractauit, ſi poſtea ex inaduertentia iterũ in tales actus prorumpat, nullum peccatum committet; ac ſubinde ſi aliunde ſit ſufficiẽter diſpoſitus abſolui debet, nec eſt neceſſe, quod de illis actibus ex inaduertentia factis doleat, vel proponat &c. cum peccata non ſint.

Quæres ſeptimo, an ille pœnitens cenſeatur non habere ſufficientem dolorem, & propoſitum, qui non vult reſtituere niſi per partes, ob aliquod emolumentum inde proueniens, ſi creditor nolit dilationem non ſibi nociuam concedere; aliqui volunt nõ habere ſufficientem diſpoſitionẽ, & ſic abſolui non poſſe. Alij id admittunt, quando emolumentum, eſt alicuius conſiderationis, & alter vel nullum, vel paruum patitur damnum ex tali dilatione, eo enim caſu præſumi poteſt de rationali intẽtione, licet irrationabiliter talẽ creditor facere nolit dilationem, & hoc eſt valde probabile: nec confeſſarius deberet ea occaſione, nimis pœnitentem vrgere, nec negare, nec differre abſolutionem; cum fortè, vel non reſtituet, vel nimis differet, & ſic minus vtiliter vtriuſque negotium ageret.



DISPV-

DISPVTATIO QVINTA

De sacramentali Confessione, quoad præceptum illius.

DE confessionis præcepto præsens procedit disputatio, nō de eius institutione.vel natura: nam de illius institutione egimus sufficienter quæstione prima disput.3. vbi ostendimus pœnitentię sacramentum fuisse à Christo Domino institutum,non ab Apostolis, vel Ecclesia, vel ab aliquo Concilio. Similiter de Confessionis essentia, vel natura patet ex dictis loco citato, in ipso disputationis principio, vbi Pœnitentiæ sacramenti definitionē posuimus. Quod si velis ipsius confessionis solitarie definitionem habere, dico illam optimè definire M.Soto 4.dist. 18. q. 2. art. 1. quod sit *Sacramentalis peccatorum accusatio ad illorum remissionem, virtute clauium, obtinendam*. Solum aliqualis difficultas esse potest,an Cōfessio sit actus virtutis, & cuius virtutis esse possit; Et dico confessionem prout in peccatore,'gratiæ præcedit infusionem, non posse esse actū virtutis pœnitentiæ infusæ; nam cum hæc virtus, vt supra dicebamus, non nisi cum gratia infundatur, ante gratiam esse nequaquam potest; prout autem gratiam supponit, potest esse actus pœnitentiæ infusæ exterior. A' qua autem virtute sacramentalis confessio in peccatore imperetur, dico secundum aliquos ab illa imperari, vel esse actum exteriorem illius virtutis, à qua attritio elicitur; quod si attritio non ab aliqua virtute, sed ab auxilio eliciatur eiusdem auxilij, & attritionis virtute, Confessio proficiscetur, sed verius esse confessionem, vel

ab aliqua supernaturali, virtute vt fide, spe, &c. imperari, vel ab auxilio elici nō à cōtritione, vel attritione, vt patet ex dictis supra dis 4.q.1. cōtra Coninchum. Relicta ergo cōfessionis sacramentalis natura, & institutione, ad præceptum illius, & annexa descendimus: Vnde sit.

QVAESTIO I.

An sacramentalis Confessio, sit diuino iure necessaria ad salutem, vbi alia curiosa tanguntur.

ALij quæstionem hāc sic proponere solent, an nimirum confessio auricularis sit necessaria ad salutem, præcepto diuino, respectu hominis, qui mortaliter post Baptismum susceptum, peccauit, sed vt vides, in idem recidit.

Pro quo nota primò, Confessionis nomen multismodis sumi posse, quandoque namque pro gratiarum sumitur actione, & pro laude Dei, iuxta illud Psalm. *Confessio, & pulchritudo in cōspectu eius*. & *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, & *Confitemini Domino quoniam bonus*. Quādoque fidei significat protestationem. Quandoque pro debiti accipitur confessione, vt habetur ff. *de confess.* per totum. Quandoque pro confessione delicti, quæ duplex est, iudicialis, & extraiudicialis, iudicialis, quæ fit iudici, quando factum est notorium, vel semiplenè probatum, vel reus publica flagrat infamia; extra iudicialis est, quæ extra forense iudicium fieri solet, & est duplex generalis, vt quæ fit in principio Missæ: & particularis, & est duplex, alia est consultiua, quæ amico fieri solet, & dicitur secreti sigillum, & alia est auricularis facta Sacerdoti habenti facultatem absoluendi, & dicitur

tur sacramentalis, quia est pars Sacramenti pœnitentiæ, vt disput. 3 q. 2. ostendimus; & de hoc præsens procedit difficultas, an nimirum sit diuino iure necessaria. Pro quo.

Nota secundò, Confessionem non posse esse de iure naturali, cum certum sit naturam nil, de hac sacramentali Confessione dictare, nō enim naturæ ius ad supernaturalia extenditur, sacramentum autem hoc, sicut & alia sacramenta Euangelica, supernaturalia sunt, & quia sunt professiones fidei supernaturalis, & quia sunt instrumenta supernaturalia gratiæ. Non est tamen confessio contra naturæ ius, sed potius, fide supposita, ad illam natura inclinat, & instigat; cum naturale sit homini à peccato velle liberari, & vt amico, & maximè Deo, medio eius ministro, cordium secreta pandantur. His positis.

Prima sententia est nostri temporis hæreticorum, quod confessio sacramentalis, non sit de iure diuino, sed sit Ecclesiæ inuentum, à tempore Innocentij V. introductum, vnde Lutherus Confessionem vocat *tyrannidem*, & docet esse nimis Ecclesiæ nociuam, disconuenientem, & esse multarum dissensionum causam.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Sacramentalis Confessio mortalium peccatorum, post Baptismum commissorum, est de iure diuino, seu est ex Christi institutione necessaria, vel in re, vel in voto.* Hæc conclusio est de fide vnde illam tuentur omnes Catholici.

Probatur primò ex tribus sacræ Scripturæ locis, ex quibus sacramentalis Confessio, & peccatorum absolutio, manifestè colligitur. Matt. namque 16. dicitur: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terrā, &c.* vbi vt vides promissio facta est D. Petro, & in ipso Sacerdotibus omnibus dandi illis clauibus ligandi, atque soluēdi à peccatis, ac subinde confessio sine quā absolutio dari nequit à Christo Domino est instituta, ac proinde iuris erit diuini. Matth 18. eadem habetur promissio; *Quæcunque solueritis super terram, erunt* *solu-*

soluta, & in cœlis. Cum autem diuina veritas mentiri non possit: soluendi potestas in Sacerdotibus dari debet ex Christi institutione. Eadem etiã promissio habetur Io: 20. in illis verbis; *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta*.

Probatur secundò ratione desumpta ex mox citato Diui Ioannis testimonio. Nam, non potest iudex de aliquo crimine sententiam ferre, nisi crimen ipsum iudici manifestetur; sed Sacerdos in pœnitentiæ sacramento est iudex; ergo non potest sententiam de crimine ferre, nisi sibi crimen ipsum propaletur; atqui hoc non fit nisi media confessione, quæ est peccati, seu criminis manifestatio, cum accusatione, & veniæ petitione; ergo eodem iure quo Sacerdos est iudex, eodem etiã iure dari debet criminis manifestatio: esse iudicem est de iure diuino, vt constat ex allegato D. Ioannis testimonio; ergo etiam cõfessio, ad talem iudicis rationem necessaria, de iure diuino erit.

Confirmatur, & explicatur hoc argumentum, quia qui præcipit finem ex consequenti præcipit omnia ea, quæ ad talem finem consequendum omnino sunt necessaria; Atqui Christus Dominus præcipit quod in Ecclesia sacerdotes sint reorum iudices, ergo etiam debet ex consequenti omnia illa præcipere, quæ ad tale iudicis exercitium sunt necessaria, inter hęc vnum est criminis confessio, ergo.

Probatur tertio, quia illud est necessarium ad animæ salutem ex diuino præcepto, quo posito ponitur peccatorũ remissio, & quo non posito, non ponitur; sed posita facultate in iudice dimittendi peccata, & non posita peccatoris confessione, & veniæ petitione, peccatorum remissio non ponitur, & hac posita ponitur, ergo confessio est ex diuino iure necessaria ad salutẽ animæ ponendam, in homine post Baptismum in lethale peccatum lapso. Maior nota est ex Philosophia. Minor patet ex natura iudicij; quam habet hoc sacramentum, nam in iudicio sine criminis

minis notitia sententia non fertur.

Probatur quarto, quia si Confessio non esset de iure diuino, deberet saltem esse de iure humano; atqui non est, ergo debet esse de iure diuino. Maior patet, nam cum Confessio in Dei Ecclesia sit præcepta, & exequuta, debet aliquo iure esse introducta. Minor patet, nam si Confessio iuris esset humani; cum sit res grauissima, deberet eius institutio cōstare saltem ex aliquo Concilio; sed non constat, nam in omnibus Concilijs, vbi de Confessione fit mentio diuino iuri tribuitur; vt videre est in Concilio Laodicen. can. 2. in 6. sinodo can. 31. in Concilio Carthagin. 3. Affricano can. 10. in Cabilon. 1. can. 8. 2. can 32. Turronico 3. cap. 22. in Remensi, can. 12. & 16. in Moguntino cap. 26. Vormatien. cap. 25. in Lateran. cap. 21. Constant. sess. 8. in Florentino in instruct. Armenorum, & in Tridentino sess. 14. per totam.

Probatur quinto ex difficultate quam habet Confessio, per eam namque detegere oportet peccata quæcūque, quamtumuis arcana sint, turpia, pudenda, & horrenda, & Confessarij iudicio stare, & mulctam ab eo iniūctam subire; hoc autem ab Ecclesia statui non potuit, cū humani præcepti cancellos transcendat, ergo diuino, hoc factum est, imperio, hoc est diuinæ promissionis, diuinæque institutionis &c. Confirmatur hoc argumentum ex vtilitate nimia quam affert sacramentalis Confessio, quæ non nisi diuino fieri potuit consilio. Hic enim diuina elucet misericordia, quæ nostram extorquet confessionē, vt sanet; elucet iustitia, dum hominis superbia humilitate comprimitur. Hic pastor suarum cognoscit morbos ouium, vt conuenientia afferre possit remedia. Hic ablata restituuntur; iniusti rescindūtur contractus, inimici recōciliantur, peccatorum remissio obtinetur, instructiones, consilia, consolationes multę, habentur; quæ omnia non nisi diuino consilio haberi potuerunt.

Pro-

Probatur sexto ex varijs congruentijs, quæ suadent confessionem diuinæ esse institutionis diuinique præcepti. Prima est, quia cum homo anima constet, & corpore, & vtraque pars ad peccādum concurrat, congruum erat quod vtraque etiam ad diuinam obtinendam indulgentiam concurreret; concurrit namque anima per dolorem, & corpus per auricularem cōfessionem. Secūda est, quia cum difficile valde esset perfectam habere contritionē congruum valde erat, quod sacramentum institueretur, per quod facilius peccatorum indulgentia haberetur, per solam scilicet attritionem, & quia sacramenta signa esse debent sensibilia, debuit aliquod dari sensibile; quod est confessio, per quod occulta panderentur peccata. &c. Tertia, quia ipsa humilis peccatorum confessio multū deseruit ad sufficientem excitandum dolorem pro peccatorum obtinenda remissione: Imò, & ipsa prudentis confessoris exhortatio, & correptio. Quarta, quia per priorum Confessionem peccatorum, facilius instruuntur homines, quonammodo futura vitare possint peccata, tollendo occasiones, pericula fugiendo. Vnde refert M. Soto apud Nugnum hic, quod Teutonici hæretici, qui prius confessionem abstulerant, videntes mala, quæ ex tali Confessionis ablatione prouenerant miserunt ad Carolum V. Imperatorem, vt imperiali potestate Confessionē præciperet, vt tot illa mala cessarent. Soluuntur hæreticorum argumenta.

Primum argumentum est; quia in lege veteri, quæ longè grauior erat, nulla erat peccatorum Confessio, ergo neque in lege noua, quæ longe suauior, benignorque Mosaica est. Imò videmus Christum Dominum quando peccata remittebat, non exegisse Confessionem, sed solum publica aliqua, & generali eorumdem peccatorū testificatione, vt colligitur ex remissione peccatorum, facta Paralitico Matt. 9. & Magdalenę Luc. 2. & Latroni Luc. 23. Tum quia omnium pecca-

catorum confessio impossibilis prorsus videtur, iuxta illud *delicta quis intelligit?* ergo.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando cōsequentiam, cum enim lex euangelica facilior, suauiorque sit, debuit de facili, suauiq; prouidere remedio, pro peccatorum remissione obtinenda; est autem confessio, quæ cum sola attritione peccata delere potest; in lege autem veteri, perfecta requirebatur contritio, quæ difficulter haberi poterat. Addit Galatinus lib. 10. de *arcanis* cap. 3. in lege veteri plures non solum fuisse confessionis figuras, verum etiā confessiones, licet non sacramentales, ac subinde non esse grauiorem, legem nouam, veteri, sed longe suauiorem. Ad illud quod de Christo Domino dicitur, dico ideo factum esse, quia adhuc confessio sacramentalis instituta non erat, vt postea dicetur. Nec verum est confessionem esse impossibilem, cum ea solum adhiberi debeat diligentia in recensendis peccatis, quam solent adhibere viri cordati in negotijs alicuius momenti.

Secundum argumentum. Ius diuinum nullus hominū tollere potest, atqui confessionē abstulit Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus Teodosij senioris tēpore, propter quoddam scādalum occasione cuiusdam confessionis ortum, vt testatur Socrates lib. 5. historiæ cap. 19. Sozom. lib. 7. cap. 16 & alij, quam confessionis abrogationē approbauit Chrysostomus, Nectarij Successor ho. 2. in Psal. 50. vbi dicit: *Non dico vt confiteraris conseruo, qui exprobret, dicito Deo*; idem docet ho. 4. de Lazaro, & alibi frequenter, ergo &c.

Respondetur negando Minorem, Nectarius namque confessionem non abstulit, sed duo alia, quæ ab Episcopis occasione hæresis Nouatianæ confessioni addita fuerant; nimirum, qui publica habebat peccata publicè cōfitebatur Pœnitentiali Præsbytero, & non alteri, ex deputatis ab Episcopo. Deinde quod iudicio eiusdem

Pœnitentialis Presbyteri, aliqua peccata publicè recitabātur in satisfactionem aliorum, quæ duo rectè fuerunt à Nectario sublata, non ipsa sacramentalis confessio, vt colligitur ex eodem Socrate, Sozom. & alijs.

Tertium argumentū; Christus Dominus *non venit soluere legem, sed adimplere*; atqui si daretur, de confessione præceptum diuinum ab ipso Christo Domino impositum, *venisset soluere legem, non adimplere*, ergo. Minor probatur, nam sustulisset legem naturalem de propria fama conseruanda, contra illud Prouer. 21. *melius est nomen bonum quam diuitiæ multa*. & Eccl. 41. *curam habe de bono nomine hoc enim magi permanebit tibi quam mille thesauri pratiosi, & magni*.

Respondetur concedendo Maiorem, & negando Minorem, Cum enim peccata nō dicātur sacerdoti vt homini, sed vt Deo, nulla subinde sequitur infamia, & dato quod aliqua sequæretur apud sacerdotem infamia, per ipsum dolorem quem ostendit, per ipsam confessionem, quàm facit; per ipsam absolutionem, quam recipit, sufficienter abstergeretur. Et dato quod adhuc aliqua relinqueretur infamia, sufficienter compensaretur ex bonis multis, quæ ex confessione sequuntur, & Deus potuit confessionem præcipere; cum sit dominus famæ, ob maius bonum nostrum.

Sed quæres primò, an confessio sit necessaria solum necessitate præcepti diuini, an etiam medij. Pro solutione nota ex alibi dictis, tribus modis aliquid esse necessariū ad salutem: necessitate medij tantum, præcepti tantum; medij & præcepti simul: medij tantum vt gratia, auxilia, prædestinatio, & huius generis alia, sine quibus salus haberi non potest, & tamen de illis nullum datur, præceptum.

Præcepti tantum, vt restitutio, Festorum obseruantia &c. sine quibus solus haberi potest, quia vel non semper currit præceptum, vel de eo ignorantia excusans dari potest. Præcepti & medij simul

mul est id sine quo salus haberi non potest, & cum sit in nostra potestate de eo datur præceptum, vt Batismus respectu adulterum, & Pœnitentia respectu illorum, qui post Baptismum peccauerũt. his breuiter notatis; dico cõfessionem esse necessariam adultis post Baptismum relapsis, necessitate medij, & præcepti simul, vel in re, vel in voto, vt de Baptismo, suo loco notauimus. Colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 6. vbi dicitur: *si quis negauerit, Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure diuino; aut dixerit, modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum; anathema sit.*

Quæres secundò quo tempore fuerit confessio à Christo Domino instituta? Respõdetur de fide esse, fuisse institutam Ioannes 20. cũ Christus Dominus Apostolis dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* ita Tridẽtinum sess. 6. cap. 14. vbi dicitur: *Pro ijs qui post Baptismum in peccata labuntur Christus Iesus sacramentum instituit Pænitentiæ cum dixit Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c* idem docet sess. 14. cap. 5. & can. 3. Nota tamen hanc doctrinam intelligi debere de huius sacramenti propria institutione, quia vt rectè notauit Angelicus in 4. dist. 22. quæst. 2. art 3. quæstiunc. 3. confessio quoad eius vtilitatem prædicata fuit Matt. 4. quoad necessitatem Luc. 13. sed eius institutio quoad potestatem Ioan. 20.

Sed obijcies primò. Nouæ legis sacerdotes tunc accipiũt absoluendi potestatem, cum ordinantur, ergo etiam Apostoli: sed Apostoli ordinati fuerunt sacerdotes in cæna; ergo in cæna potestatem absoluendi acceperunt, ac proinde tũc temporis hoc sacramentum debuit esse institutum. Antecedens est Tridẽtini sess. 23. de reformat. cap. 13. Consequentia patet, quia

si semel verum est sacerdotes potestatem absoluendi recipere in sua ordinatione, id ipsum dicit debet de Apostolis. Est autem de fide Apostolos sacerdotes in cęna fuisse ordinatos, vt docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. & can. 2.

Respondetur sacerdotes ex vi ordinationis solum recipere potestatem ordinis, nõ iurisdictionis, hãc enim recipiunt cum Episcopus post sacerdotum ordinationem dicit: *Accipite Spiritum Sanctũ, quorum remiseritis peccata &c.* Vnde idem dicendum est de Apostolis, in cæna namq; sacerdotes ordinati fuere, & tunc potestatem acceperunt in corpus Domini verum, & post resurrectionem in corpus Domini misticum, & quia illa ad hanc supponitur, & illa est redix huius, propterea dũ illam acceperunt, radicaliter, & hanc recepisse censentur.

Obijcies secundo Pœnitẽtia ad Eucharistiam ordinatur, ergo ante illam, vel saltem cum illa institui debuit; Atqui Eucharistia instituta fuit in cæna, ergo & Pœnitentia, seu sacramentalis cõfessio. Tum quia videmus omnia alia sacramenta ante Christi Domini mortem instituta fuisse, licet declarata fuerint post mortem, vt patet de Baptismo, qui licet ante mortem institutus fuerit, post mortem tamen fuit declaratus, illus verbis, *euntes in mũdum &c predicate &c. Baptizantes eos &c.*

Respondetur quod pęnitẽtia solum per accidẽs ad Eucharistiam ordinatur, ex suppositione videlicet peccati; vnde Eucharistia est necessaria absolutè, Pœnitentia solum ex suppositione, ob idq; illa prius institui debuit, hæc posterius. Per quæ patet ad illud quod de Baptismo additur; cum enim hoc sacramentum sit omnium aliorum ianua, debuit ante alia institui. Adde congruum fuisse Pœnitentiæ institutionẽ fuisse reseruatam vsque ad factã resurrectionem, quia tunc temporis fuit data Christo Domino omnis potestas in ordine ad corpus misticum, vt ipse Domino dixit: *data est mihi omnis potestas in cœlo, &*

in

in terra, ob idque alias notauimus, quod licet Christus Dominus Apostolos consecrauerit sacerdotes in cæna, Episcopos tamen nō nisi post resurretionem, quia sacerdotium, corpus Christi verum respicit, Episcopatus verò misticum.

Quæres tertiò, an Christus Dominus instituerit confessionem secretam, seu auricularem, an vero solum omnium peccatorum confessionem, præscindēdo à publica, vel secreta? Respondetur Christum Dominum præscripsisse quidem modum faciēdi confessionem secretò, taliter tamen, quod reliquit fidelibus facultatem, vt ex aliqua rationabili causa, possint publicè sua confiteri peccata. Sicut enim Princeps potest aliquid suis subditis præscribere, vt licet cogi non possint ad ponendum oppositum, tamen si velint illud ponere possint; ita Christus Dominus fidelibus præscripsit confessionem, & modū eius secretum, liberam illis relinquendo facultatem, quod si velint ex aliqua rationabili causa, peccata sua publicè confiteri, id facere valeant. Ita expresse docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. his verbis: *Ceterum quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, & si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorū exemplum, tum ob Ecclesiæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamē hoc diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, &c.*

Quæres quartò, an necessitas sacramentalis confessionis iure diuino sit de solis mortalibus, an etiam ad venialia extendatur. Respondetur necessitatem ad sola mortalia extendi capacitatem etiam ad venialia, vnde communiter dicitur peccata mortalia esse huius sacramenti materiam necessariam; venialia vero sufficientem; ita apertè colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. Ratio est, quia mortalia non nisi per hoc sacramentū in re, vel in voto susceptū remitti possunt; at vero venialia multis alijs

alijs modis, vt supra ostendimus, & tenet fidelium vsus.

Quæres quintò, an si Christus Dominus hoc sacramẽtum instituisset, & nullum de eo præceptum posuisset, vt fecit de Confirmatione, Ordine, &c. Potuisset Ecclesia huius sacramenti exercitium præcipere, vt quod semel v. g. in anno fideles sua peccata confiterentur. Et affirmatiuè respondeo cum Nugno, & alijs, contra Durãdum, Paludanum, & alios, quos refert idem Nugnus q. 6. supplem. art. 1. dub. 3. Ratio est, quia Ecclesia præcipere potest, quæ ad rectam deseruiunt gubernationem, & aliunde etiam cedunt in maximam fidelium vtilitatẽ, sed ad rectam Ecclesiæ gubernationem multum secreta confessio deseruit, & in maximam cedit fidelium vtilitatem, ergo. Minor probatur, Maior namque ex se clara est nam ad Ecclesiæ gubernationem pertinet ea statuere per quę fideles à peccatis retardẽtur, atqui per confessionem secretã fideles à peccatis retardantur, & hoc in maximã cædit ipsorum fidelium vtilitutem, ergo: quod autem fideles per cõfessionem à peccatis retardentur ipsa docet experentia, & ipsi cognouerunt Germaniæ hæretici, vt supra vidimus.

Sed contra hoc obijcies primò, quia Ecclesia præcipere nequit actus internos ex cap. *erubescant* dist. 2. Atqui confiteri peccata interna, est præcipere actus internos, ergo. Tum etiam quia Ecclesia præcipere nequit, quæ iudicare non potest, atqui (vt commune est proloquium) Ecclesia de internis non iudicat, ergo. Tum etiam quia frustra præcipitur, quod puniri non potest, si transgrediatur; atqui Ecclesia huius præcepti transgressorem punire non potest cum hoc ingnoret, ergo.

Respõdetur pro modo, Ecclesiam præcipere non posse actus internos solitariè acceptos, & conceditur; prout necessarij sunt ad externorũ consistentiam, & negatur. Præciperet ergo eo casu Ecclesia confessionem perfectã, & integram, quæ sine interno-

norum peccatorum manifestatione esse nequit; per quæ patet ad duo, quæ subiciuntur in argumento; licet enim Ecclesia nec iudicare, nec punire possit actus purè internos, poterit tamen illos punire non secundum se, sed quatenus non ponitur actus externus, ad cuius, actus internus pertinet, consistentiã.

Obijcies secũdò, quia ideo Deus, vt supra vidimus, potest confessionem præcipere, quia est nostræ dominus famæ, at qui Ecclesia nullum habet nostræ famæ dominiũ, ergo confessionem præcipere non potest: Cum enim Pœnitens ocultissima pandendo scelera, se ipsum apud confessarium infamet, sequitur quod talium scelerum manifestationem solum præcipere possit qui famæ sit dominus.

Respondetur primò concedendo Maiorem, & nugãdo minorem, eo namque ipso quod Cristus Dominus cõfessionem instituisset, & eam non præcepisset, censeretur dedisse aliquale dominium nostræ famæ Ecclesiæ, ratione cuius potuisset, etiam data tali infamia, confessionem præcipere.

Respondetur secundò non sequi infamiam ex confessione, & si aliqua sequęretur, summa vtilitate, quæ ex illa desumitur compensaretur, vt supra dicebamus. Dici etiã potest quod dato quod ex confessione aliqua sequæretur infamia, Ecclesia in hoc naturali iure posset dispensare ob maximum bonũ quod inde sequæretur.

Quæres sextò, quo tempore obliget præceptum diuinũ confessionis? Huius resolutio difficultatis sufficiẽter habetur ex dictis de obligatione contritionis ex diuino præcepto, supra disput. 2 q. 11. Maioris tamen gratia claritatis illam breuiter resoluemus. Dico ergo primò *in omnium sententia teneri hominem in mortali existentem, quando mortis vrget periculum, vel eius articulus*. Ratio est, quia tunc homo maiorem habet huius sacramenti necessitatẽ, vt patet ex dictis supra de cõtritione.

Dico secundo, *teneri etiã per se hominem, tertio, vel quarto*

to quoque anno, dum in mortali existit, si Ecclesia diuinum non determinasset præceptum: patet ex dictis de contritione, & Eucharistia. Dico tertio, *de facto huic præcepto satisfacere hominem, semel in anno confitendo*, cum enim Ecclesia diuinum determinauerit præceptum, dum Ecclesiasticum obseruatur, & diuinū obseruabitur. Dico quarto, *obligare hoc præceptum ratione Eucharistiæ sumendæ*, patet ex dictis de Eucharistia disp. 14. quæst. 5.

Duo solum dubia restant nunc breuiter examinanda. Primum est, an teneatur homo iure diuino confiteri quoties cognoscit in se graue periculum peccandi mortaliter. Respondet Suarez apud Nugnū hic q. 6. art. 5. dub. 1. quod si periculum sit incidendi in aliquod mortale determinatum, nisi confiteatur, ad hoc tenebitur; secus si periculum sit incidendi in peccatū mortale in communi. Sed hunc modum dicendi reiecimus supra disput. præcedenti q. 5. quia maior est obligatio vitandi periculum incidendi in multa mortalia, quam in vnū determinatè tātum; cum maius periculum sit multorum peccatorum, quam vnius, vel alterius. Tum qnia sicuti est peccatum exponere se periculo peccandi in determinata materia, ita in indeterminata; nec est minus peccatū, peccatum in communi, quam peccatum determinatū. Hoc modo dicendi reiecto. Dico primò *Theologos communiter non agnoscere obligationem frequentioris confessionis ob periculum iu noua cadendi peccata*; quod colligūt tum ex Ecclesiæ determinatione, si enim semel Ecclesia absolutè diuinum determinauit præceptū ad confessionem semel in anno ponendam, frequentiorē non agnouit necessitatem; tū etiam quia difficile videtur hominem ad tales reuocari angustias, quod nullum aliud supersit medium euadendi peccata, nisi ipsa confessio.

Dico 2. si *talis casus daretur, vel ob ignorantiam, vel ob rei veritatem, tunc diuino iure tenetur ille ad confessionem ponendam*. Ratio est, quia tunc temporis, maximè huius sacra-

cra-

cramenti necessitas, vrgeret, cum enim hoc sacramentum sit institutum non solum vt medium seu instrumẽtum remittendi peccata, sed etiam vt medium vitandi futura, toties habebit iure diuino obligare, quoties cognoscetur esse medium necessarium ad futura peccata vitanda.

Secundum dubium est, an quando est periculum obliuiscendi aliquod peccatum, vel aliqua, vel etiam multa, teneatur quis diuino iure frequentius, seu ante annum cõmunicare? Affirmant aliqui apud Dianam de sacram. resol. 155. horum ratio est, quia iure naturæ tenemur ad integram confessionem ponendã, & proinde toties teneri peccata confiteri, quoties periculũ currit obliuiscendi peccata, vnde volunt hoc præceptum multoties violari ab illis, qui semel tantum in anno confitentur, & de hoc debeant pænitentes à confessarijs interrogari.

Sed verius dicendum cum Soto, Henriquez, & alijs quos refert, & sequitur Diana ibidem, talem non extare obligationem. Primò quia alioqui Ecclesia non benè tempus vnius anni determinasset. Secundò quia sequæretur, obliuiosos teneri statim de suis peccatis maximè de internis de quibus facilius currit obliuio, cõfiteri, quod nemo dicet: vnde solum obligamur ea peccata confiteri, quorum, dũ confitemur, recordamur, & solum moralem tenemur adhibere diligentiã, vt per examen, ad memoriam reuocentur, dum ea confiteri volumus; nec tenemur extraordinaria vti diligentia, ne à memoria defluant; alioqui esset obligatio scribendi peccata, vel singulis diebus ne dicam horis, memoriam refricendi peccatorum, ne à memoria excidant, quod non est dicendum.

Quæres septimò, an præceptum diuinum confessionis, adimpleatur per cõfessionem validam, sed informem. Certum est non adimpleri per cõfessionem inualidam, cum enim diuinum præceptum sit de vero sacramento, & confessio inualida non sit talis, per illam diuinum, non adim-

plebitur, præceptum; de informi, ergo præsens procedit interrogatio, & procedit ex suppositione quod confessio informis dari possit, de quo infra. Aliqui cum Adriano de Confess. q. 5. dub. 4. id negant, ex falso fundamento, quod nullum præceptum adimpleatur, nisi per actum in suo genere perfectum. Cõmunis tamen sententia post Sotum dist. 18. q. 3. art. 3. affirmat. Ratio est, quia confessio informis est verum sacramentum, habens veram, & propriam essentiam, licet careat gratiæ effectu, ergo per illam diuino satisfit præcepto. Tum, quia, si per talem informem confessionem, diuino, non satisfieret, præcepto, remaneret obligatio iterum eadem peccata confitendi; atqui Theologi talẽ nõ agnoscunt obligationẽ; ergo.

QVAESTIO II.

An sit præceptum Ecclesiasticum Confessionis, vbi alia ad eandem materiam pertinentia resoluuntur.

IN cap. omnis *vtriusque sexus* de penit. & remiss. annua præcipitur confessio his verbis. *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit omnia sua solus peccata, saltẽ semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti; & iniũctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere suscipiens reuerenter ad minus in Paschate Eucharistiæ sacramentum.* Quod præceptum renouauit Tridentinum sess. 14. can. 8. Sed vt hoc præceptum plenè percipiatur aliquas proponemus difficultates, ex quarum solutionibus perfecta huius præcepti intelligentia habebitur.

Prima difficultas est, an Ecclesia annuam præcipere potuerit confessionem? Durandus in 4. dist. 17. q. 8. Peludanus q. 2. art. 2. & alij dicunt

eunt Ecclesiam non potuisse, nec posse annuam præcipere confessionem, sed solum declarare tempus obligationis diuini præcepti.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Ecclesia potuit præcipere annuam confessionem*. Est communis Theologorum sententia, & patet ex dictis q. præcedenti §. *quæres* 5. vbi ostendimus quod si Christus hoc sacramentum instituisset & nullum de eo præceptum posuisset, illud Ecclesia ponere potuisset.

Probatur deinde, quia Ecclesia in sacramentorum nouæ legis dispēsatione ea potest statuere, quæ magis expedire iudicabit suscipientiū vtilitati, & eorumdem sacramentorum venerationi, sed Ecclesia rectè iudicare potest conuenire fidelium vtilitati, & huius sacramenti venerationi quod semel in anno sumatur; ergo id præcipere potest, Maior stabilitur in Tridentino sess. 21. cap. 2. Minor nota esse videtur, ergo.

Confirmatur hoc argumētum, quia Ecclesia præcipere potest actum externum bonum, vt ieiunium, Missæ auditionem, &c. ergo etiam præcipere potest annuam cōfessionem, supposita huius sacramenti institutione. Antecedens est notum: consequētia probatur, quia non est maior ratio de Missæ auditione, officij recitatione, ieiunio, &c. quam de orali confessione. Nec valet dicere confessionem esse de re magis ardua, & difficili: non in quam hoc valet, quia aliqui magis arduum habent vnius quadragessimæ ieiunium, quā semel tantū in anno confiteri, videantur dicta q. præcedenti.

Secunda difficultas, an præceptum annuæ confessionis sit purè humanum, an vero diuinum supponat præceptum vel includat illud? Prima est Adriani 4. q. 1. de confess. & aliquorum aliorū sententia, quod annuæ confessionis præceptum sit puræ humanum, & quoad substantiam, & quoad tempus, & nullo modo diuini præcepti modificatiuum, pro qua sententia stant omnes illi, qui volunt præceptum diuinum

Cc 2 con-

confessionis; solum pro mortis articulo obligare.

Nostra, & communis sententia est, *quod præceptum annuæ Confessionis quoad substantiam sit diuinum, quoad temporis determinationem, sit humanum*. Hoc clare significat Tridentinum sess. 14. cap. 5. dicens: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit vt Christi fideles confiterentur, quod iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed vt præceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur*. Et ratio est, quia licet præceptum diuinum extra periculum, vel mortis articulum, obliget tertio, vel quarto quoque anno vt præcedenti quæst. docuimus, hoc tamen non est, ex ipsius diuini præcepti determinatione, cum nullam habeat extra periculum, vel mortis articulum; sed quia maior dilatio euidens affert periculum in alia peccata cadendi, & videatur quidam & Dei, & sacramenti contemptus, velle amplius in Dei inimicitia manere; ac proinde cum diuinum, de confessione præceptum, sit vagum, sit indeterminatum, ab Ecclesia quoad substantiam non ponitur, sed quoad temporis determinationem.

Tertia difficultas, an summus Pōtifex possit in præcepto annuæ confessionis dispēsare? Certum est non posse Pontificem dispensare in præcepto diuino Confessionis, & multo minus illud abrogare, cum nullus inferior possit ius superioris auferre, absque speciali eiusdē superioris commissione, quam commissionem nullus vnquam Theologus agnouit in Pontifice, in ordine ad abrogandū vel dispensandum in præcepto diuino confessionis, sicuti agnoscunt in ordine ad dispensandum in voto, iuramēto, &c. difficultas ergo solum procedit de præcepto cōfessionis, vt annuo. Est communis Theologorum sententia affirmatiua, ita quod non maneat amplius obligatio cō fitendi determinatè, cum enim hoc præceptum sit purè Ecclesiasticum, quoad deter-

terminationem, ſequitur poſſe à Summo Pontifice tolli, ſicut & alia huius generis cetera. Ex quo infertur, Papam peccati mortalis cōſcium teneri iure diuino confiteri, non ſolum in mortis articulo, vel periculo, verum etiam tertio, vel quarto quoque anno, vti diximus teneri omnes. Non tenetur tamē ad annuam cōfeſſionem ſub mortali, quia par in parem non habet imperium *L ille §. tempeſtiuum* ff. ad Treb ſi tamen eſſet ſcādalo alijs, ſi non confiteretur, ratione ſcandali vitandi ad id teneretur, maximè cū teneatur quandoque publicè celebrare, vel communicare, quo caſu diuino iure confiteri teneretur ſi mortali peccati conſcius eſſet. Eo autem caſu quo Papa confiteatur, ſacerdos, qui illius audit cōfeſſionem ex hoc ſolum iuriſdictionem accipit quod Papa eum eligit, & illi ſubijcitur. Alij dicunt quod ſicut ſacerdos in ſua ordinatione iuriſdictionem accipit abſoluendi pro mortis articulo, ita accipit iuriſdictionem abſoluendi Pontificem, ita quod omnis ſacerdos eo ipſo quod ordinatur talem recipiat poteſtatem. Alij dicunt Pontificem delegare ſuam facultatē proprio confeſſario, quādo ipſum eligit. Quomodo autem ſe gerere debeat confeſſarius Pontificis quando ipſius audit confeſſiones: dico quod quando ad id munus vocatur Pontificis confeſſarius, pedes illius oſculatur, deinde ſedet & cooperit ſe, Pontifice genuflexo, & peccata confitente, cætera perſoluit, vt moris eſt.

Quarta difficultas, an Eccleſia præcipere poſſit, vt eadem peccata bis confiteātur? Eſt communis Theologorum ſententia quod non. Fundamentum commune eſt, quia in tantum Eccleſia potuiſſet confeſſionem præcipere, ſi Chriſtus Dominus illam inſtituiſſet, & non præcepiſſet, in quantum Pœnitens adhoc ipſum tenetur, ne diu in Dei maneat inimicitia; ſed ille qui ſemel ritè ſua confeſſus eſt peccata in Dei non manet inimicitia; ergo nullo modo tenetur; ergo nec obligari poterit ad nouam ponendā

con-

confessionem. Tum quia, ideo Ecclesia præcipere potest peccatorum confessionem, quia hoc cedit in maximum bonũ pœnitentium, ob quod aliquam subire tenentur infamiam; Atqui non currit hoc respectu peccatorum ritè confessorum, ergo.

Sed obijcitur primò statutum ordinis Cisterciensis, quo præcipitur, quod religiosi, qui per totum annum proprio cõfessi sunt confessario, in fine anni eadem peccata Abbati confiteantur; ergo signum est Ecclesiam posse præcipere, vt bis eadem peccata cõfiteãtur. Vasquez apud Lugõ hic disp. 15. nu. 95. dicit tale statutum fieri potuisse concessa confessarijs facultate absoluendi, & iniungẽdi simul in pœnitentiã onus iterum eadem peccata confitendi. Sed hæc solutio meritò displicet Lugo. Nam potuisset facile ab alio confessario commutari. Similiter si vera esset illa doctrina posset quilibet confessarius peccata superiori reseruare, imponendo pro pœnitentia, quod pœnitentes superiori iterum confiteantur. Tum etiam quia talis pœnitentia per indulgentiam cessari posset, sicut, & aliæ, vt suo loco dicemus. Alij volunt tale statutum processisse ex voto, vel consensu subditorum, quo iuri suo, illius religionis subditi cesserunt, vti semel in anno cõfiterẽtur Abbati, propalando, & manifestando omnia peccata, quæ per totum annum commisissent, vt sic Abbas suarum cognosceret ouium vultum, & sic facilius, & melius ad maiorẽ dirigeret spiritualem profectum, quod valde probabile videtur.

Respondet Lugo tale statutum sine subditorum consensu fieri potuisse, quia licet non possit fieri lex generalis, quod omnes teneantur bis eadem confiteri peccata, potest tamen fieri pro aliqua speciali communitate, vel congregatione, vel religione obseruante. Hoc probat exemplo suæ religionis, in qua singulis præcipitur religionis, vt bis saltem in anno totam suam conscientiam superiori manifestent, ita vt nihil graue ipsos lateat.

Sed

Sed hæc Lugana reſponſio facile reici poteſt. Primò quia videtur incongruũ quod maiorem habeat poteſtatem religio in ſubditos, quam habeat Pontifex in omnes fideles, ergo ſi per illum auctorem, Pontifex non poteſt cõdere legem, quod fideles, bis eadem confiteantur peccata, nec hoc facere poterit Generalis, pro tota religione, vel Abbas, vel Prior, pro ſuo monaſterio. Imò docẽt omnes, maiorem poteſtatem habere Pontificem reſpectu totius Eccleſiæ, quam habeat Generalis reſpectu ſuæ religionis, vel Prior reſpectu totius monaſterij; ergo quod nõ poteſt facere Papa reſpectu omnium fidelium, nec id facere poterit Generalis reſpectu totius Cõgregationis.

Sed dices in fauorem Luganæ ſententiæ tale ſtatutum non fuiſſe factum a Generali, vel Abbate virtute propria, ſed Pontificis auctoritate, poteſt autem Pontifex aliquid ſtatuere pro vna particulari communitate, quod ſtatuere non poteſt pro tota fidelium congregatione, Nã contra eſt, quia tale ſtatutum, licet poſtea fuerit à duobus Pontificibus cõfirmatum, tamen primò factum fuit ab illa religione, nullo habito Pontificis mandato. Sed demus illam religionem non propria, ſed Pontificis auctoritate tale edidiſſe ſtatutum, adhuc ſequitur, quod ſi Pontificia poteſtas poteſt tale ſtatutum facere pro vna determinata communitate, quod etiam ſaltem validè facere poſſit pro omnibus fidelibus; aliud namque eſt aliquid nõ congruere omnibus, aliud fieri non poſſe. Tum quia nullibi reperitur Pontificis auctoritas determinata pro vna familia, taliter quod ſaltem valide id quod poteſt pro vna, non poſſit pro alijs; ergo cum per illum auctorẽ Pontifex non poſſit legem pro omnibus facere, pro cõfitendis bis ijſdem peccatis, nec etiam pro aliqua particulari communitate id facere poterit & ſi ſemel pro particulari communitatem talẽ legem facere poteſt, ſaltem licitè, pro fidelibus omnibus id ipſum facere poterit. Et ſic

po-

poterit Pōtifex condere legē quod omnes fideles saltem semel in vita, omnia reconfiteantur peccata, proprijs Parochis; omnes Parochi Episcopis; omnes Episcopi & Cardinales Pontifici; nisi aliunde nimia impediātur distantia, &c.

Secundò impugnatur illa solutio, quia spiritualis profectus religiosorum, non videtur esse tantæ existimationis, quod ob illum res difficilima, & dura valde præcipi possit, vt est peccatorum rite confessorum reconfessio; quod maiorē habet vim contra Lugonem qui vult propter difficultatem non potuisse Ecclesiam confessionem præcipere, si à Christo Domino præcepta non fuisset: patet autem maiorem esse difficultatem reconfiteri peccata iam dimissa, quam primò illa confiteri; nam in prima confessione iuuatur pœnitens ad peccata confitenda ex motiuo ne in Dei maneat inimicitia, cum periculo æternæ damnationis &c. & in reconfessione, vix iuuari potest ex motiuo spiritualis profectus, qui fortè rectius, & melius aliunde haberetur.

Ad illud quod addit de suæ societatis obligatione, manifestandi totam consciētiam Prælato bis in anno, dico nō esse meum iudicare de bonitate talis obligationis: etiam in mea religione bis saltem in anno fit spiritualis conferentia Prælato, sed nō habemus obligationem manifestandi ea ex quibus apud Prælatum aliqua sequæretur infamia, imò fortè multoties non expediret, sed ea manifestare consueuimus, quæ ipsi Prælato deseruire possunt ad rectam nostri gubernationē; non nego tamen, quia optimum consilium sit, etiam occultissima manifestare ad capiendum consilium, vel remedium, vel directionem, a Prælato prudenti, docto, sancto, & qui possit iuuare; tamen quia non omnes tales sunt, ideo talis societatis obligatio, mihi nimis dura videtur, aliorum tamen sit iudicium, cum possit aliquid vni expedire religioni, quod cæteris damnosum esset. His relictis.

Re-

Respondetur ad argumẽtum cum Henriquez lib. 5. de pænit. cap. 17. statutum illud intelligi posse non de peccatis ritè confessis, sed de nondum confessis, cum possit statui, quod semel in anno, imò & pluries religiosi suo confiteantur Prælato; vt idem Prælatus suorum mores religiosorum perspectos habeat, ob idque hortamur nos, sepe nostris confiteri Prę-latis. Hoc sensu intelligitur statutum Martini V. in extra. *ad vberiores fructus*, vbi præcipitur quod illi qui fratribus per annum confitentur, semel in anno proprio confiterentur Parocho, & alia huius generis statuta, quæ postmodum in fauorem mendicantium sublata fuerunt.

Obijcitur secundo, quia Patres societatis iter agentes, si in aliquod peccatum in sua religione reseruatum incidant, absolui possunt, cũ onere tamen comparandi postea, & manifestandi tale peccatum prælato; ergo potest quis obligari ad idẽ peccatum bis manifestandum, seu confitendum.

Respondet Lugo loco citato nu. 115. Patrem Mutium Vitalescum eiusdem societatis Præpositum Generalem litteris ad eandem societatẽ directis rem hanc declarasse. Primò non esse societatis mentem eam facultatem dare, quando subditus de industria confessionem differt, vt possit in itinere absolui. Secũdò hanc absolutionem non posse impendi ab extraneis, cum adsunt proprij. Tertio (sunt verba Vitaleschi) *obligationem illam esse conditionẽ sine qua nullo modo societas cõcedit facultatem, ideoque qui non habet animum acceptandi, vel implendi, non posse vti facultate illa; & in vsu eius facultatis tacitè contineri acceptationem conditionis, qua subditus in re tanti momenti, atque ad bonum societatis maximè conducentis, illi se obligat.* Vnde patet in societate obligari quidem illius religiosos ad confitendum bis eadem peccata, sed ex tacito illorũ consensu, non ex lege absoluta &c. quomodo autem adsit illorum consensus, & quomodo per talem acceptatio-

nem priuentur, vel priuari possint confessores extranei, (casu quo Patres societatis illis confiteantur) propria potestate, ne omnino illos ab omni comparendi obligatione absoluant, alibi Deo dante examinabitur.

Quinta difficultas, an Ecclesia possit precipere venialium confessionem? Respondetur affirmatiuè contra Paludanum, & alios quos congerit Suarez hic disput. 22. sect. 8. nu. 2. Est communis scribentium sententia. Patet ex dictis, quia si Ecclesia posset mortalium confessioné præcipere, si à Christo Domino præcepta non fuisset, & de facto illá præcepit quoad temporis determinationem, à fortiori præcipere potuisset, quod venialia confiterentur. An vero de facto id factum sit, ita quod qui per totum annum nullum mortale cōmisit teneatur venialia confiteri ad præcepto annuæ confessionis satisfaciendum, dico cum communi Theologorum sententia de facto id nō fecisse; vnde qui sola habet venialia, ad annuæ confessionis preceptum non obligatur. Ratio duplex: prima quia Ecclesia nouum non cōdidit præceptum quoad substantiam, sed diuinum determinauit; atqui diuinum, vt tradit Tridentinum sess. 14. cap. 3. ad sola mortalia extéditur, ergo: secunda quia Ecclesia cap. illo *omnis vtriusque sexus* præcipit absolutè peccatorum confessioné, nomine autem peccati absolutè prolati, mortale, non veniale venit.

Sed dices Monachos S. Benedicti obligari ad menstruam confessionem Clement. 1. *de statu Monac.* ac proinde ad venialia confitéda. Respondetur talem Clementinam intelligi ad sensū capitis *omnis vtriusque sexus*, nimirum si mortalia adsint, secus si solum venialia.

Sexta difficultas per quā confessionem Ecclesiastico satisfiat præcepto annuæ cōfessionis? Certum est satisfieri per confessionem validā etiam informem: si enim per hanc etiam diuino satisfit præcepto, à fortiori & humano satisfiet, cum nec Christus,

ſtus, nec Eccleſia fructum præcipiat ſacramenti, ſed ſacramentum ipſum. Difficultas, ergo præſens eſt,an quis Eccleſiaſtico ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis per confeſſionem voluntariè nullam.

Prima ſententia eſt affirmatiua, quam poſt Fagundez, Paludanum, Gab. Sylueſt. Alex, & Victoriam ſequitur Diana de ſacram. reſol. 120. ex eo quod Eccleſia ſolos actus externos præcipere poſſit.

Secunda ſententia communior, & probabilior eſt negatiua, & ratio eſt, quia Eccleſia id ipſum præcipit, quod Chriſtus Dominus pręcepit; diximus enim ſupra Eccleſiam, quoad ſubſtantiam, nouum non feciſſe, pręceptum, ſed præceptum diuinum determinaſſe; Atqui Chriſtus verum præcepit ſacramentum, ergo. Nec ratio præcedentis ſẽtẽtiæ probat; primò, quia licet Eccleſia non poſſit præcipere actus internos directè, benè tamen indirectè. Secundò quia datò Eccleſiam non poſſe actus internos præcipere nec indirectè, præcipit tamen ſacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile, confeſſio autem exterior voluntariè nulla, non eſt ſacramentum, ergo.

Sed quæret aliquis,an pręcedens ſententia procedat ſolum in caſu nullitatis confeſſionis, quando talis nullitas à confitente procedit, an vero procedat, etiam in caſu nullitatis confeſſionis,quãdo talis nullitas non à pęnitente, vel confitente procedit, ſed à Sacerdote. Aliqui volũt etiam in hoc caſu procedere, mihi verius videtur caſum hunc eſſe exceptum, cum cõfitens fecerit quod in ſe erat, vt Eccleſiaſtico ſatiſfaceret præcepto, nec per ipſum ſteterit, quominus ſatisfactum non fuerit, vnde putarem iſtum nullam contrahere pænam v.g. excommunicationis, quæ in aliquibus Epiſcopatibus, lata fulminatur, ſententia. Imò putat Enriquez lib. 4. cap. 4. §. 1. Sa *verbo confeſſ.* quod in caſu quo confeſſio ſit nulla ex parte pœnitentis, etiam ſi præcepto non ſatisfaciat Ec-

clesiastico; pœnam tamen non contrahet Ecclesiasticā, etiam si sit latę sententiæ. Sed oppositum videtur verius; cū enim Ecclesia præcipiat Pœnitentiæ sacramentum sub pæna excommunicationis, vt in aliquibus fieri solet Episcopatibus, talis pæna incurretur si verum non ponatur sacramentum. Puto tamen probabilius, per talem confessionem nullam, ex parte Pœnitentis, tolli peccatorū reseruationem, si fortè Pœnitens aliqua confiteatur, apud confessarium à reseruatis absoluere potentem: & ratio est, quia licet illa confessarij absolutio non tollat peccata, tollit tamen id quod potest, nempe peccatorum reseruationem.

Septima difficultas, an ille qui per totum annum non confitetur, teneatur elapso anno confiteri, vt præcepto satisfaciat Ecclesiastico. Hāc difficultatem expediuimus de sacramento Eucharistiæ disput. 14. q. 9. difficultate 3. in simili præcepto annuæ communionis, vbi duas oppositas retulimus sententias; & quod teneatur, cum tale tempus detur, non ad terminandum, sed ad sollicitandum obligationem: & quod non teneatur, eo quod tale tempus præcisè præfiniatur, ac proinde eo elapso obligatio finiatur; & ratio probabilitatis vtriusque sententię est, quia Lateranēse Concilium, dum tale posuit præceptum, potuit vtrunque intendere, quid nam autem de facto intenderit, non constat; semper tamen suadendum est in sacramenti, & præcepti fauorem, ita quod, si quis nō satisfecit, adhuc anno elapso satisfaciat, & iste videtur cōmunis mos Parochorum, qui semper vrgent eos, qui his præceptis non satisfacerunt. Idem iudicium faciendum est de illa difficultate, quam proponunt hic aliqui, an nimirum ille, qui præuidet se non posse toto anno sequenti confiteri, teneatur anticipare; vtraque namque pars ex dictis probabilis est, & vtraque facile defendi potest, in praxi tamen pars sacramento magis fauorabilis suaderi debet.

Octa.

Octaua difficultas, an ille qui ex obliuione, vel aliqua rationabili causa aliqua peccata mortalia in confessione omittit, teneatur illa confiteri quam primò possit, an vero possit illorum differre cõfessionem, vsque ad annum sequentẽ. Respondetur posse differre, ita Victoria *summa* nu. 137. quem refert, & sequitur Nugnus hic q. 6. art. 5. difficultate 6. ratio est, quia ille talis iam Ecclesiastico satisfecit præcepto; ergo &c.

Nona difficultas, ex quibus capitibus excusetur quis ab impletione præcepti annuę confessionis. Respondetur excusari ob impotentiā physicam, quia non potest confessarium adire. Moralem, vt nimia difficultas itineris, iudicio prudentis: damnum graue, tum corporale, tum spirituale, quę talia sunt quod etiam ab aliorum excusarent obseruantia præceptorũ; res facilis est maiori non indiget discussione.

Sed queres, an in casu, quo quis excusaretur à confessione faciēda peccatorum mortalium, quia timet illorum reuelationem, an tunc teneatur venialia confiteri. Et respondeo cum veriori sententia, quod non; cum enim ad venialia confitenda nemo teneatur, & aliunde excusetur ille à mortalium confessione, sequitur eo casu non teneri venialia confiteri.

Decima difficultas, quomodo computādus sit annus annuæ confessionis. Sunt duo modi magis communes dicendi, vnus est, quod annus cõputari debeat à prima Februarij die, vsque ad vltimam diem Decembris eiusdem anni. Hunc dicendi modum sequitur Lugo nu. 157. post Vasquez, & alios. Secundus modus communior, & verior est, quod annus à Paschate in Pascha computetur. Hic modus communiter seruatur à Parochis, qui tunc temporis confessionem requirunt à Parochianis: imò innui satis clare videtur à Tridentino sess. 14 cap. 5. his verbis: *vnde iam in Ecclesia cum ingēti animarum fidelium fructu obseruatur mos ille salutaris confitendi sacro illo, & maximè acceptabili tēpore quadragesima,* quem

quem morem sancta synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & merito retinendum. Nec fundamentum Lugonis cogit nos, vt hanc Tridentini doctrinam relinquamus. Fundamentũ illius auctoris est, quia cogeretur quis intra spacium decem mensium bis confiteri: vt si hoc anno confiteatur die prima Martij, quæ esset Dominica in Albis, & anno sequenti eadem dies esset vltima Martij. Nam respondetur primò hoc esse omnino per accidens, & sicut nullum est inconueniens id ipsum admittere quoad communionẽ, ita neque quoad confessionẽ. Secundò quia id quod hoc anno deest ad anni complementum, sequenti anno lucrabitur. Tertiò quia huius anni computatio non est mathematica, sed moralis, sed ecclesiastica.

Vltima difficultas, quas pœnas contrahat huius præcepti transgressor? Respondetur iure communi nullam pœnam ipso facto incurrere, sed solum sunt duæ pœnę inferendæ à iudice, nempe *viuens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura*. In aliquibus tamen Episcopatibus, est pœna excõmunicationis latæ sententiæ, quæ pœnæ ponuntur violantibus quodcunque præceptum, siue confessionis, siue communionis, nec est necesse quod vtrunq; violetur, licet aliqui vtrunque transgredi velint, quod non est improbabile quoad pęnas capitis *omnis*, quoad excommunicationem vero, obseruandus est sensus illius loci, vbi excommunicatio fulminatur.



QVAE-

QVAESTIO III.

Quinam, Ecclesiastico annuæ confessionis præcepto, obligentur.

DVobus modis potest hæc obligatio considerari, ratione videlicet materiæ, & ratione ætatis: quoad materiæ rationem, in omniũ sentẽtia certum est, hanc obligationem solum homines baptizatos respicere, qui post Baptismum mortaliter peccauerunt, vt ex supradictis liquet. Quoad ætatem vero, etiam constat, ex verbis capitis *omnis* teneri illos qui ad discretionis annos peruenerint. Difficultas esse potest quis sit discretionis annus, an nimirum sit ipsum septenniũ, vel ante illud, si rationis aurora appareat: de qua re.

Prima sententia est septennij nomine intelligi in masculis annus 14. & in fœminis 12. Ita Sotus apud Lugum hic numer. 149. ex generali doctrina, quod pueri ante id tempus præceptis non teneantur Ecclesiasticis.

Secunda sententia ex opposito dicit pueros obligari ante septennium si rationis radius illucescat, & ante id tempus mortaliter peccent. Ita Martinus de S. Ioseph. in mon. confess. trac. 6. nu. 9.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Nec pueri confiteri obligantur ante septennium, nec possunt expectare 12. vel 14. annum, sed tenentur confiteri circa annum* 8. Est communis sententia, & patet ex citato cap. *omnis vtriusque sexus cum ad annos discretionis peruenerint*; vnde conclusio magis eget explicatione quam probatione: Dixi non obligari pueros ante septennium si ante id tẽpus rationis appareat aurora, & mortaliter peccent; quia leges non sunt de ijs, quæ per accidens fiunt, sed ijs leges adaptantur, quæ frequentius accidunt, illis spretis casibus, qui

qui de raro cõtingunt. *L. nam ad ea* ff. de Legib. Ob idque rectè docet Diana resol. 42. par. 1. tract. 9. post alios, posse ijs pueris carnes præberi in vigilijs, & quadragesima, quia lex humana, modo procedit humano in obligando, & sic cum non intendat obligare nisi vsum habentes rationis, solum obligare intendit quãdo idem rationis vsus communiter præsumitur, non curando, quod in hoc, vel illo puero acceleretur, vel non.

Dixi quod nec possunt expectare 12. vel 14. annum. Primò quia is est fideliũ sensus, & vsus. Secũdò quia hoc non est purum præceptũ humanũ, sed est iuris diuini determinatio; vnde sicuti pueri rationis vsum habentes tenẽtur in mortis articulo confiteri ad diuino præcepto satisfaciendum, ita tenebuntur ante illud tempus ad præceptum diuinum sic per Ecclesiasticum determinatum. Notat tamen, & benè, Nugnus hic difficultate prima, cum Soto, non teneri pueros, nec ligari censuris Ecclesiasticis ante illud tempus, quia ita habetur in cap. *pueris*, de delictis. Vnde quando in Parochia excommunicantur, qui in Paschate non sunt confessi, pueri non ligantur.

Dixi quod confiteri tenentur circa annum octauũ, quia si puer perueniat ad vsum rationis per duos, vel tres menses ante Pascha, vel per minus tempus, non tenebitur confiteri, sed poterit sequens Pascha expectare, cum non videatur credibile, quod statim quo quis peccat, post rationis vsum, confiteri teneatur, sicut nec tenentur adulti, sed obligatio cõfitendi à primo Paschate, post peccatum, incipiet, & complebitur in secundo. Id quod de pueris ante septennium dictum est, à fortiori ad amentes applicandum est. Sed restant aliquæ difficultates examinandæ ad plenam dicti præcepti intelligentiam.

Prima difficultas est, an publicæ meretrices ligẽtur præcepto ecclesiastico annuę cõfessionis, & an incurrant pœnas transgressorum illius. Cõcedunt

cedunt omnes teneri meretrices ad obseruantiam præcepti annuæ confessionis, sicut & communionis & aliorum ecclesiasticorum præceptorum, non enim ex hoc quod illarum miserimus status dissimulatur, à præceptis eximuntur ecclesiasticis. Nõnulla difficultas est, an incidant in censuram synodalẽ, v.g. excommunicationis latæ sententiæ, vbi contra transgressores annuæ confessionis fulminatur. Certum in primis est, non incidere in pœnas canonis *omnis vtriusq; sexus*, nisi post sententiam, cũ enim illæ pœnæ non sint latæ, sed ferendæ sententiæ, non nisi post iudicis sententiam contrahi possunt, vt omnes docent, vnde licet publicæ meretrices Ecclesiastica priuentur sepultura, vt etiam est videre hic Romæ, vbi publicæ meretrices in quodam loco, extra Portam Populi sepeliũtur, non tamen id est in pœnam transgressionis præcepti Ecclesiastici, cum, vt suppono, per sententiam non fuerint diiudicatæ, sed quia supponuntur mortuæ in statu damnationis, & in publico peccato mortali; vnde difficultas ad solam pœnam latæ sententiæ reuocatur v.g. excommunicationis, vel priuationis Ecclesiasticæ sepulturę si alicubi fulminetur, negat Leander de sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 3. q. 58.

Sed verior sententia est Card. de Lugo hic disput. 13. num. 148. quod re vera meretrices illam pœnam contrahant, nisi contrariam intentionem habeant Episcopi, qualem fortasse habent plures propter dissimulationem Reipublicæ circa tales meretrices.

Secũda difficultas, an ignari idiomatis teneantur confiteri per interpretẽ, vt Ecclesiastico satisfaciunt præcepto annuæ confessionis. Concedunt omnes posse confessionem per interpretem fieri, sicut & publicè, vti vsus est in naufragio, incendio &c. ratio est, quia ad confessionis valorem, & essentiam solum requiritur, quod Sacerdoti fiat vt iudici, quod autem hoc, vel illo fiat modo, scilicet secretè, vel publicè, per se, vel medio

interprete parũ refert. Difficultas est an fieri debeat aliquando.

Est communis Theologorum resolutio, talem nõ extare obligationẽ confitendi per interpretem, vt præcepto satisfiat Ecclesiastico annuæ confessionis, quod clarè colligitur ex illo cap. *omnis vtriusque sexus*, vbi ponitur particula huius casus exclusiua, dum dicitur: *teneatur solus cõfiteri sua peccata proprio Sacerdoti*, patet autem quod confiteri per interpretem, non est confiteri solus, proprio Sacerdoti. Nonnulla difficultas est de præcepto diuino, de qua sunt duæ sententiæ: prima est, quam defendit Lugo hic disput. 15. nu. 66. vbi dicit, quod licet præceptum diuinum nõ obliget confiteri cum graui detrimento extrinseco, ex cõfessione tamen facta per interpretem fidelem, & prudẽtem, tale detrimentum non sequitur, ob idque obligabitur quis per interpretem confiteri quando diuinum obligabit præceptum, vt in mortis articulo.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Per se loquendo nullus obligatur cõfiteri per interpretem ad satisfaciendum diuino præcepto.* Est communis Theologorũ sententia quos refert, & sequitur P. Diana de sacram. resol. 129. Dixi per se loquendo, quia per accidẽs ratione charitatis, qua tenetur se ipsum homo diligere, obligari poterit, vt si probabiliter putet se nõ esse contritum, dum est in mortis periculo, vel articulo, vt æternam fugiat damnationem, per interpretem confiteri tenebitur. Ita Diana loco citato. Sed contra istum dicendi modum insurgit Lugo num. 62. dicendo Dianam consequenter non loqui, quia si quis confiteri tenetur quãdo probabiliter dubitat de sua contritione, etiam tenebitur quãdo probabilem habet de sua contritione existimationem, nam qui probabilem habet de sua contritione existimationem, probabiliter de illa dubitat, & sic consequenter non loquitur, qui dicit moribundum ex diuino præcepto confiteri non teneri, quando probabilem habet

de

de sua contritione existimationem, & postea dicit, teneri quando de illa dubitat.

Sed non benè reprehenditur Diana à Lugo, cũ videatur satis loqui consequenter, non enim est idem, probabilem habere de sua contritione existimationem, & prudẽter de illa dubitare qui enim prudenter de sua dubitat cõtritione, non dicitur habere probabilem de sua contritione existimationem; in omniũ enim sententia, probabilitas, à dubietate distinguitur; nec est idem conscientia probabilis, & conscientia dubia; nam cum conscientia probabili de actus bonitate, licitum est practicè operari; at vero cum conscientia dubia, an actus bonus, vel malus sit hic, & nunc, non est licitum operari, vt omnes tradunt, in materia conscientiæ probabilis, & dubiæ: & sic qui rectam habet, & probabilem de sua contritione existimationẽ per interpretem confiteri non tenebitur, secus si de illa dubitet, vt ex dictis liquet.

Probatur deinde quod per se loquendo nulla sit obligatio confitendi per interpretẽ in articulo v.g. mortis, ad satisfaciendũ diuino præcepto. Nam Concilium Tridentinũ sess. 14. cap. 5. satis apertè declarat præceptum diuinum nullo modo obligare ad faciendam confessionem publicam, licet illã fieri posse permittat, sed solum obligare ad faciẽdam illam secretò; ergo non est obligatio confitendi per interpretem. Antecedẽs est certum: consequãtia probatur, quia confessio per interpretem facta non est absolutè secreta; ergo.

Respondet Lugo num. 37. Concilium solum loqui de confessione secreta prout distinguitur à publica, qualis non est, quæ per interpretem fit, cum non sit publicum, quod per interpretem fidelissmum, stricto præcepto obligatum, dico confessario Sed hæc solutio videtur cum verbis Tridentini pugnare: sic enim loquitur Tridentinum. *Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem; etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictã suorum scelerum, publicè confiteri*

fiteri possit. Vbi vt vides Concilium vult confessionis obligationem, esse de illa confessione, quæ apud solum Sacerdotem fit, & per consequens cum confessio facta per interpretem non fiat apud solum Sacerdotem, de iure diuino esse non potest.

Confirmatur primò, quia in tãtum homo putat diuino se vrgeri præcepto confessionis, & illi se subijcit, in quantum scit nullum esse casum in quo confessarius possit sua manifestare delicta, at non est sic respectu interpretis, cũ proprio sacramentali sigillo non teneatur, secundum saltem aliquorum opinionem, vt Caietani, & Soti apud Suarez disput. 33. sect. 4. sed posset in aliquo grauissimo casu, grauissimum manifestare delictum v. g. proditionis, &c. ergo.

Confirmatur secundò, quia minora incommoda excusãt ab obligatione seruandi præcepti diuini, vt iter, prudentis iudicio laboriosum, ob quod diximus supra non obligari Sacerdotem ad illud subeundum, vt illud præceptum obseruet pro Missa celebranda, vel communione facienda, & fatentur omnes; ergo multo magis non obligabit diuinum præceptum ad confessionem ponendam cum illo incommodo confitendi per interpretem: certè communiter homines maius reputãt incommodum alteri quam Sacerdoti sua manifestare peccata, quã subire iter duarum, vel trium leucarum; vnde patet nõ esse adeo verum, id quod dicit Lugo num. 70. quod grauius incommodum plerũque habetur facere sex milliaria pro quærendo confessario ad confessionem ponendam, quam confiteri per interpretem; nam si mulierẽ, vel puellam verecundam interrogemus vtrum illorum subire velit, certè non solum sex, verum etiam plura potius faceret milliaria, quam per interpretem sua cõfiteri peccata, quod etiam communiter dicunt homines etiã prudentes, prout non semel interrogaui, præsertim quando peccata essent enormia &c.

Confirmatur tertiò ad hominem, quia per illum auctorem

rem excusaretur pœnitens ab obseruãtia præcepti diuini, de ponenda confessione ante cõmunionem, si non posset, nisi per interpretem cõfiteri; ergo etiam excusabitur in mortis articulo, vel periculo; Antecedens admittit ille num. 70. Consequentia probatur, quia præceptum diuinum de confessione ponenda, non magis obligat pro mortis articulo, quam pro communione ponenda; ergo si ob illud incõmodũ excusatur homo à confessione ponenda, quando cõmunio poni debet, etiam excusabitur in mortis articulo. Antecedens patet, nam si in mortis articulo poni debet confessio ob charitatis motiuum, quo tenetur quis se ipsũ diligere, & perpetuæ damnationi non se tradere; ita communionis tempore vrget reuerentia erga venerabile Sacramentum, & ne infiniti valoris margarita, porcis tradatur. Minimũ autem detrimẽtum extrinsecum Dei, maius est maximo hominis detrimento, non solum extrinseco, verum etiam intrinseco, vt patet.

Confirmatur quarto, quia si scirem confessarium reuelaturum vni soli, quantumuis prudentissimo, & secretissimo viro, non tenerer mea confiteri peccata, vt omnes tradunt; ergo neque teneor illa cõfiteri per interpretem. Antecedens admittunt omnes. Consequentia probatur, tum ex paritate rationis, tum ex ratione ipsa, quia fideles non graue habent, quod propria peccata sciãtur ab illo iudice à quo absoluũtur, valde autẽ graue habent, quod ab alio quam à iudice ipso sciantur.

Sed arguit Lugo, quia subditus graue non habet, quod eius peccatum reseruatum, à superiore sciatur; ergo nec ab interprete. Respondetur pœnitentem nõ multum curare, quod eius peccatũ à prælato sciatur, valde autem curare, quod non sciatur persona; vnde ob hoc non ipsi subditi ire volunt ad prælatum, pro facultate petenda, pro reseruatione tollenda, sed mittunt confessarium, qui talem impetret dispensationem, vel facultatem, nulla personæ facta mentione.

Sed

Sed quæres primò, an ille, qui in mortis articulo confiteri tenetur per interpretem, eo quod de sua dubitat contritione, teneatur omnia peccata cōfiteri, an sufficiat, quod vnum, vel alterum confiteatur, de quo minus verecundatur, vt mendaciū leue &c.

Respondetur hoc vltimum sufficere: ita Nugnus hic q.9. art.3.difficult.1. & alij, quos refert, & sequitur Diana loco citato; & ratio communis est, quia illa videtur sufficiens causa excusandi ab integritate materiali confessionis. Idem dicendum est, quando confessio publicè fieret, vt in naufragio, incendio, & tēpore pestis, quando plures peste infecti in eodem manent cubiculo, & confessarius à longe manet, ne peste inficiatur; in his enim & similibus casibus, debet Confessarius illos pœnitentes monere, vt dicāt solum vnum, vel alterū peccatum, de quo non verecondantur, & sic absoluantur, ita obseruabatur Papiæ, vbi ego eram anno 30. quando pestis ibi, & per totam fere Longobardiam grassabatur. An autem tūc temporis licitum sit, sicut & in naufragio, incendio, &c. plures simul, & semel absoluere? Respondeo affirmatiuè res clara est ideo sistendum.

Quæres secūdò, an mutus, surdus, idiomatis ignarus, balbutiens, & vniuersaliter quilibet, qui ob defectum loquelæ integram facere non potest confessionē, teneatur peccata scribere ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico. Affirmatiuè respondēt Suarez, Turrianus, & alij apud Dianam de sacram. resol.128. Opposita tamen sententia quam post Ioannem de la cruz, Sotum, & alios, tenet Diana, probabilior est; ratio est quia lex ad insolita non ligat, atqui peccata scribere insolitum est; ergo. Tum quia peccata scribere est illa publicationis periculo exponere; ad quod Ecclesiasticum non adstringit præceptū, imò neque diuinum, vt dicebamus, nisi per accidens, quando quis de sua dubitaret cōtritione.

Quæres tertiò, an cōfitens, sine necessitate, sed ob pudorem,

rem,vel ob aliam similem rationem, possit peccata scribere, & ea legenda Confessario tradere, & postea absolui. Negat Facundez apud Dianã loco citato resol.127. affirmat Villalobos, & alij quos refert, & sequitur idem Diana, quod mihi placet, dummodo postea ante absolutionem dicat de omnibus illis peccatis me accuso, vel pectus tundat in signum dolorosæ confessionis; licet aliqui non improbaliter velint sufficere scripti traditionem, & lectionem. Hoc tamen nõ debet ita facile permitti cum sit contra communem Ecclesiæ vsum, ac proinde per se peccatum saltem veniale, nisi sufficiens causa prudentis iudicio Confessarij excuset; idẽ dicetur de infirmo qui ob gutturis morbum difficulter loqui posset, tunc enim posset eo modo confiteri: Non tamen placet quod dicunt aliqui, idem facere posse nutibus, qui scribere nesciunt; cum non ita benè peccata explicentur nutibus, ac scriptura.

Quæres quartò, an muti, qui scribere nesciunt, teneantur per nutus confiteri, vt pręcepto satisfaciant Ecclesiastico. Respondetur affimatiuè, non solum quoad pręceptum diuinum, verum etiam Ecclesiasticum: ratio est, quia ex isto confitendi modo, nullum sequitur incommodum, imò maximum commodum, cum nec adsit interpres, nec scriptura, imò nec verba, in quibus aliqui maximè verecundantur. Nota tamen in casu mutorum, surdorum, balbutientium, & ignarorum idiomatis, dari de facili confessionem non integram, materialiter, per quæ consolabatur quidam Confessarius, quando similium confessiones audiebat.



QVAE.

QVAESTIO IV.

An possit quis saltem ut præcepto satisfaciat Ecclesiastico, confiteri per nuncium, vel per litteras confessario absenti.

MAgna fuit inter Theologos disceptatio ante Clem. VIII. decretum, supra disput. 3. quæst. 3. §. quæres 6. relatum, circa confessionem absenti faciendam, nam ex vna parte Paludanus 4. dist. 17. quæst. 2. Adrianus quæst. 1. de confess. Petrus Sotus lect. 11. de confess. Medina C. de confess. quæst. 15. Nauar. cap. 21. num. 36. & alij plures dicebant licere absenti confiteri. Ex alia vero parte Caietanus summa V. confessio condit. 11. Sotus 4. dist. 18. quæst. 2. art. 6. Victoria nu. 171. & alij plures dicebant non licere. Et hanc sententiã determinauit Clem. VIII. decreto illo citato, quod postea approbatum fuit à Paulo Quinto.

Ratio à priori, est Christi Domini institutio, instituentis pro parte materiali sacramenti, confessionem Sacerdoti præsenti factam; quæ institutio ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & praxi colligitur.

A posteriori etiam probari potest, quia Sacerdos in tali confessione rationabiliter, & prudenter dubitare potest, num pœnitens animum mutauerit, in eo temporis spacio, quo ab eo discessit nuncius, vel epistolam scripsit; & sic, cum in re dubia, non ferenda, sed suspendenda sit sententia, quãdo alijs medijs succurri potest, sequitur quod cum hoc Sacramentum per modum iudicij sit institutum, eo casu absolutionis sententia ferri non possit. Si enim vt non infrequenter videmus pœnitentes etiam ad Confessarij pedes animum mutant, à fortiori mutabunt ipso absente.

Sed

Sed vt rem hanc plenius habeas, aliquas tibi propono difficultates, ex quarum solutionibus, plenissimam habebis huius materiæ intelligentiam.

Prima difficultas est, an liceat Sacerdoti audita pœnitentis cõfessione proprio ore, & in præsentia facta, illũ post suũ discessum absoluere per internuncium, vel litteras, ita quod confessio fiat præsenti, sententia, seu absolutio impertiatur absenti.

Partem affirmatiuam tenuit P. Suarez hic, & sic interpretabatur Clementis VIII. decretum. Sed Paulus V. Suarez sententiam reprobauit, vt constat ex eiusdem P. Suarez causa die 14, & 20. Iulij, & 18. August. anni 1605. quam ad verbum refert Petrus Fayus disput. 3. ad art 3. quest. 5. supplem. vt testatur Isamb. hic disput. 18. ar. 5. Vnde omnino dicendum, nec confessionem, nec absolutionem absenti dari posse, & certè decreti verba id volunt, & rationes factæ id ipsum conuincunt.

Secunda difficultas, an cõfessio absenti facta, & absolutio data pariter absenti, sint solum illicitæ, an etiam inualidæ, irritæ, cassæ. Paludanus supra relatus. Turrecrem. in cap. *quem pœnitet*, de pœnitẽtia, & alij, volunt talem confessionem, & absolutionem esse validas, sed illicitas.

Sed opposita sententia est sustinenda, vnde dico tales confessiones, & absolutiones absenti factas non solum esse illicitas, verum etiam inualidas, nullas, irritas &c.

Probatur clarè ex Tridentino sess. 14. cap. 2 vbi loquẽs de Baptizatis, & de remedio pro illorum peccatis sic loquitur: *Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tanqnam reos sisti voluit* (loquitur de Christo) *vt per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari*. Ergo ex mẽte Cõcilij hoc Sacramentum taliter institutum est, quod pœnitens vt peccatorum obtineat

tineat remissionem debet sisti ad pedes Confessarij, & vt sic absolui, sisti autem ante iudicem non est medio alio comparere ante iudicem, sed se ipso corporaliter, vt declarat Vlpianus 2.lib. Digestorũ tit.11.L.1 §.*si quis*.

Probatur etiam ex ipso Clem. VIII. decreto, quod tales confessiones, & absolutiones sint nullæ, quia illud quod validè, sed illicitè fit, aliquando & validè, & licitè fieri potest; sed confessio, & absolutio absenti in nullo casu fieri potest; ergo nõ solum illicitè, sed etiam inualidè fit. Maior patet, quia ideo aliquando licitum est cum sola contritione communicare, vt quando non est Confessarij copia, quia communio vel missæ celebratio sine confessione solum illicitè fiunt, si enim inualidè in nullo casu fieri possent: Minor stabilitur in Clementis VIII.decreto, ergo.

Confirmatur ex alio decreto Pontificio lato die decima octaua Augusti anno 1605. contra doctrinã P.Suarez; cum enim hac 3.par.disput.21. sect.4. scripsisset, post Clem.VIII. decretum, corporalem præsentiam tum pœnitentis se confitentis, tum Sacerdotis absoluentis non esse pœnitentiæ sacramento essentialem,& Clem.8.decretũ in sensu dumtaxat copulatiuo diceret intelligendã esse, fuit à Summo Pontifice sequenti censura notatus, vt refert Petrus Fayus supra. *Die decima octaua Aug.* 1605. *Sanctissimus decreuit,ex tom.4. P.Suarez Iesuitæ in 3.partem S.Thomæ disput.* 21. *de confessione sectionem* 4. *cui titulus est vtrum de necessitate confessionis sit, vt pœnitens Sacerdoti absenti immediatè, & per se ipsum reuelet peccata sua, totam esse amouendam,nec aliam illius loco subrogandam.* Ergo signum est pœnitentiæ sacramentum, & quoad confessionm, & quoad absolutionẽ non solum copulatiuè, verum etiam diuisiuè non solum illicitum, verum & inualidum esse.

Confirmatur hoc idem ex cap. *quam pœnitet*, de pœnit. dist.1. vbi sic habetur: *Præcepit Dominus mundandis, vt osten-*

ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia cõfitenda peccata, non per nuncium, non per scriptum manifestanda; dixit enim ora monstrate, & omnes, non vnus pro omnibus &c. Vbi vt vides est Domini præceptum, corporali præsentia confiteri peccata, non per nuncium, non per scriptum, ac proinde aliter facere nec confessio, nec absolutio valida erunt.

Potissimum sententiæ Patri Suarez fundamentum ex natura desumebatur iudicij, cuius est pœnitentiæ sacramentum, sic: Christus Dominus ita euexit contractum matrimonialem ad sacramẽti rationem, sicut euexit iudicium pœnitentiale ad rationem sacramenti pœnitentiæ; ergo sicuti contractus matrimonialis per hoc quod fuerit euectus in sacramentum non amisit rationem essentialem contractus, ita per hoc quod euexit iudicium in sacramentum pœnitentiæ, non debet ea quæ de iudicij ratione sunt amittere; Sed iudicium inter alia habet, quod fieri possit inter absentes; ergo. Hæc minor subsumpta de qua sola difficultas esse potest, experientia ipsa docetur, videmus enim quotidie in tribunalibus reo ipso absente, imò comparere nolente iudicium contra eum perfici, condemnari, sententiari, ergo.

Respondetur Christũ Dominum euexisse quidem iudicium ad sacramenti rationem, sed & apponendo aliquas circunstantias, quæ iudicio forensi extrinsecæ sunt; & limitando generalem iudicij rationem. Apposuit conditiones iudicio forensi extrinsecas, ordinando, quod ipsemet reus esset sui accusator etiam ocultissimorum, & sibi soli peccatorum cognitorum, cum tamen in alijs iudicijs reus nullatenus teneatur se ipsum accusare, vbi contra eum per sufficientem probationem nihil probatur. Limitauit generalem iudicij rationem faciendo, & ordinando, quod licet iudicium generaliter sumptum, inter absentes exerceri possit, hoc tamen secretum conscientiæ iudicium non nisi inter præsentes exerceretur,

quæ Christi ordinatio notuit per Ecclesiæ vsum, & Conciliorum determinationes, pręsertim Tridentini supra relati. Igitur iudicium fori interioris non nisi in præsentia fieri potest; iudicium vero fori exterioris etiam in absentia fieri potest, ob id dicunt cōmuniter Theologi,& colligitur ex cap. *sane*, causa 24. quæst. 2. ex Concilio Calcedonense, absentes posse, & excommunicari, & absolui, cum hæc ad iudicium exterius pertineant, secus sacramentaliter absolui, cum hoc iudicij sit interioris.

DISPVTATIO SEXTA

De Confessionis qualitate.

SExdecim communiter confessionis assignantur conditiones, quæ ex ipsius cōfessionis Medulla eliciuntur, quæ sequentibus versibus continentur.

Sit simplex, humilis, confessio, pura fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda;
Integra, secreta, lachrimabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Harum quædam conditionum de intrinseca sunt Confessionis ratione, vt quod sit accusans, integra, & fidelis; quod sit nuda, nempe cum circūstantijs necessarijs; quod parere parata; sine istis namque conditionibus sacramentalis confessio esse nequit. Quod sit secreta non est omnino necessaria, vt ex dictis supra liquet, similiter aliæ cōditiones necessariæ non sunt vt quod sit humilis, frequens, lachrimabilis, accelerata, &c. Aliqui sic practicè tales exponunt conditiones, nimirum debet confessio esse simplex,

& nu-

& nuda, ne verbis vtatur ornatis, ne narrentur res domesticæ, vel facta, aut peccata aliena, ne veletur colore obscurante peccati turpitudinē, vel voce demissa, vt Confessarius peccata non audiat, vel discernere nesciat ob verborum inuolucrum. Debet esse humilis, vt pœnitens confusus appareat, genuflexus, discooperto capite. Pura sine mixtione rerum impertinentiū, nec peccata indicet aliena, nec complices. Fidelis vt non dicat mendacium. Frequens esse debet ex consilio. Discreta, verbis scilicet honestis, præsertim in explicatione peccati luxurię. Libens, vt amore spiritualis fiat salutis. Verecūda, vt dicat peccata, quę nouit, & non expectet cōfessarij interrogationē. Integra, vt species & numerus non retineatur peccatorum. Secreta, vt fiat Sacerdoti vicem Dei gerenti. Lachrimabilis, idest cum cordis dolore, licet etiam exteriores lachrimæ laudentur. Accelerata, vt statim commissum confiteatur peccatum. Fortis, ne quid pudore sileatur. Accusans, vt sibi non dœmoni, vel alteri creaturę peccatum imputet. Parere parata, in ijs, in quibus prudenti Confessario obedire tenetur. Sed antequam potissimæ explicentur confessionis conditiones, sit.

QVAESTIO I.

An detur confessio sacramentalis valida, sed informis, & ex quibus capitibus.

PRimum quod in quęstionis titulo posuimus admittunt ferè omnes Theologi, vt constat ex ijs quæ de sacram. in genere disp. 4. q. 5. docuimus; contingere namq; potest, quod quis validum recipiat pœnitentię sacramētum, taliter quod pœnitens non teneatur amplius, peccata confessa, Ecclesiæ clauibus subijcere; & tamen effectum sacra-

sacramenti nō recipiat, nempe gratiam; plura etenim requiruntur ad recipiendum sacramētum, & effectum illius, quam ad solum sacramentū, sine illius effectu. Tunc autē & hoc, & alia recipiuntur sacramenta informia, quando recipiuntur cum fictione non tollente veritatem sacramenti, vt citato loco aduertimus, si enim sacramenti veritas tollatur, sacramentum non erit. De secundo ergo solum currit præsens difficultas, ex quibus nimirū capitibus pœnitentiæ sacramenti veritas, per fictionem non tollatur, seu ex quibus capitibus pœnitentiæ sacramentum informe dari possit.

Ex duobus capitibus dicunt magis cōmuniter Theologi confessionem informem esse posse, nimirum ex deffectu sufficientis doloris ad gratiam causandam, & ex defectu sufficientis examinis. Primum ponit D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiun. 1. vbi sic loquitur: *Confessio secundum, quod est pars sacramenti, sic ordinat confitentem ad sacerdotem, qui habet claues Ecclesiæ, qui per confessionem conscientiam confitentis cognoscit; & secundum hoc confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua sacerdoti innotescere, & clauibus Ecclesiæ se subijcere, & quamuis tunc non percipiat absolutionis fructum tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est in alijs sacramentis; vnde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri.* Hæc D. Thomas. Vbi nota per contritionem nō intelligere D. Thomam solum contritionem perfectam, verum etiam imperfectam supernaturalem, cum certum sit secundum Tridentini determinationem sess. 14. capite 4. attritionem supernaturalem esse sufficientem cū Pœnitentiæ sacramento, cum sit donum Spiritus sancti ad iustificationem, media gratia ponendam; neque vult Angelicus dari confessionem informem sine vllo prorsus dolore, quia licet dolor non sit de essentia huius sacramenti in recto, debet tamen in obliquo

bliquo connotari, cum autẽ per Concilium supra, dolor supernaturalis sit sufficiens ad ponendam confessionem formatam, sequitur quod tunc ponetur confessio informis quando aliquis dolor aderit, non tamen sit ille, qui est sufficiens ad faciendam confessionem formatam, & iste erit dolor naturalis. Et sic si quis accedat bona fide ad confitẽda peccata cum dolore solum naturali, putet tamen se habere sufficientem dolorem supernaturalem, faciet confessionem validam, cum sit sufficiens dolor essentialis supposita ignorantia, sed informem, cum talis dolor, cum sit naturalis, etiam cum sacramento, nequeat esse vltima ad gratiam dispositio; & sic ablato postea tali obice illud Pœnitentiç sacramentum suum producet gratiç effectum. Hæc est communis Theologorum sentẽtia vt videre est apud Bonacinam de Pœnitentia disput. 5. q. 5. puncto 5. vbi citat D. Thomam, Caietanum, Ledesmam, Sotum, Syluestrum, Nauar. Couar. Capreolum, Durandum, & alios multos.

Probatur, quia quãdo pęnitens dolorem habet naturalem, & bona fide dolorem prætermittit supernaturalem, adsunt omnia necessaria ad sacramentum Pœnitentię cõficiendum, licet non adsint omnia necessaria ad gratiæ effectum ponendum; ergo tunc temporis Pœnitentię sacramentum erit informe. Antecedẽs probatur, dolor naturalis bona fide positus est sufficiens materia ad ponendum Pœnitentiæ sacramentum, quoad suam substantiam, vel essentiam; ergo cum tunc, vt suppono, adsit confessio, & sacerdotis absolutio, ponetur Pœnitentiæ sacramẽtum validum, seu secundum suam substantiam, vel essentiam, licet informè. Quod autem dolor naturalis sit sufficiens materia ad ponendum Pœnitentiæ sacramentum quoad substantiam, vel essentiam patet. Primò, quia dolor supernaturalis non requiritur præcise ratione sacramenti ponendi, sed ratione ponendi

di gratiæ effectum; gratia nãque non ponitur in adulto, nisi dispositio supponatur, dispositio autem ad formam debet esse eiusdem ordinis cum forma; est enim dispositio veluti principium, vel exordium formæ, & sic cum gratia sit supernaturalis, eius dispositio supernaturalis esse debet. Secundò, & est maior præcedentis explicatio, aliorum materiæ sacramentorum naturæ cancellos non transcendunt, sed sufficienter saluantur cum materia naturali, vt videre est in Baptismo, cuius materia est ablutio; in Cõfirmatione, cuius materia proxima est vnctio, remota oleum, vel Chrisma, in Matrimonio cuius materia est mutuus coniugum consensus & sic de alijs; ergo etiam in Pęnitẽtia eius materia naturalis esse debet, & si pars aliqua illius est supernaturalis vt dolor, non est ratione ipsius sacramenti præcisè, sed ratione effectus illius nempe gratiæ. Tertiò quia huius sacramẽti materia in recto importata, nempe confessio, est naturalis; ergo quantum ad Pœnitentiæ sacramentũ saluandum, etiam materia in obliquo, & ex connotato importata, potest esse naturalis, & si semel supernaturalis requiritur, id est, non ratione sacramenti præcise quoad substantiam, vel essentiam illius, sed quoad rationem effectus; vt dictum est. Igitur si quis bona fide hoc sacramentum recipiat, cum solo dolore naturali, validum recipiet sacramentum, licet informe; Quod si quis sciens, & volens, vel dubitans, aut etiam ignorans ignorãtia mortaliter culpabili se non habere dolorem supernaturalem, validum non recipiet sacramentum, non enim hoc sacramẽtum validum esse potest cum peccato mortali; & ratio est, quia cum dolor, quicunque ille sit, qui adhoc sacramentum ponẽdum requiritur, debeat esse peccatorũ retractatiuus, ac subinde virtuale continere debeat propositum non peccandi, & hoc stare non possit in casu dicto, patenter sequitur, validum nõ

poni

poni sacramentum, cum tunc temporis fictio veritatem tollat sacramenti; vnde non placet Pesantius apud Bonacinā vbi supra dicens, quod etiam eo casu sacramentum validū sit, licet informe; quia tunc tota sacramenti essentia ponatur. Non inquam hoc placet, quia re vera tota essentia sacramenti non ponitur, cum non ponatur dolor sufficiens, qui debet esse peccatorū retractatiuus, quem non habet ille, qui sciens, & volens sine dolore accedit supernaturali, cum tantum abest, quod peccata non retractentur, cum potius nouum ponatur, vt patet; est autem obligatio in suscipiente sacramenta, omnia illa ponere, quæ requiruntur ad ponendum sacramentum, & effectum illius; vnde ille, qui sciens & volens non vult ponere, quæ requiruntur ad hoc sacramētum ponendum cū illius effectu, habet fictionem, huius sacramenti veritatem destruentem, cum non adsit dolor sufficiens, vt patet.

Alij solent & valde probabiliter explicare cōfessionem informem ex defectu doloris non vniuersalis: vt si quis habens peccatum furti, & homicidij, & doleat de homicidio ex motiuo particulari propriæ turpitudinis, de furto autem nullo modo doleat, quia in mentem non venit; tunc qui sic dolet, & cōfitetur peccatum homicidij, facit pœnitentiæ sacramentum informe; & ratio videtur esse, quia ex vna parte iste gratiam percipere nequit, cum peccatum furti nec confiteatur, nec vllo modo retractet, & ex alia parte ob ignorantiam, à nouo excusatur peccato: habet sufficientem dolorem pro confessione sacramentali ponenda: adest Sacerdotis absolutio, & subinde omnia necessaria ad pœnitentiæ sacramentū quad substantiam, vel essentiam ponendum. Hunc dicendi modum sequūtur plures moderni post Suarez, & Lugo hic disput. 14. nu. 74. contra quem fieri solēt aliqua argumenta, quæ quia ex dictis facilè solui possunt, omitto.

Alij etiam solent alia via explicare cōfessionem informem ex defectu doloris, & dicunt quod ad hoc vt verum

fiat sacramentum formatum; requiritur (& benè dicunt) dolor supernaturalis, sed efficax, vt clare docere videtur Tridentinum sess. 14. cap. 4. vbi definit contritionem, quæ est pars sacramenti, *quod sit animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Ad hoc vero vt fiat sacramentum informe, requiritur quidem dolor ex motiuo supernaturali, sed non est necesse quod sit efficax, sed sufficiet inefficax; vt si quis bona fide putet habere dolorem supernaturalem efficacem, & habeat solum inefficacem, & quandam velleitatem: sacramentum informe recipiet; quod frequenter videtur contingere, dum dolent peccatores de peccatis, propter pœnas inferni, etiam cũ aliquali emendationis proposito, sed inefficaciter, sed remissè, sed debiliter. Hunc modum dicendi sequitur Nugnus hic q. 9. art. 1. & alij post ipsum, & videtur valde rationabilis, propter humanam infirmitatem, & valde cõducit ad diuinam commendandam clementiã, quæ tam benè, nostræ prouidere voluit infirmitati.

Secundum caput ex quo confessio valida, sed informis efficitur, est defectus examinis, qui sic à Nugno vbi supra, & à plerisque Thomistis explicatur, quãdo scilicet homo sufficientem habet dolorem suorum peccatorum, & omnia ea confitetur, quæ memoriæ occurrũt, ad quod aliqualem fecit diligentiam, nõ tamen sufficientem, sed ignorantia mortaliter culpabili iudicat illam sufficientẽ, tunc validum facit sacramentum; cum omnia ad illud substantialiter, vel essentialiter requisita posuerit; non tamen gratia ponitur sacramenti, cũ ponatur obex peccati, nempè examinis insufficientia mortalis: tunc autem iudicatur examinis insufficientia grauis, & mortalis, quando quis adeo leuem fecit conscientiæ discussionem, quod plura fuerunt peccata oblita, quam in confessione narrata, & hoc non fecerit scienter; quia eo casu confessio nulla fuisset, neque ex ignorantia affectata, crassa, vel supina, quia hæ igno-

ignorantiæ, scientiæ, quantum ad hoc, videntur comparari, sed ignorantia vincibili mortali: videatur Nugnus loco citato, qui optimam ponit harum ignorãtiarum distinctionem, quã ego consulto omitto, quia suo loco, nempe in p. 2. Deo dante explicabo.

Sed quæres primò, an pœnitentiæ sacramentum informe, ablato obice suum gratiæ producat effectum. Affirmatiuè respondeo, ratio est, quia peccata in sacramento informi manifestata, per aliquod pœnitentię sacramentũ sunt remittenda, vt patet, non per aliud sacramẽtũ cui subijciãtur, cum nulla sit confitendi illa obligatio; ergo per illud tollentur informe, quando obex auferetur, seu quãdo necessaria dispositio ponetur ad fructum sacramenti ponendũ. Ita Nugnus, & alij cõmuniter.

Quæres secundò, an attritio cognata sufficiat ad tollẽdum pœnitentiæ sacramenti obicem? Respondeo sufficere, quando obex fuit ipsa attritionis absentia, & aliunde ille non peccauit mortaliter, post ipsam confessionem informem; ratio communis est, quia illa eadem dispositio requiritur, ad hoc, vt sacramentum informe, fiat formatum, pèr obicis ablationem, quæ primò sufficiens fuisset ad illud formatum ponendum; atqui hoc est attritio cognita; ergo videatur Nugnus loco citato dub. 5.

Dixi quando fuit ipsa doloris absentia, & aliunde pœnitens non peccauit mortaliter, quia si obex positus fuisset ex defectu examinis, tunc attritio non sufficit, sed nouum pœnitentiæ sacramentum requiritur, in quo & peccata oblita subijciantur, & culpabilis illa negligentia confiteatur. Similtier quando quis nouum cõmisit peccatũ mortale post confessionẽ informẽ, attritio non sufficiet, sed noua requiretur confessio; cum præcedens confessio non possit peccatum post illam patratum remittere, alioqui sacramentũ factum, posset peccata futura remittere, quod est nouorum hæresis hæreticorũ, qui volunt sacramẽtum Baptismi peccata remittere futura, ex sui sola recordatione.

QVAESTIO II.

An confessio debeat esse vera, & fidelis.

COnfessionis fidelitas duo postulat. Primum est, quod pœnitens nec plus, nec minus confiteatur quam commiserit, alioqui nec verus, nec fidelis est. Secundum est, quod certa certo cõfiteatur, & dubia, vt talia exponat, alioqui periculo exponetur falsa confitendi. Hinc deducitur primò nũquam licitum esse præsertim in confessione mentiri; cum enim sit præceptum negatiuum de non mentiendo, præsertim coram iudice legitimo, & Sacerdos in tribunali confessionis sit iudex legitimus, sequitur nũquam licitum esse in confessione mentiri. Deducitur secũdo quod celare peccatum mortale, quod pœnitens confiteri tenetur, est peccatum mortale; dixi quod confiteri tenetur, quia si illud reticeatur ob aliquã iustam causam, ob quam confessio non integra materialiter esse potest, nullum peccatum erit, & si pęnitens à Confessario interrogetur liberè negare potest, vtendo æquiuocatione, vel amphibologia.

Deducitur tertiò, quod sit peccatum mortale, venialia tantum confiteri, quæ pœnitens non commisit, quia eo casu nullum ponitur sacramentum, vt supra docuimus, cum & sacramentum res grauis sit, & notabilis Deo irrogetur iniuria. Non erit tamẽ mortale, vnum, vel alterum confiteri veniale, quod quis non commisit, quando alia commissa confitentur peccata, cum tunc irritum non fiat sacramentum. Quod maiorẽ affert in hac materia difficultatem est, an confessio adeo vera, & fidelis esse debeat, quod quodlibet peccatũ excludere habeat; Et an cõfessionis fidelitas, & veritas saluetur, si quis ex fine venialiter malo confiteatur.

Pro huius difficultatis resolutione nota primò, in hoc con-

conuenire plerique, quod si quis externam ponat confessionem ex motiuo vanægloriæ, vel ex alio quocunque, veniali, dummodo cetera adsint requisita ad confessionis validitatem ponẽdam, sacramentum non inualidabitur; cum enim confessio sit actio externa, & hæc possit esse aliunde bona, & mala, etiamsi hic, & nunc ex malo motiuo veniali mala sit, sacramenti pœnitentiæ pars materialis esse poterit, ac subinde sufficiens ad ponendũ sacramentum, quod ex opere operato gratiam habeat causare, à fortiori idem dicendum est, quãdo vanagloria, vel quodlibet aliud peccatum veniale non est confessionis finis, sed solũ concomitanter se habet: esset enim valde durum dicere quod ille, qui ex motiuo acquirendi bonam existimationem apud Confessarium, vel apud suos sodales, vel dum confitetur gloriatur de bona, quam concipit existimatione apud illos, nullum faciat sacramentum, cum optime stare possit confessio, ex vanægloriæ motiuo imperata, cum voluntate absolutionis obtinendæ; seu cum optime stare possit quod vnus, & idem actus exterior; vna, & eadem confessio ex duplici motiuo imperetur, bono scilicet, & malo, non tamen erit tunc & bona, & mala, sed absolutè mala, extrinsecè quidem, quod non officit, quominus non possit esse ex opere operato simul cum reliquis sacramenti partibus, gratiæ causa; sicut enim Sacerdos veram ponit absolutionem; etiamsi illam ex vanægloriæ motiuo ponat, quare etiam pœnitens veram non ponet, & sufficiẽtem oris confessionem, etiamsi ex vanægloriæ motiuo illam ponat?

Nota secundò etiam dolorem, nempe contritionem, & attritionem esse posse cum vanagloria concomitante, vel cum alio quouis peccato veniali; & ratio clara est, quia quilibet virtutis actus stare potest cum aliquo veniali cõcomitante; potest enim quis etiam dum actu diligit Deum, habere alium actum, quo sibi complaceat de tali dilectione.

Nota

Nota 3. quod quando dicitur, quod quis virtute aliqua malè vti poteſt, dupliciter hoc valet intelli: primò obiectiuè; ſecundo effectiuè. Malum vſum obiectiuum admittunt omnes, cum Diuo Thoma mox referendo, cum experientia conſtet aliquos, quaſcunque odiſſe virtutes, alios de illis ſuperbire, vel vanagloriari, alios etiam de omnibus, vel aliquibus male ſentire: ob id dicebat magnũ Eccleſiæ lumen D. Auguſtinus: *Superbiam bonis operibus inſidiari*, plerique namque infirmi occaſionem accipiunt ex aliquo, vel leui virtutis actu, gloriandi, ſuperbiendi, & ſe inaniter extollendi.

Malum vſum effectiuum admittunt etiam plerique Theologi, in virtutibus intellectualibus, prudentia excepta, cum enim virtutes intellectuales ex ſuo genere ad bonũ actus vſum non determinent, cum non reſpiciant bonũ ſub ratione boni, ſed ſub ratione veri; ſequitur, quod poſſint à voluntate ad fines prauos ordinari, de qua re videri poſſunt ea, quæ prima parte de ſacram. in genere docuimus diſput. 5. q. 3. In virtutibus Theologalibus fidei, & ſpei talem malum vſum effectiuum plures admittunt, de quo ſuo loco. In Charitate communiter negant, vt ſuo loco dicetur, & ex mox ſubijciendis ſatis conſtabit.

Difficultas ergo præſens ad ſolas virtutes morales ſiue infuſas, ſiue acquiſitas reuocatur, inter quas non infimũ locum tenet Pœnitentia. Et licet propoſita difficultas de ſola procedat Pœnitentia, vt tamen vniuerſalior ſit doctrina, vniuerſalis erit reſolutio.

Prima ſententia eſt, quod virtutes morales poſſunt eſſe malæ effectiuè, ſeu quod in idem reddit, poteſt voluntas malè vti virtutibus moralibus tamquam principijs effectiuis & ſic poterit voluntas vti Pœnitentia ad eliciendum contritionis actum ex motiuo vanagloriæ, vel comparandi bonam apud confeſſarium exiſtimationem &c. Hanc ſententiam defendit Luco hic diſput. 15. ſect. 9. & 10.

Noſtra

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Nullus potest malè vti vt principio effectiuo virtute morali, ac subinde non poterit quis imperare Pœnitentiæ, vt actum eliciat contritionis, ob vanagloria motium*. Hæc est aperta D. Thomæ, & Thomistarum sentẽtia, quam rectè defendunt N. Salm. 1. 2. to. 1. tract. 11. disput. 6. nu. 29.

Probatur eleganti D. Thomæ testimonio par. 2 q. 55. art. 4. ad 5. vbi sic fatur: *Virtute potest aliquis male vti tãquam obiecto, puta cum malè sentit de virtute, cum odit eã, vel superbit de ea; non autem tanquam principio vsus, ita scilicet, quod malus sit actus virtutis*. Hæc D. Thomas. Et quest. 56. art. 3. assignans differentiam inter virtutes intellectuales & morales, quod intellectualibus potest quis male vti, non moralibus, sic loquitur: *Dupliciter habitus, aliquis ordinatur ad bonum actum: vno modo in quantum per huiusmodi habitum acquiritur homini facultas ad bonũ actum sicut per habitum grãmatica habet homo facultatem rectè loquendi, non tamen grãmatica facit quod homo semper rectè loquatur: potest enim grammaticus barbarizare, aut sollacismum facere, & eadem est ratio de alijs scientijs, & actibus. Alio modo aliquis habitus nõ solum facit facultatem agendi, sed etiam facit quod quis rectè facultate vtatur; sicut iustitia non solum facit quod homo sit prompta voluntatis ad iusta operandum, sed etiam facit vt iustè operetur*: & post pauca subdit. *Et quia virtus est qua bonum facit habentum, & opus eius bonũ reddit, huiusmodi habitus simpliciter dicuntur virtus, quia reddunt bonum opus in actu, & simpliciter faciunt bonum habentem*. Vbi vt vides vult Angelicus Doctor virtutes morales facere bonum habentem, & opus illius bonum reddunt; quod est communis virtutis moralis definitio, quam communiter tradunt morales Philosophi.

Ex quibus D. Thomæ testimonijs sic primam pro nostra conclusione formamus rationem. De ratione virtu-

tis

tis moralis est, non solum potentiam inclinare ad bonum actum, verum etiam ipsum actum in exercitium bonum facere; atqui hoc non præstaret, si quis posset virtute vti ad malum finem; ergo nullus male vti potest virtute morali. Maior patet, tum ex D. Thomæ testimonio; tum ex differentia, quam idem D. Thomas assignat inter virtutes morales, & intellectuales, quam differentiam omnes morales Philosophi amplectuntur; tum ex ratione ipsa, nam cum de ratione virtutis sit inclinare potentiam in ordine ad propriũ illius bonũ. sequitur quod sicut intellectus non potest vti scientia ad producendam conclusionem falsam, ita neque voluntas vti poterit virtute morali ad producendum actum malum; infallibiliter namque virtus intellectualis ad verũ, & infallibiliter virtus moralis ad bonũ fertur; & si semel daretur scientia, quæ inclinaret ad falsum, esset & non esset sciẽtia; ita si daretur virtus, quæ inclinaret ad malum, seu quæ posset deseruire ad inferendã conclusionem practicam malam, seu actum malum, esset, & non esset virtus. Minor probatur, nam si semel quis posset morali virtute vti ad malum finem, non esset de ratione moralis virtutis ponere actum bonum, id enim de cuius ratione est ponere actum bonum, non potest etiam ex alterius imperio ponere actum malum, cum nullum imperium queat extrahere potẽtiam extra sui obiecti latitudinem; & sic, sicut nulla potẽtia potest extrahere scientiam à latitudine veri scientifici, & facere quod actum producat falsum, quia verum, & non falsum est sciẽtiæ obiectum: ita nulla potentia, nullum imperium extrahere poterit virtutem moralem à ratione boni, & facere quod actum producat malum, cum virtutis moralis obiectum sit bonum, & nõ malum; alioqui habitus non essent potentiæ determinatiui ad specialia, & determinata ipsarum potentiarum obiecta, sed illas in earum relinquerent indeterminatione, & vniuersalitate.

Se-

Secunda ratio: implicat in adiecto aliquam esse virtutē moralem, voluntatem perficientem,& voluntatem posse illa male vti; ergo (descendendo ad particulare pœnitentiæ) implicabit pœnitentiam,virtutem esse moralem, & voluntatem posse illa vt principio male vti. Consequentia ex antecedenti benè sequitur. Antecedens ipsum, sic discurrendo demonstro: nam de virtutis moralis essētia est, quod volūtati bonum tribuat vsum; atqui implicat aliquid essentialiter bonum tribuere vsum voluntati, & quod voluntas eo malè vtatur; ergo. Antecedens in quo est difficultas ostenditur;nam de virtutis moralis essentia est, quod habeat pro obiecto bonum morale, atqui cū bono morali essentialiter inspecto malus nequit stare vsus; ergo &c. Vbi enim est malus vsus, ibi bonum morale esse non potest, cum bonum morale in bono vsu,non in malo, esse queat.

Tertia ratio, de virtutis moralis essētia est,quod prudentia reguletur; sed prudentiæ regulatio esse nequit cum malo vsu; ergo implicat esse virtutem moralem,& ad malum vsum ex voluntatis imperio, tanquam principium efficiens, ordinari. Maior fuit communis Philosophorū sententia, vt testatur D.Aug.lib. 6. de Trinitate cap.4. Ob id definitur virtus moralis, *quod sit habitus electiuus*; quia consistit in medio, quod sibi à prudentia præstituitur, & determinatur, vnde sicut implicat dari virtutem moralem sine medio, ita implicabit quod detur sine prudentia. Minor nota est, nam vbi prudētia est, ibi recta electio est, rectum iudicium,bonum imperium, ac subinde recta regulatio, bonusque vsus.

Quarta ratio: Implicat actum virtutis imperare actum vitij; ergo etiam implicabit actum vitij, vel vitiosum imperare actum bonum. Antecedens ostenditur ex communi Philosophorū,& Theologorum consensu,volunt nāque omnes,actum misericordiæ erga pauperem non posse imperare actum furti,cū enim virtutis actus debeat esse ho-

nestus, & misericordia, furti actum imperans; non sit honesta, sed inhonesta, non poterit esse actus virtutis, qui malum imperat actum. Consequentia ex Antecedenti sequi videtur, ex paritate rationis.

Respondet Lugo loco citato num. 208. concedendo Antecedens, & negando consequentiam, quia in actu virtutis honestas apparere debet, non apparet autē in actu eleemosynæ hic, & nunc per actū malum facta v. g. furti. At vero in actu bono oppositum cōtingit cum in actu virtutis ex fine malo bonitas illius ex obiecto conseruetur, vt cum quis ex motiuo vanęgloriæ actum exercet temperantiæ, fortitudinis, &c.

Sed contra, quia nō minus repugnat actum virtutis imperare actum vitij, quam actū vitij actum virtutis; non minus repugnat actum bonum imperare actum malum, quā actum malum imperare bonum: non minus repugnat eleemosynam imperare furtum, quam furtum imperare eleemosynam; ergo. Antecedens ostenditur, quia magis participat actus imperatus de de imperante, quam imperās de imperato, cū plus tribuat imperans imperato, quam imperatus imperāti, ergo si actus bonus imperans malum, efficitur malus, à fortiori actus ex obiecto bonus imperatus à malo, malus efficietur. Vnde falsum esse videtur, vanagloriam posse actum formalem virtutis tēperantiæ, vel fortitudinis &c. imperare, sed materialem solū, cū temperantia à vanagloria imperata, nō sit actus virtutis formaliter, sed materioliter tantum.

Igitur in casu pœnitentiæ, licet possit huius virtutis actus esse simul cum vanagloria cōcomitanter, non tamen potest pœnitentiæ actus elici à pœnitentia, ex motione, ex imperio vanæglotiæ; Et sic quantumuis vanagloria conaretur pœnitētiæ actum imperare, nunquam sibi à pœnitentia obediretur, cum talē actum sic circōstantionatum à pœnitentia elici nequeat, vt ex dictis liquet. Argumenta oppositę partis non refero, quia solum probant posse da-

ri

ri pœnitentiam, vel confessionem cum vanagloria concomitanter, vel obiectiuè modo supra explicato, quod nos cum Diuo Thoma spontè cõcessimus.

QVAESTIO III.

An confessio necessariò integra esse debet, & quo iure.

COnueniunt Catholici omnes confessionem integram esse debere, ita quod omnia mortalia, nõ confessa, post Baptismum susceptum commissa, quæ post sufficiens conscientiæ examen, memoriæ occurrunt, debeant confiteri, vt constat ex cap. *omnis vtriusque sexus*, ex Concilio Florentino in decreto Eugenij. ex Tridentino sess. 14. c. 5. Et ex ratione ipsa. Nam illud est necessario confitendum, quo omisso sacerdotalis absolutio est nulla; sed non facta omnium confessione peccatorum mortalium non confessorum, quæ pœnitentis occurrunt memoriæ, post sufficientem conscientiæ discussionem, sacramentalis absolutio est nulla, cassa, & irrita; ergo omnium peccatorum dictorum confessio necessario facienda est. Maior nota est. Minor ostenditur, nam vnum peccatum remitti non potest, quin cætera dimittãtur; atqui peccata non dimittuntur per hanc interioris fori absolutionem, nisi cognoscantur, & iudici ipsi subijciantur; ergo.

Difficultas ergo pręsens de iure procedit, an nimirum cõfessionis integritas sit humani, an diuini iuris. Quidam Petrus Oxouiensis, quem refert hic Nugnus q. 9. art. 2. dicebat, quod ex Christi Domini institutione, solum sit, peccata in generali, vel in communi confiteri; at vero confiteri peccata in particulari, Ecclesiasticæ sit institutionis. Hunc errorem secutus, fuit postea Erasmus in cap. 19. Actuum Apostolorũ, Lutherus, & alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Moralis confessionis integritas. est de iure diuino*. Hanc conclusionem sequũtur omnes Catholici. Patet ex dictis disput. præcedenti q. 1. & 2. vbi ostẽdimus Ecclesiam non præcepisse cõfessionem quoad eius substantiam, sed solum quoad temporis determinationem.

Probatur etiam ex Tridentino sess. 14. cap. 5. vbi habet *ex institutione sacramenti pænitẽtiæ vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Deo integram peccatorũ confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam esse*. Vbi vt vides omnium peccatorum confessio, per Tridentinum, diuino iure necessaria est, nòn solum necessitate medij, verum etiã pręcepti, propter regulam generalem multoties traditam; quod nimirũ id quod est necessarium necessitate medij, & est in nostra potestate illud exequi, vel est aliquid à nobis exequibile, sit etiam necessarium necessitate præcepti diuini. Igitur confessionis integritas, tum iure diuino, tum humano necessaria est. Aduerte tamen quod in conclusione consulto posuimus illã particulam *moralis confessionis integritas*, vt detur intelligi, quod nec ius diuinum, nec humanum præcipit physicam confessionis integritatem, sed moralem, seu vt alij dicunt formalẽ, nempe illorum peccatorum, quæ post sufficientẽ discussionem memoriæ occurrunt, & quæ modo humano, & commodo confiteri possunt; quia vt supra tetigimus, & infra magis dicetur, quando talis omnium peccatorum confessio haberi non potest, & si haberi potest, non nisi graui sequuto incommodo, tunc non obligat, & dicitur tunc cõfessio integra moraliter, vel formaliter, non matetialiter.

Sed quæres primò, quot peccata mortalia committat ille, qui scientet facit confessionem non integram moraliter, seu quando quis absque sufficienti causa, & hoc scienter, aliquod, vel aliqua non confitetur peccata. Aliqui volunt tria committi peccata, quando talis confessio fieret

ret quando præceptum diuinum, & humanum confessionis habet obligare : vnum nimirum, quatenus diuinum, & humanum transgreditur præceptum confitendi, cum per talem confessionem illis præceptis non satisfiat, vt etiam nos supra docuimus: secundum peccatum, quatenus trãsgreditur vtrunque præceptũ de confessione integra ponẽda, quia hoc præceptum omnino diuersum à primo videtur. Tetium peccatum quatenus nullum facit sacramẽtum, quod est speciale irreligiositatis peccatum, contra reuerentiam sacramentis, & sacratissimis rebus debitam. Alij volũt duo committi peccata, vnum commissionis cõtra præceptum diuinum naturale negatiuum non inualidandi sacramentum confessionis; alterum omissionis cõtra præceptum affirmatiuum diuinum, & humanum (cum enim præcepta hęc ex eodem procedant motiuo, vnam solum ponunt transgressionis malitiam) integræ confessionis ponendæ.

Sed saluo meliori iudicio mihi verius videtur vnum tãtum committi peccatum: & ratio plana est, quia omnia illa, idem habere videntur motiuum, scilicet ponẽdi hoc sacramentum cum illis omnibus circonstantijs, nempe & tali tempore, & cum tali integritate, & religiositate, eidem sacramento debita, si enim præcipitur huius sacramenti exercitium, id est ob huius sacramenti sanctitatem, religiositatem, necessitatem; si eius præcipitur integritas, ob idem motiuum præcipitur; idem prorsus dicendum de eius validitate; nec refert, quod præcepta, diuersa videantur, nimirum affirmatiuum, quoad tempus; negatiuum sed diuinum positiuum quoad integritatem; negatiuum, sed naturale, quoad illius validitatem; nam omnia ista ex eodem motiuo procedere possunt, vt in p.2. docuimus, & casus noster manifestè deuincit.

Quæres secundò, an quando quis aliquod, vel aliqua nõ cõfitetur peccata putans causam ad id faciendum habere sufficientem, & de facto non est,

est, verum conficiat sacramẽtum. Respondetur qood si quis talia omittat peccata putans causam habere sufficientẽ ex ignorantia crassa, vel supina, vel affectata, facit nullũ sacramentum: si vero id faciat ex ignorantia inuincibili validum facit sacramentum, dummodo dolor sit vniuersalis, & ad omnia se extendat peccata; si vero ignorantia sit vincibilis, & dolor sit vniuersalis, & sufficiens ad validum ponendum sacramentum, re vera ponetur, sed informe. Ita Nugnus loco citato concl. 6. Et ratio est, quia eo casu ponuntur ex parte vna, omnia necessaria ad validum ponẽdũm sacramentum, nempe contritio, confessio, & absolutio; ex parte vero alia sacramenti effectus poni non potest, cum nouum peccatũ mortale ponatur, non ponendo confessionem integram, quam ponere tenetur, & aliũde ab huius pręcepti trãsgressione non excusetur, cũ ignorantia sit vincibilis, sed de hac re videantur ea, quæ quæst. 1. huius disputationis docuimus.

QVAESTIO IV.

In quibusnam casibus licitum sit confessionem non facere integram. Vbi an ob hoc complex queant manifestari, & alia necessaria panduntur.

PRimus casus de quo magna est inter Theologos disceptatio est, an superior qui sibi aliqua reseruauit peccata possit illa sola audire, & ab illis solis pœnitentem absoluere, remittendo eundem pœnitentem ad alium confessarium, vt illi alia quæ habet confiteatur peccata, & ab illis absoluatur. De qua re tres sunt sententiæ.

Prima sententia absolutè docet id fieri posse: hanc tenet

net Caietanus, Paludanus & alij apud Nugnum q. 9. art. 2. dub. 1.

Secunda ſententia in alio extremo docet id nullo modo fieri poſſe. Quam ſententiam ſequitur Durandus, Adrianus, & alij apud eundem Nugnum.

Noſtra ſententia media incedens via, ſequenti explicatur concluſione. *Quando ſuperior eſt ita occupatus, quod non poſſit totam pœnitentis audire confeſſionem, & aliunde iudicat conueniens non eſſe, quod peccatum reſeruatum ad inferiorem remittatur, tunc poteſt pœnitentem à reſeruato abſoluere, & illum ad inferiorem remittere pro ceterorum peccatorum confeſſione facienda.* Ita Nugnus, & iuniores communiter & ratio eſt, quia cum confeſſionis integritas ſit de iure diuino, ſine graui, & vrgenti ratione omitti non poteſt; atqui in noſtro caſu grauiſſima vrgat ratio, ergo in noſtro caſu confeſſionis integritas poni non poterit. Maior patet. Minor oſtenditur, nam ex parte ſuperioris eſt grauis occupatio ratione cuius à tota confeſſione audienda excuſatur, & ex alia parte non expedit, vt ſuppono, quod peccatum ab inferiore ſciatur; ſi enim hæc ratio nõ currreet, deberet ſuperior (ſi totam audire non poſſet inferioris confeſſionẽ, & illum abſoluere) tollere reſeruationem, vel abſoluere à cenſura, & illum poſtea remittere ad inferiorem à quo integè confiteatur, & abſoluatur.

Sed quæres 1, an confeſſarius inferior abſoluere poſſit à non reſeruatis, & remittere penitentem ad ſuperiorẽ pro reſeruatorum abſolutione. Conueniunt omnes id non licere, niſi quando pænitẽs eſt in confitendi neceſſitate, vel ratione præcepti, vel ratione communionis, vel ratione infamiæ &c. ob quæ non poteſt tunc tẽporis ſuperiorem adire pro reſeruatorũ abſolutione. Si Pœnitens neceſſitatem habeat confitendi ratione communionis, & nõ habeat copiam confeſſoris potentis abſoluere illum à reſeruato, poterit exiſtimare ſe copiam non habere confeſſoris,

ris, & sic poterit conteri, & communicare: ita Diana post alios multos, quos lunga manu refert de sacram. resol. 104. siue pœnitens habeat necessitatem confitendi ratione peccati reseruati, siue ratione excommunicationis; licet aliqui valint debere eo casu confiteri Sacerdoti inferiori, omnia peccata etiam reseruata, & tunc absoluatur directe à non reseruatis, & indirecte à reseruatis, & remanebit obligatio comparendi postea ad superiorem pro directa peccatorum reseruatorum absolutione. Alij etiam volunt debere tunc temporis pœnitentem, sola non reseruata confiteri, & dolorem vniuersalem elicere, & sic omnia dimittentur peccata, sed remanebit in reseruatis obligatio illa superiori confitendi &c.

Qui omnes dicendi modi probabiles sunt, & practicè possunt obseruari, secundus tamen dicendi modus securior est, & magis suadendus, tum quia contritio perfecta non ita facile ponitur, tum etiam quia ex parte cōfessionis integritas saluatur.

Quod si pœnitens necessitatem habeat confitendi, vel ratione præcepti confessionis, vel ob infamiam vitandam; poterit reticere reseruata quę superiori postea confiteatur, alijs confessis, vel (quod mihi tutius videtur (confiteri omnia, & directè absolui à non reseruatis, & indirectè à reseruatis.

Quæres 2. an in casu quo superior absoluit pęnitentem à solis reseruatis, & pro non reseruatis illum ad confessarium remittit inferiorem, duo fiant sacramenta, an vnum tantum. Nauarrus & alij quos refert Suarez in præsenti disp. 31. sect. 1. dicunt vnū fieri sacramentum. Sed hæc Nauarr. sententia non ita recepta videtur; nam in eo casu dantur distinctæ numero sacramentales peccatorum confessiones, cum eorumdem peccatorum sufficienti dolore, item distinctæ numero iuridicæ absolutiones; ergo duo numero sacramenta. Antecedens clarum est. Consequentia probatur quia nouæ legis sacramenta

nume

numero multiplicantur ad formæ, & materiæ multiplicationem; sed in nostro casu multiplicatur forma, nempe absolutio, & materia nempe confessio; ergo.

Quæres tertio an in casu quo pœnitens à superiore à solis absoluitur reseruatis, teneatur postea inferiori confiteri omnia, non reseruata scilicet, & reseruata, à quibus iam fuit absolutus. Respõdetur negatiuè; & ratio est, quia quoties pœnitens materialiter dimidiat confessionem, vel propter obliuionem, vel propter aliam causam sufficientem non tenetur amplius ea confiteri peccata, quæ iã confessa, & absoluta sunt, quod maiorem habet vim in nostro vsu, cum duo, vt diximus, fiant sacramenta, & in vtroque (nisi aliunde ponatur obex) gratia producatur.

Quæres quarto an in casu quo pœnitens peccata confiteatur reseruata superiori, & ab eo absoluatur, sed absolutio ex aliquo confitentis defectu fit nulla, reseruatio ipsa tollatur, ita quod à quocunque confessario ordinario absolui postmodum possit. Respondetur affirmatiuè, ita Nugnus hic q. 9. art. 2. part. 2. dub. 4. quem postea sequuti sunt plures alij. Et ratio est quia superioris absolutio totum id quod potest debet operari; atqui non operatur peccatorum reseruatorum absolutionem, ergo saltem operari debet reseruationis ablationem. Idem docent in casu quo censuratus nullam facit confessionem, apud cõfessarium potentem à censura absoluere, & ab illa de facto absoluentem, licet aliunde peccatorum non ponatur absolutio, ob obicem à pœnitente positum. Idem similiter dicunt, quando quis cõfessus est Iubilei tempore; per talem namque confessionem, licet peccatorum non receperit absolutionem, recepit talem tamẽ reseruationis ablationem: si enim est probabilis multorum Theologorum sententia, quod ille qui habebat votum reseruatum, per confessionem tempore iubilei factam etiam si aliunde nulla fuerit, acquisiuit ius petendi dispensationem post

iubileum, quam iubilei tempore non petijt; quare etiam probabile non erit, quod per talem confessionem, etiam si aliunde nulla fuerit, reseruatio non tollatur? videatur P. Diana tom. 1. resol. 18 de bulla Cruciata, & tom. 3. tr. 4. miscel. resol. 24. Eadem resolutio procedit in casu quo quis peccati reseruati obliuiscitur, dum apud superiorem confitetur. Nugnus supra.

Secundus casus, de quo minus controuertunt Theologi, in quo non integra fieri potest confessio, est tempore ineundi, prælij, vel neufragij, de quo breuiter dico, quando prælium est ineundum, vel plures patiuntur naufragium, & Sacerdos est vnicus, vel sunt numero pauciores quam pœnitentes, nec prælium, vel naufragium moram patiuntur, pro facienda distincta, singulorum peccatorum confessione, licet tūc, imò oportet confessionem dimidiare; patet hoc vsu fidelium militum, & naufragantium. Militum quidem, quia dum instat prælij tempus singuli duces suos exhortantur milites vt fortiter, genero seque se generāt in prælio pro obtinenda de hoste victoria, & Cappellani coortum eosdem hortātur milites, vt se se Deo ex corde commendent, quod se de peccatis accusent, quod veniam depræcentur, qua accusatione præmissa, breuem illis assignant pœnitentiam, ac statim illis absolutionis impendūt beneficiū. Naufragantium etiam, quia vt communis docet experiētia clamando, & se se accusando absolutionis petunt beneficium, & statim a sacerdote illis impenditur, &c.

Tertius casus quem communiter admittunt Theologi est, quando ex confessione talis, vel talis peccati, vel circunstantiæ graue timetur damnum, vel proprium, vel alienum, corporale, vel spirituale. Præceptum namque diuinum de confessionis integritate non obligat cum tali incommodo. Hinc excusatur ille à confessionis integritate qui timet confessorem certum peccatum fore reuelaturum; Excusatur mulier si sciat

ſciat ex talis peccati confeſſione, ſibi periculum fore ſpiritualis ruinæ, vel etiam ipſi confeſſario. Hinc excuſant ſcrupuloſum à confeſſionis integritate, quia perpetuo angitur de oblitis peccatis. Hinc etiam excuſant pœnitẽtem, peſtis tempore, à confeſſionis integritate, quando eſt periculum infectionis, ſiue ex parte pœnitentis, ſiue ipſius confeſſarij. Imo ſi ſint plures in eodem conbiculo peſte infecti, poſſunt ſimul abſolui accuſando ſeſe de aliquo peccato in communi, & ſecundum aliquos, dicendo omnes eſſe peccatores, ſeu ſe peccaſſe ſicuti ſufficit in naufragio. Excuſatur infirmus qui dicto vno, vel altero peccato, periclitatur. Excuſatur infirmus qui dum ei defertur viaticum depræhenditur multas feciſſe confeſſione inualidas, &, vel grauitas morbi dilationẽ non patitur, vel ſcandali periculum maiorem non patitur moram, tunc enim temporis debet prudens confeſſarius facere quod pœnitens de omnibus doleat peccatis, & de omnibus in genere confiteatur, & tempore opertuniori, ſi erit, faciat illum de omnibus confiteri Ita poſt alios diligens Diana p. 5. trac. 3. reſol. 75.

Quartus caſus eſt impotẽtia phyſica, Deus namque nec homo ad impoſſibile nõ obligant. Hinc (quod etiam ſupra notauimus) excuſant mutum à confeſſionis integritate, & ſi vnum tantum, vel alterum per nutus exponat peccatum; nec tenetur illa ſcibere, vt ſupra meminimus. Hinc ſimiliter excuſatur ignorans idiomatis, ſi non integrè confiteatur, vel ſi non integre intelligatur, nec tenetur vt ſupra dicebamus per interpætem ſua confeſſario peccata exponere. Hinc item excuſatur moribundus, qui vſu linguæ deſtitutus non poteſt niſi magna cum difficultate integre confiteri, ſed de hoc quæſt. ſequenti.

Quintus caſus à confeſſionis integritate excuſans, eſt ne confeſſionis ſigillum violetur; vt ſi confeſſarius peccauit in alicuius confeſſionis auditione, & non poſſit ſuum confiteri peccatum, niſi con-

fessarius veniat in pœnitentis cognitionem, tunc ne frangat sigillum, debet vel peccatum ipsum, vel circonstantiam illā reticere, quandiu alterius cōfessoris copiam non habeat, cui sine talis fractione sigilli, valeat confiteri.

Sextus casus de quo aliqui valde altercantur est, quando pœnitens suum nō potest manifestare peccatum, absque eo quod complicem manifestet, vt si quis peccauit cum matre, vel sorore, & currat tempus confitendi, & non sit Confessarius, qui complicem ignoret, an nimirum tunc teneatur peccatum manifestare, etiā secuta complicis manifestatione, vel possit tunc tale peccatum reticere, quādiu habeat confessarij copiā, qui complicem ignoret. De quo casu tres sunt sententiæ probabiles.

Prima sententia est, quod nullo modo id liceat. Ita Marsilius in 4. dist. 16. q. 12. Viguerius cap. 16. §. 4. num. 17. M. Bannez 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 8. Nauar. cap 7. nu. 3. Valentia disput. 7 q. 11. punct. 1. & alij quos refert, & sequitur Diana de Circonstantijs aggrauant. resol. 49.

Secunda sententia, quam plures sequuntur moderni, est quod possit tunc tēporis pœnitens complicem manifestare, non tamen teneatur.

Nostra sententia est, quod *non solum possit pœnitens peccati complicem manifestare, verum etiam quod teneatur.* Hæc est aperta D. Thomæ sētentia vt postea videbitur, illā defendit Nugnus hic q. 9. art. 2. dub. 3. Lugo hic disput. 16. nu. 394. post alios plures, quos ibi refert.

Sed antequam nostram probamus conclusionem. Nota primò illā procedere quādo pœnitens nō potest commode alteri confessario confiteri, qui complicem ignoret, si enim hoc commode facere potest ad id tenetur, cum vnusquisque teneatur, quantū commode potest, famæ proximi sui prouidere. Nota secūdò conclusionem procedere quando ex talis complicis manifestatione aliud non sequitur damnum nisi in fama, nam si aliud sequæretur damnum graue præter infamiam

miam apud confessorem manifestari non posset, vt patet ex dictis casu 3. His breuiter notatis.

Probatur primo conclusio eleganti D. Thomae testimonio, in 4. dist. 16. quaest. 3. artic. 2. quaestiuncula 5. vbi tale proponit argumentum: *ex circunstantijs recitatis aliquando alicuius personae peccatum innotescit; sed homo in confessione debet se accusare, non alterum infamare; ergo videtur quod non debeamus circũstantias confiteri.* Respondet: *Homo in confessione debet famam alterius custodire quantum potest, sed suam conscientiam magis purgare debet: & ideo si circunstantia, quae ducit in cognitionẽ personae, sit de necessitate cõfessionis secundum regulam datam, tunc debet cõfiteri occultando personam quãtum potest, si autem non sit de necessitate confessionis, debet dimittere, ne peccatum alterius prodat.*

Idem docet D. Bernardus in formula honestae vitae, vbi sic loquitur: *De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcũue sit verum, vel manifestũ, nisi in confessione, & hoc vbi non potes aliter manifestare, peccatum tuum.*

Probatur secundo ratione à priori desumpta ex huius sacramenti institutione; Nam hoc sacramentum institutum est per modum iudicij, in quo poenitens integrè suam debet deferre causam Sacerdoti, à quo tanquam à iudice iudicetur, & sententietur; atqui huic intrinsecũ est, quod omnia peccata manifestẽtur, quacunque sequuta apud Sacerdotem infamia; ergo siue infamia sit respectu poenitẽtis, siue complicis, peccata integrè debent manifestari. Maior nota est ex multoties supra repetitis. Minor ostenditur nam si semel de huius sacramenti ratione est, quod omnia manifestẽtur peccata, quamtumuis grauia, quantumuis secreta, sequitur quod omnia debeant manifestari peccata, quacunque infamia sequuta, ac proinde quod infamia, quae peccato annexa est, nullo modo impediat illius confessionem; implicat enim hominem, ex huius sacramenti institutione obli-

obligari, ad integrè omnia peccata confitenda, & quod non obligetur ad ſubeundam infamiam,quæ ex eorumdem peccatorum confeſſione ſequitur, ſiue talis infamia ſit propria, ſiue ſit complicis,

Probatur tertio. Pœnitens diuino precepto tenetur facere confeſſionem integram, explicando ſuorum peccatorum circonſtantias, ſpeciem mutantes,quando talis explicatio hic, & nunc, eſt ſibi licita; ergo quando complicis perſona peccati ſpeciem mutat, & eſt pænitenti licitum talem perſonam explicare,id facere debet; Sed ratione ſolius infamiæ complicis, licitum eſt pœnitenti ſuum explicare peccatum; ergo. Hæc Minor ſubſumpta de qua ſola eſt difficultas, oſtenditur. Peccatum cognitum extra ſacramentalem confeſſionem, iuſta interueniẽte cauſa, propalari poteſt; ſed pœnitens iuſtiſſimam habet causã propalandi ſui peccati complicẽ; ergo poteſt illum propalare, Maior ab omnibus admittitur. Minor probatur. Nam iuſtiſſima cauſa, eſt confeſſionis integritas diuino præcepta iure; iuſta etiam cauſa eſt maior peccati dolor, maiorque erubeſcientia, imò & maior ſatisfactionis fructus, quatenus confeſſarius peculiarem imponit pœnitenti pœnitentiam, maiori malitię peccati correſpondentem.Iuſtiſſima etiam cauſa manifeſtandi ſuum peccatum tale quale commiſſum fuit, eſt obligationis ceſſatio, ad illud iterum alteri Sacerdoti manifeſtandum cum propria infamia apud illum. Si enim poteſt quis ad proprium, & graue damnum præſertim in fama vitandum, alterius manifeſtare delictum quamtumuis ſecretum, extra tamen confeſſionem cognitum; quare id ipſum fieri non poterit in ſecretiſſimo Pœnitentiæ foro.

Probatur quarto vnuſquiſque maius ius habet propriæ famæ conſeruandæ quam aliorum; ſed ad ſeruandam ſacramenti Pœnitentię integritatem teneor meum confiteri peccatum etiam ſi mea ſequatur infamia; ergo etiam tenebor etiamſi alterius infamia ſequatur. Maior patet, ſi

enim

enim vnusquisque maius ius habet propriæ conseruandæ vitæ, quam alterius, ita maius ius habet propriæ conseruādæ famæ, quam alterius. Minor ab omnibus conceditur, patet ex se, alioqui nulla esset obligatio confitendi illa peccata ex quorum confessione infamia apud cōnfessariū, penitenti sequitur.

Confirmatur hoc, quia cōplex consentiendo peccato, vel committendo peccatum quod sciebat debere à Pœnitente confiteri, & dedit huic infamiæ pœnitentis causam, & censetur proprię cessisse infamiæ, cum sciret pœnitentē habere, integræ confessionis ponendæ, obligationem, & nihilominus peccare voluit.

Probatur quinto, quia nullus tenetur cessare ab opere exercendo ad quod habet ius ob nocumentum aliquod, quod ex tali opere per accidens sequitur, sed infamia, quæ ex cōplicis propalatione, ipsi complici per accidens sequitur; ergo non tenetur pœnitens à tali complicis manifestatione cessare, & cū aliunde obligationē habeat integram ponendi cōfessionē ad id tenebitur, qaamtumuis complicis sequatur infamia. Maior est D. Thomæ 1. 2. q. 73. vnde communiter dicitur quod si ego non possum me ab inuasore tueri, nisi ipsum occidam, ex qua occisione æterna illius sequatur damnatio, possum occidere. Minor probatur, quia Pœnitentię sacramentum non ordinatur ad infamandum aliquem, neque ipsum pœnitentem, sed ad bonum spirituale illius; ergo si aliquando, vel ipsi pœnitenti, vel alteri, aliqua sequatur infamia, id erit per accidens.

Probatur sexto argumento quo vtitur Nugnus loco supra citato; confessionis integritas est de iure diuino; ergo omitti non potest, nisi magna ex causa; atqui complicis infamia apud confessorem est leuis; ergo ob illam confessionis integritas omitti non potest.

Hæc ratio displicet Lugo, & dicit supponere sententiā, falsam, quod non sit peccatum graue, dicere absque rationabili causa, crimen secre-

tum

tum proximi, vni, qui illud secretò seruabit. Tum quia, inquit, si ego scirem confessarium, meum, vel mei complicis peccatum reuelaturum vni, vel alteri excusarer à peccato integrè confitèndo. Imò si scirem meum confessarium id dicturum suo soli confessario sub sigillo confessionis; ergo infamia illa apud confessarium grauissima est, cum me excusaret à confessionis integritate.

Sed non ita facilè falsitatis damnanda est doctissimorum virorum sentẽtia, nimirũ Caietani 2. 2. q. 73. art. 2. Nauar. de restitut. lib. 2. cap. 4. nu. 334. Graffij lib. 2. cap. 137. & aliorum multorum. Quam sententiam probabilẽ vocant etiam illi, qui oppositum sequuntur, Lugo ipso excepto, vt Tannerus nobilis suæ societatis scriptor 2.2. disput. 4. q. 8. dub. 7, nu. 138. Filliucius eiusdem societatis tom 2. tract. 40. cap. 4 nu. 9. & alij quos viderim: nec deest pro modo sufficientissima ratio: nam reualere crimen alterius ocultum, apud vnum vel etiam alterum, qui non sint alijs renelaturi, vel non est infamia, vel si est, leuis valde est; ergo non erit peccatum graue, talem facere reuelationem. Antecedens ostenditur: nam infamia, famę opponitur, cum sit illius denigratio; atqui fama non saluatur per bonum conceptum vel per bonam existimationẽ, quam quis habet, ratione præsertim operis boni secreti, apud vnum solum, vel alterum; ergo neque infamia erit per malum conceptum, apud vnum, vel alterum tantum. Argumentum hoc est adeo clarum vt non sit necesse illud magis expendere. Deinde dato quod tam fama quam infamia apud solum vnum, vel alterum esse posset, certè vtraque leuis esset, nonne leuis extimabitur fama illius, qui apud vnum, vel alterum solum sanctus habetur? censetur ne sanctitate famosus ille, cuius sanctictas soli confessario nota est? Sicuti ergo non censetur sanctitate, vel pietate famosus, qui apud solum confessarium est talis: & dato quod vera, & propria saluetur fama, & infa-

infamia apud solum confessarium, tamen sicut illa leuis reputatur, & ista pariter leuis reputabitur.

Nec illa quæ in sui fauorẽ adducit Lugo illi prosunt, nã quod ille qui sciret suum cõfessarium suum crimen reuelaturum, non teneatur illud confiteri, non est præcisè ratione infamiæ, quæ leuis est, nec est tante ponderationis, quod ob illam precisè deberet diuinum, non obseruare, præceptum, sed ob alia plura damna, quæ per se sequęrentur ex sacrosancti sigilli confessionis fractione; de quo infra.

Sed obijciunt primò, quia ius naturale, iuri positiuo prępondera; sed ius conseruandæ famæ proximi, est ius naturale, & ius ponendi integrã confessionem est ius positiuũ; ergo illud præponderat huic, ac proinde hoc obseruandum nõ erit in præiudicium illius.

Respondetur quod ius naturale præponderat positiuo quandiu in suæ obligationis vigore perseuerat, secus quãdo non perseuerat, vt de facto in nostro casu non perseuerat. Explicatur solutio, nam est naturæ iuris præceptum de propria vita conseruanda, & tamen hoc naturę ius in multis circonstantijs cessat. Cessat hoc ius ob maius bonum proprium, quo modo sancti viri carnem macerant disciplinis, ieiunijs, vigilijs, &c. licet pręuideant inde futurum, quod eorum vita abbreuiabitur. Non tenetur quis vxorem non ducere etiamsi medicorum iudicio, cito, nisi hoc faciat, sit moriturus. Non tenetur inuasus, inuasorem occidere, vt propriam conseruet vitam, sed potest permittere ab inuasore occidi, vt omnes tradunt. Ita pariformiter, non tenetur quis, naturale obseruare præceptum, de alterius fama, in istis circonstantijs ponẽdi integram confessionem: imò, vt dixi, tale præceptum, tunc temporis non obligat, sed omnis eius cessat, in istis circonstantijs, obligatio, ac proinde ipsũ diuinum obligabit præceptũ, de confessionis integritate.

Obijciunt secundò, quia si posset pœnitens, vel deberet sui peccati complicem mani-

festare ad diuino satisfaciendum præcepto, integritatis confessionis;sequeretur quod id ipsum facere posset Confessarius, quando aliter peccatum, quod in huius sacramenti ministratione commisit, manifestare non potest; atqui hoc nõ admittitur; ergo neque illud.

Respondetur negando sequelam, ratio discriminis est, quia in casu nostro sufficiens reuelationis ratio reperitur; non sic in casu Confessoris, qua nullus fingi potest casus, in quo licitum sit sigillũ frangere cõfessionis, vt infra Deo dante dicetur.

Sed antequã ex dictis aliquæ inferãtur illationes, placet aliqua vtriusque Thomæ verba referre, quæ valde deseruient ad maiorem dictorũ, & dicendorum intelligentiã D. ergo Thomas 2.2.q.75. art.2.in corpore sic fatur: *contingit quandoque quod aliquis dicit aliq ua verba per qua diminuitur fama alicuius non hoc intendens, sed aliquid aliud, hoc autem non est detrahere per se, & formaliter loquendo, sed materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba per qua fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum, vel necessariũ, debitis circonstantijs obseruatis non est peccatum, nec potest dici detractio.* Ex quibus verbis, non solum manet confirmata nostra cũclusio, verum etiam ratio ex Nugno deducta; & infirmari etiam videtur Cardinalis de Lugo doctrina, cũ velit Angelicus non esse detractionem, non diffamationem, crimen ocultum alterius manifestare, propter aliquod bonum, vel necessitatem, quæ in nostro casu reperiuntur, est enim bonum, & necessitas integram facere confessionem.

Sed audiamus etiam alterius Thomę, nempe Caietani, doctrinam supra eundem articulum: *Nota* (inquit) *detractionem materialiter scilicet nõ animo detrahendi, non esse regulariter mortale peccatum: per accidens tamen posse esse mortale si notabiliter lædat famam proximi. Sed aduerte quod non læditur fama proximi saltem notabiliter, ex hoc quod narratur secreto crimen eius tali persona, apud quam perinde erit,*

erit, ac si non esset dictum, vt contingit in colloquijs inter virum, & vxorem de criminibus filiorum, & confessionibus eorum, qui cōfitentes peccata propria dicunt imprudenter Confessori personam, cum qua grauissimè peccauerunt, & similibus. Ex his autem non læditur fama proximi, vel parum læditur, quia propterea non impeditur à bonis iustè consequendis, & vnius notitia infamiam nonnisi secundum quid remotè constituit si in illo sistitur, & verum licet occultum dictum est, &c. Vbi vt vides vult Caietanus non solum non peccare mortaliter quando prudēter complicis persona manifestatur, quando nimirum id necesserium est ad proprij peccati manifestationem, verum etiam quando imprudēter manifestatur, quando nimirum id non est necessariū ad peccatum manifestādum, & hoc non ob aliam rationē, nisi quia manifestare vni alterius crimen ocultum, non est, saltem grauis, famæ læsio &c.

Ex dictis infertur primò obligationem manifestandi proprium crimen, tale quale fuit, vt integrâ ponatur confessio, quandò pœnitens non potest suum explicare peccatum, nisi alia manifestetur persona currere etiam quando illa persona non fuit peccati complex, fuit tamen peccandi occasio v.g. filius sciens matrē esse ex concubitu grauidam, illā occidit, & insimul prolem quam vētre gestabat, debet vt integrè confiteatur maternitatis gradum manifestare, & simul explicare illius grauidantiam, licet Confessarius inde cognoscat illā fuisse adulteram.

Infertur secundò eandem obligationem currere, vt declarentur in confessione naturales proximi defectus, quādo peccatum mortale aliter manifestari non potest. Est enim minor huius ratio, quā sit manifestandi criminis, vt ex se patet.

Infertur tertiò nostrā conclusionem de peccato veniali non procedere, ita quod pœnitens qui suū veniale in confessione explicare non potest, sine complicis manifestatione, debere illud reticere; nam obligatio manifestandi per-

ſonam complicis fundatur in iure diuino integrè confitendi; atqui hæc obligatio de ſolis procedit mortalibus; ergo. Idem dicendum puto de peccatis mortalibus, alias confeſſis apud alium Confeſſarium; licet enim ſint materia ſufficiens confeſſionis, non tamen ſunt materia neceſſaria illius.

Infertur quarto non eſſe peccatum mortale manifeſtare in confeſſione complicis perſonam, quãdo id neceſſarium non eſt ad peccati manifeſtationem, & explicationem, patet ex verbis D. Thomæ, & Caietani relatis, D. Thomæ quidem, quia tunc tẽporis non eſt propria criminis diffamatio: Caietani etiã quia ſicut non eſt peccatum mortale reuelare alterius crimen ſecreto ei qui non eſt reuelaturus, à fartiori id nõ erit in cõfeſſione, in quã ſigilli vinculum eſt ſtrictiſſimum, & ſacratiſſimum. Idem procedit de propalatione alterius cuiuſcunque, præſertim ſi fiat ad animi conſolationem, ad petendum conſilium &c. quibus caſibus nec veniale erit, maxima tamen prupẽtia opus eſt &c.

D V B I V M

Incidens, an poſſit aliquando Confeſſarius obligare Pœnitentem ad manifeſtandum ſibi, peccati complicem.

ANtequam ad punctum accedam difficultatis, ſuppono primò ea in quibus omnes de hac re ſcribentes conueniunt. Cõueniunt ergo primò non poſſe Confeſſariũ obligare pœnitentem ad cõplicis manifeſtationem, quando id non eſt neceſſarium, ad peccatum, quod pœnitens confitetur, integrè manifeſtãdum, non ſolum cum facultate vtendi tali ſcientia, verũ etiam ſine illa: ratio primi eſt,

est, quia cum pœnitentiæ sacramentum sit sacrum quoddam arcanum non debet ad alios vsus assumi, quam ad proprium, qui est in ordine ad peccatorum notitiam habendam. Tum quia si forte detur casus in quo sit necesse Confessarium habere illius notitiam extra sacramentum, poterit sibi dari ab eodem pęnitente extra ipsum sacramentum, seruando reuerentiam erga sacrum arcanum; certè retraherentur pœnitentes ab vsu huius sacramenti, si scirent posse cogi à Confessarijs ad complices manifestandos, quando non est hoc necessarium ad explicandum peccatum. Ratio secundi est, quia talis notitia præcisè sacramentalis, ad nihil prorsus deseruit, & aliunde tedio afficiuntur pœnitẽtes, & valde contristantur, dum vrgentur à Confessarijs ad complices, imò aliquando ad non complices manifestandos. Vnde reprehendi debẽt tales Confessarij, qui id faciunt; nec video quonam modo à mortali excusari possint; præbent nãque mali occasionem, vel vt pœnitentes nõ confiteantur, vel vt peccata reticeant, vel saltem vt valde crucientur &c.

Conueniunt secundò licere pœnitenti siue extra, siue intra cũfessionem dare Confessario licentiam, vt possit vti Confessionis scientia, quãdo id rationabiliter iudicatur expediens, pro bono, & pœnitentis, & complicis. Ratio est, quia confessionis arcanũ potissimè in bonum pœnitentis est ordinatum, & in fauorem illius; ergo sicuti potest pœnitens talem facere reuelationem extra confessionem, vt ad petendum consilium, vel remedium, etiam poterit id ipsum facere intra confessionem &c. Imò magis expediens est talem complicis reuelationem facere in confessione, quam extra, quia magis complicis famæ consulitur, cum Confessarius ad illius secretum vi sigilli confessionis teneatur. Ex quo infertur posse mulierem manifestare adulterum Confessario, vt sibi caueat, quia mariuts, qui de eo suspicatur, vult illum occidere. Similiter potest

teſt mulier adulterum Confeſſario reuelare, vt ipſum moneat, ne amplius ad domum illius vadat, quia iam de peccatis pœnituit, & Deũ amplius offendere non vult. His ſuppoſitis ad difficultatẽ propoſitam accedo.

Circa ergo propoſitam difficultatem ſunt duæ ſententię extremæ. Prima eſt, quod poſſit Confeſſarius in multis caſibus pœnitentem obligare ad complicis manifeſtationem, & ſi pœnitens nolit talem facere manifeſtationẽ, poſſit Confeſſarius illi abſolutionis beneficium denegare. Hanc ſententiam primò induxit Ferdinandus Guerrerus Grananatenſis Archiepiſcopus. Vnde volebat, poſſe Confeſſarium obligare pœnitentem ad reuelandum cõplicem dogmatizantem. Volebat obligari poſſe pœnitentem manifeſtare Confeſſariũ abutentem ſacramento pœnitentiæ ad ſollicitandum. Volebat obligari ad manifeſtandum Sacerdotem fictum, ſeu non ordinatum, publicè ſacramenta miniſtrantem. Similiter obligari poſſe volebat pœnitentem ad manifeſtandum Medicum, vel Pharmacopolam, qui mortiferas præbent medicinas. Item obligari fœminam ad manifeſtandum mariti amicum à quo ſollicitatur, quando eſt conſenſus periculum, & aliũde eſt ſpes emendationis, & talem reuelationem marito facere nequit, quia occidet amicum, &c. In his, & ſimilibus caſibus volebat Guerrerus poſſe Confeſſarium obligare pœnitentem ad complicem, vel etiam non complicem manifeſtandum, vt poſſet illum corrigere, & peccata illa impedire. Hanc ſententiam ſequuti ſunt poſtea Suarez hic diſput. 34. ſect. 4. Fagundez ſecundo Eccleſiæ præcepto cap. 2. nu. 11. & alij recentiores.

Noſtra ſententia ſequenti explicatur concluſione. *Confeſſarius nullo modo poteſt imponere Pœnitenti obligationem manifeſtandi complicem, vel alium quemcumque ad ipſum corrigendum.* Hanc ſententiam acriter defendit M. Bãnez. 2 2. quæſt. 33. in fine, & alij.

Pro-

Probatur primò, omne medium debet esse suo fini proportionatum; sed sacramentalis confessio non est mediũ proportionatum ad corrigendum complicem; ergo non potest ad illud deseruire, ac proinde Pœnitens obligari non poterit ad talem reuelationem faciendam, in ordine ad talem finem improportionatum. Hæc vltima illatio patet; in tantum enim aliquis obligari potest ad aliquod medium ponendum, in quãtum tale medium est proportionatum ad finem prætensũ, ergo si semel complicis manifestatio non est medium proportionatum ad complicis correptionem ponendam ad id obligari Pœnitens non poterit. Minor ergo in qua est difficultas probatur; nam Præcepta sacramentorum nõ sunt media proportionata, in ordine ad obseruantiam pręceptorum naturalium, vt est correptionis præceptum; ergo manifestatio complicis in Pœnitentiæ sacramento facta non est medium proportionatum ad complicis correptionem. Antecedens probatur; nam si semel Præcepta sacramentorum essent media proportionata ad obseruantiam pręceptorum naturalium debuisset Deus sacramenta instituere in ipso Mundi exordio, & præsertim hoc Pœnitentiæ sacramentum, cum tũc temporis huius medij necessitas inceperit, quod nemo dicit.

Respondet Suarez, hoc argumentum esse parui momẽti, cum certum sit rem superioris ordinis, ordinari posse ad rẽ ordinis inferioris; Deus namque vnionem ordinauit hypostaticam ad gratiam nostræ sanctificationis, gratiam ipsam ad naturæ bonum, & legis naturalis obseruantiam: similiter licitum est ordinare confessionem ad finẽ extrinsecum honestum, vt si quis propria confiteatur peccata vt corporis obtineat sanitatẽ, similiter potest vir sanctus alicui Sacerdoti confiteri, vt suo exemplo eum ad Pœnitentiam, aut ad vitæ moueat puritatem, ergo etiam licitum erit ordinare confessionem ad complicis, vel alterius correptionem.

Sed

Sed hæc ſolutio vim Banneſię rationis nõ infringit; nã eius eſt medium ad finem ordinare, cuius eſt ipſa medij bonitas, ſeu in cuius bonum, & diſpoſitionem ipſum medium eſt ordinatum; atqui ſacramentalis confeſſio, eſt medium ordinatum in bonum Pœnitentis, non confeſſoris. ergo ab ipſo Pœnitente poterit in alterum extrinſecum finem ſibi bonum ordinari, non à confeſſario. Certe cum Pœnitentiæ ſacramentum ſit ordinatum in bonum Pœnitentis, ab ipſo Pœnitente ordinari poterit ad omnes illos fines recenſitos à Suarez, non vero ab ipſo confeſſore; vnde licet Deus ordinauerit hypoſtaticam vnionem ad gratiam ſanctificantem nobis concedendam, hoc tamen non poſſum facere ego, ſed debeo me ipſum, meam gratiam, & omnia mea ad Chriſtum ordinare, & Chriſtum ad Deum iuxta illud Apoſtoli: *omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Et licet Deus gratiam ſanctificantem in bonum ordinauerit naturæ, non tamen hoc ego facere debeo, ſed naturam gratiæ ſubijcere debeo, nec poſſum facere gratiam naturæ pedi ſequã. Similiter licet Pœnitens poſſit ordinare Pœnitentiæ ſacramẽtum ad alium finem extrinſecum bonum, non tamen hoc facere poteſt confeſſarius: & hæc omnia, & alia huius generis cetera, non ob aliam rationem, niſi quia ordinare media, non eſt cuiuſcunque, ſed cuius sũt media, ſeu in cuius vtilitatem ſunt ordinata. Cum ergo confeſſio ſit medium in Pœnitentis vtilitatẽ ordinatum, ſub Pœnitentis eiuſdem erit diſpoſitione, non confeſſarij, cum in illius vtilitatem non ſit ordinata.

Confirmatur hæc ratio, & explicatur, ex ipſius Sacramenti Pœnitentiæ natura; nã hoc ſacramentum eſt inſtitutum per modum iudicij ſecreti, in quo Pœnitens eſt accuſatur ſui, & teſtis; & Sacerdos ſententiam proferre tenetur iuxta allegata ab eodẽ Pœnitente, nec habet Sacerdos ius deducendi extra hunc forum, quæ in hoc foro deponuntur, vel ad hoc forum

rum deducuntur, sine Pœnitentis libero consensu; ergo non habet ius obligandi Pœnitentem ad reuelandum cōplicem, quando non est necessarium ad peccati explicationem, sed solum vt ipsum corripiat. Antecedens patet ex huius sacramenti natura, Consequentia probatur, nam si semel confessarius Pœnitētem posset obligare ad cōplicem manifestandum, ob solum correptionis finem, iā haberet ius cōfessarius deducendi extra Pœnitentiæ forum, quæ in ipso secretò deponuntur, & si semel tale ius deducendi non habet, nec habet ius cogendi Pœnitentem ad talem ponendam cōplicis manifestationem. Adde confessarium ex huius sacramenti natura non habere ius interrogandi Pœnitentē, nisi de ijs, de quibus est culpatus, ex sui accusatione, & depositione; ergo non habet ius interrogādi de tertia persona culpata, alioqui Sacerdotale officium in hoc sacramento non respiceret solum bonum Pœnitentis, sed etiā externum rei publicæ bonum & pacem, ad quam pre alijs fraterna concurrit correptio.

Probatur secundo. Quoniam huius sacramenti minister hec debet, nec potest illud magis onerosum, & intollerabile reddere, sed potius quantum in ipso est, debet illud facilitare; sed hoc non præstaret si posset pœnitentem ad complicem manifestandum obligare; ergo id non potest: Maior nota est. Minor ostenditur; nam valde onerosum est pœnitenti, imò & intollerabile quod cogatur ad manifestādum complicem, qui potest esse illius amicissimus, cui fortè iurauit nunquam illum manifestaturum; cuius honorem magis curat, quam proprium; qui potest esse ipsius Confessarij mater, vel soror, vel persona in dignitate constituta &c.

Vnde optimè aduertit M. Bannez debere omnino Confessarium ab ista correptione abstinere, sed solum obligare pœnitentes ad illam per se ipsos faciendam, vel per aliā personam magis idoneam; Penes namque ipsum pœni-

tentem est correptionis obligatio, imò si ipse pœnitens rogaret Confessarium vt talem faceret correptionem, deberet per se loquendo id recusare, ne faciat hoc sacramentum odiosum, cum possint illi suspicari ad id coegisse pœnitentem, huius sacramenti occasione. Et si res ad tales redigeretur angustias, quod nullus alius posset talem facere correptionem, nisi ipse Confessarius, non posset tunc obligare pœnitentem, qua Confessarius ad talem concedendam licentiam, sed solum posset illius obligationem declarare, quam si exequi nollet, tanquam indispositum reicere posset, & non aliter. Argumenta partis oppositæ non refero, quia ex dictis soluta manent, & ad summum probant teneri pœnitentem ad talem ponendam correptionem, vel per se, vel per alium magis idoneum, qui possit proficere, non officere.



DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA

De integritate Confessionis pro casu necessitatis.

PLura diximus de cõfessionis integritate disp. præcedenti à quæst. 3. vsque ad finem, sed quia restant difficultates pro casu necessitatis, presertim in mortis articulo, ideo præsentem excitamus disputationẽ; antequam tamen ad particulares descẽdamus quæstiones aduerte ex communi Theologorum sensu, quod confessionis integritas poni non potest ex defectu pœnitentis, vel Confessarij, vt si Confessarius totam audire nõ possit confessionem, vel ob periculum, vt tempore pestis, vel ob instantem mortem, vt tempore naufragij, vel grauis eiusdẽ Confessarij infirmitatis, vel alias ob causas, & ratio clara est, quia formalis confessionis integritas solũ requirit, quod ea confiteantur peccata, quæ hic & nunc dici possunt, cæteris omissis; vnde sicut non est contra confessionis integritatem ex naturali obliuione aliqua omittere peccata, vel ob damnum graue, quod ex eorum confessione timetur; sic non erit contra eiusdem confessionis integritatẽ, quod ob impotentiam confitendi, illa omittantur, siue hęc impotentia ex parte pœnitẽtis oriatur, siue ex parte Confessarij. Sed huius occasione ponam hic vnum de quo paucis ab hinc diebus interrogatus fui; an nimirum tunc tẽporis sufficiat dicere vnum peccatum veniale, an vero debeat dici mortale quod habetur, & si habeat ille plura mortalia debeat grauius confiteri, ex suppositione, quod

vnum solum possit confiteri. Quoad mortalia puto nõ esse necesse, quod grauius dicatur; quoad venialia vero puto non sufficere, sed deberi materia necessaria confiteri, quando confessio secretò fieret; secus si coram alijs, vt in naufragio, &c. Sed vt ad particulares descendamus difficultates, sit.

QVAESTIO I.

An possit absolui infirmus, v.g. qui solum dicit peccaui.

COnueniunt Theologi, absolui posse moribundum, qui aliquod peccatum confitetur, tum in specie, siue infima, vt fornicatus sum; siue subalterna, vt peccaui contra castitatem; tum in genere, vt si dicat peccaui mortaliter; si enim id est sufficiens extra omne periculum, vt cum quis scit se peccasse mortaliter, & non recordatur cuius speciei fuerit, tunc tenetur in genere confiteri, ita id ipsum sufficiēs erit in mortis periculo, quando pœnitens nil aliud dicit nisi peccaui mortaliter. Similiter si est probabilis sententia, quod ille, qui nonnisi venialia habet, potest etiam extra periculum, sic confiteri, *peccaui venialiter*, licet consultum sit semper aliquod veniale saltem in specie subalterna subijcere, à fortiori valde probabile, & tutum erit in mortis periculo illum absoluere, qui solum in genere dixit, peccaui mortaliter. Difficultas ergo solum est, quando pœnitens solum generalissimè dicit: peccaui.

Prima sententia est, quod eo casu moribundus absolui non possit, habet hæc sententia plures patronos, quos cōgerit Lugo hic disp. 17. nu. 7. post P. Dianam in tractat. de absolut. moribund. resolut. 1. Quorum fundamenta postea referemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti expli-

explicatur conclusione. *Potiſt, & debet abſolui moribundus, qui ſolũ dixit peccaui, vel ſum peccator*. Hanc ſententiam ſatis apertè docet D. Thomas in 4. diſt. 21. art. 1. & 2. D. Antoninus, Ricardus, Medina, & alij innumeri quos refert Diana loco citato. Videatur Nugnus hic q. 9. art. 2, dub. 2.

Probatur primo. Poteſt ſtare confeſſionis valor, etiamſi aliqua relinquantur peccata, vt ex dictis liquet, & concedunt omnes; ergo etiam ſtare poterit eiuſdem confeſſionis valor etiamſi peccata ſolũ in ea confiteantur generalitate. Antecedens conſtat. Conſequẽtia probatur, quia non minus ſufficiẽs datur materia cõfeſſionis in caſu cõſequentis, quam antecedentis; ergo ſi vera ſoluatur confeſſio in caſu Antecedentis, etiam in caſu conſequentis ſaluabitur. Antecedens probatur, nam magis ſe extendit ratio peccati vt ſic, ad omnia peccata, quam ratio particularis peccati confeſſi, ad ea quæ non confitentur; nam vera ſpecies non complectitur ſub ſe aliã ſpeciem, benè autem genus, ſpecies: quod doloris exemplo demonſtro, nam dolor generalis ad omnia peccata ſe extendit, non ſic dolor particularis de aliquo peccato, ſecundum propriam illius talitatem, vel deformitatem.

Probatur ſecundò, quia qui peccauit peccato aliquo, & non recordatur; nec ſpeciei, nec generis, nec grauitatis, vel leuitatis illius, an ſit mortale, an veniale, tunc debet hoc ipſum confiteri, & tamen tunc nonniſi rationem peccati, vt ſic præſcindentem à mortali, & veniali determinatè confitetur, & tamen in omnium ſententia verum facit ſacramentum; ergo id ipſum fieri debet in noſtro caſu. Soluuntur argumenta in oppoſitum.

Primum argumentum eſt, quia confeſſio ſacramentalis debet eſſe actus ſingularis, de quo Sacerdos vt iudex iudicare poſſit, & ſententiã proferre; ſed quando quis ſolum dicit *peccaui*, actum ſingularẽ non ponit, de quo Sacerdos iudicare poſſit, & ſententiam proferre; ergo ille actus nequit eſſe ſufficieus ad veram confeſſionem ponẽdam. Maior

ior clara videtur, cum enim absolutio sit quędam sententia, seu quoddam iudicium, à prudētia regulari debet, prudentia autem, vt docent morales Philosophi, est singularium, est enim habitus dirigens intellectum practicum in ordine ad aperabilia &c. Minor etiam constat, nam dicere *peccaui* nō est materiam singularem exponere, sed cōmunem, non est particularem facere confessionem, sed generalem, qualem facit Sacerdos in Missa, & qualem faciunt in completorio, & prima &c.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; licet enim ly *peccaui* secundum se sit indifferens ad confessionem generalem, & particularem, tamen prout in talibus profertur circunstātijs, est confessio particularis, & determinata, licet imperfecta, & imperfectam, sed sufficientem pro eo casu præbēs notitiam Confessario ad iudicium, & sententiam ferendā; Vnde licet talis confessio, extra talem casum, sufficiens non esset ad hoc vt Sacerdos sententiam ferret, in tali tamen necessitatis casu sufficiēs est; est enim generale in omnibus, quod in casu necessitatis minus requiratur, quam extra illum.

Secundum argumentum. Non potest dari vera confessio, nisi aliquid directè remittatur, sed dum quis solum dicit *peccaui* nihil directè remittitur, ergo tunc vera dari non potest cōfessio. Maior conceditur ab omnibus, cum enim hoc sacramentum sit quoddā secretum iudicium, in quo sacerdotalis absolutio, est quædam sententia absolutoria, & hæc debeat supra aliquam materiam directè cadere, sequitur, quod si semel nihil directè remittatur, vera poni non possit confessio. Minor ostenditur; nam id quod in confessione directè remittitur, non amplius debet Ecclesiæ clauibus subijci; atqui omnia peccata debent postea Ecclesiæ clauibus subijci, si ille superuiuat; ergo nihil directè remittitur.

Confirmatur, & explicatur hoc, nam non potest remitti directè aliqua ratio communis,

nis, nec particularis; ergo nulla; non ratio aliqua particularis peccati v.g. furti, quia hæc non confitetur, & quia si semel hæc remitteretur nulla restaret obligatio confitendi postea tale furtum. Non ratio communis, nam hæc, vel est aggregatum confusum ex omnibus inferioribus, & hoc non, quia si hoc semel verum esset, omnia peccata, saltem confusè remitterentur; vel illa ratio communis est ratio, vel gradus metaphysicus, & neque hoc, quia peccato mortali, & veniali nihil datur commune vniuocum, vt omnes fatentur, & nos in p. 2. docuimus, ergo.

Respondetur concedendo Maiorem; & negando Minorem. Ad probationem dico verum esse, quod id quod directè remittitur Ecclesiæ clauibus amplius subijci non debeat, & sic cum in eo necessitatis casu, peccata solum remittantur, vel secundum illam rationem methaphysicā, siue vniuocam, siue analogā, vel secundum rationes proprias etiam specificas, & indiuiduales, secundum quod in illo *peccaui* confusè omnia cōtineantur, & cōfitentur, quod probabilius videtur, sequitur quod secundum has rationes confusas amplius confiteri non debeant, nisi in simili necessitatis casu; sed solum secundum proprias rationes distinctas, quæ directè clauibus subiectæ non fuerunt: Obligatio namq; non est cōfitendi peccata secundum rationes generales, sed secundum rationes speciales, numericam, & specificam, & quamdiu hæ rationes non cōfitentur, tamdiu manet obligatio illas confitendi, confessis namque rationibus specificis, & indiuidualibus, rationes superiores confitentur, non è contra, & remissis directè rationibus specificis, & numericis rationes superiores remittuntur, non è contra. Exemplum habemus quando quis habet peccata reseruata, & non reseruata, & confitetur apud Confessorem inferiorem potentem absoluere à non reseruatis; tunc enim temporis omnia dimittuntur, non reseruata directè, reseruata indirectè, non quod re

re vera etiam reseruata non remittantur; certum namque est omnia remitti secundum omnes rationes, alioqui gratiam non reciperet ille, & posset vnũ mortale sine alio dimitti, quod est falsum, sed quia cum sit obligatio ex Christi Domini institutione, quod omnia peccata Ecclesiæ clauibus subijciantur, & talis Sacerdos inferior habeat Ecclesię claues quoad peccata non reseruata, & illas non habeat quoad reseruata, remanet postea obligatio cõparendi ad superiorem, qui claues habeat quoad reseruata.

Sed quæres primò, an Sacerdos eo casu non solum possit, verum etiam teneatur talem sic confitentem absoluere? Respondetur affirmatiuè: est communis Theologorum sententia, vt videre est apud Dianam supra resol. 9. & ratio est, quia cum hæc sẽtentia sit adeo probabilis, & tuta, & ex altera parte adeo fauorabilis, in tali periculo constitutis, tenetur ex Charitate Sacerdos illis subuenire, cum contingere possit, quod eo casu contritio perfecta non habeatur, sed sola attritio, quæ accedente sacramento, perfectam ponet iustificationem.

Quæres secundò, an eo casu possit Sacerdos absolutionem absolutè proferre, an verò debeat illam conditionatè. Communis Theologorũ sententia est, quod conditionatè. Si tamen aliquis talem non apponeret conditionem, vel quia non fuit recordatus, vel quia putat adeo esse probabilem sententiam dictam, quod ob id necesse non sit cõditionem opponere; illum excusarem, præsertim cum sẽper tacita reperiatur conditio de ponendo sacramento, quãdo necessaria adsunt; Ob idque non improbabiliter dicũt aliqui, in nullo casu necessarium esse, conditionem opponere; cum semper tacita, & sufficiens reperiatur, etiam si non apponatur, cum vnusquisque religiosam semper censeatur habere intentionẽ, faciendi, quod magis in reuerentiam, & dignitatem redundat sacramenti.

Quæres tertiò, an possit absolui

solui Sacetdos, vel alius in virtute confessionis generalis quam fecit in Missa, vel in Choro. Respondeo negatiue, & ratio est, quia confessionis generalis recitatio, non est sacramentalis, vt docet D. Thomas in 4. dist. 21. q. 2. art. 1. & 2. sed est quædam oratio nomine Ecclesiæ facta, quæ licet ex eiusdem Ecclesiæ institutione sit sacramentale, & venialia remittat, non tamen est sacramentalis, ac proinde non est sufficiens ad verum ponendum Pœnitentiæ sacramentum. Sacramẽtalis namque confessio per ordinem ad claues esse debet: si tamen ratione circunstantiarum colligi posset esse sacramentalem, & fieri per ordinem ad Ecclesiæ claues, vt si quis videns mortis periculũ imminere, confessionem recitaret generalem, tunc posset esse sufficiens.

Quæres quartò an doctrina à nobis tradita valeat etiã quando moribundus nullum peccatum dixit, neque in cõmuni, sed solum exhibet aliqua doloris, & contritionis signa.

Docent omnes quod quãdo doloris signa exhibentur in ordine ad cõfessionem, vel ad claues Ecclesiæ tunc sufficientia sunt adhoc vt sacerdos absolutionis impendat beneficium, vt si sacerdos dicat moribundo, doles de peccatis? & ipse tundat pectus annuat oculis, stringat manum &c. Et iste est communis confessariorum vsus cum istis moribundis; & ratio est, quia vt optimè aduertit Nugnus supra, eadem pectoris tunsio ad duo deseruit, scilicet ad reddẽdũ dolorem sensibilem, & pro confessione signãda, non enim implicat quod pro eo necessitatis casu idem actus exterior, & sit peccatorum confessio, & doloris manifestatio, imò puto per se primò esse confessionem, cum hæc in rectò, in Pœnitentiæ sacramento importetur, & secũdariò doloris manifestationem. Difficultas ergo procedit quando illa doloris signa non cognoscuntur vt peccatorum confessio, vt cum moribundus in confessoris præsentia tundit pectus, vel etiã dicit *Miserere mei Deus*,

Ad quod dico, quod si constaret talia doloris signa causari ex dolore, ex angustia, ex mærore, vel morbi, vel mortis nullo modo absolutio dari posset, si vero illud non constaret, vt in plurimum nõ constat, dari posset absolutio tacita sub conditione, ratio patet ex dictis, quia licet illud doloris signum, internum manifestet dolorem, est tamen pro eo casu sufficiens etiam peccatorũ manifestatio. Addit Diana, & benè loco citato resol. 3. absolutionem dari debere sub conditione quando dubitaretur, an illa signa procederent, ex morbi, vel mortis mærore, vel ex dolore peccatorum, & ex animo obtinendæ absolutionis.

QVAESTIO II.

An absolui possit moribundus, qui nec confessionem petijt, nec aliquod doloris signum dedit. Vbi alia curiosa, & necessaria resoluuntur.

CVm pœnitentiæ sacramentum, in pœnitentium fauorem sit institutum, & tanquam medicina, qua pœnitentes à peccatorũ morbis liberantur, sequitur, quod quando duæ currunt sententiæ probabiles, vna in pœnitentiæ fauorem, & alia in fauorem pœnitentium, hæc sequi debet, alia relicta, secus quando altera vel paruã, vel nullam habet probabilitatem, si ergo semel probabimus verum saluari posse sacramentum in casu in quæstionis titulo posito, patenter sequetur, talem absolutionẽ, & dari posse, & debere.

Pro quo nota primò non procedere difficultatẽ in casu quo homo nequam, subito sẽsibus destituitur, de isto enim nec dolor nec signũ aliquod præsumi potest, per quod saltem imperfectè sua dicatur mani-

manifestare delicta; sed procedere difficultatem de viro probo, qui Christiano more viuere solebat, qui bonus, ac fidelis homo extimetur.

Nota secundò; quod cum pœnitentiæ sacramentum sit signum sensibile, debet de necessitate, eius materia proxima, nempe confessio, esse sensibilis; vnde in nullo necessitatis casu, potest hoc sacramentum ministrari, nisi sit aliqualis præsumptio, sacramentalis confessionis alioqui euidenti exponeretur periculo nullitatis. Nota tertiò quod in eo necessitatis casu non est necesse, quod illa imperfecta sacramentalis confessio, confessario innotescat, sed sufficit quod rationabiliter, eam præsumere possit; ob id in calce præcedentis quæstionis ex Diana aduertimus, posse Cōfessarium, moribundum absoluere, quando dubitat an signa quæ exhibentur, fuerint exhibita ex morbi, vel mortis mœrore, vel ex peccatorum dolore, & ex desiderio obtinendæ absolutionis. His prænotatis de præsenti difficultate duæ sunt sententiæ.

Prima sententia est, quod nullo modo liceat talem moribundum absoluere, qui subitò sensibus destitutus, nec confessionem petijt, nec doloris signa exhibuit. Hanc sētentiam post alios sequitur Lugo disput. 17. nu. 39.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Vir bonus, & probus, qui nec confessionem petijt, nec aliquod manifestum signum doloris exhibuit, sub conditione absolui potest.* Hanc conclusionem docuit D. Antoninus vir tum doctrina, tum sanctitate insignis, ex Ordine Prædicatorum ad Archiepiscopatum Florentinum assumptus, cuius verba referuntur in Sacerdotali Romano antiquo in tractat. de de sacram. pœnitētiæ cap. 26. & sunt sequentia: *Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel vsum rationis, si benè viuebat, vt bonus fidelis, & frequentabat confessionem, & communionem, quamuis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt: vel etiam si malus, & obstinatus diu perseuerans in peccatis est, & diu nō confessus, si petijt Sacerdotem,*

vt confiteretur, & ostendit se velle facere omnia, quæ debet, & interea factus est mutus, vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem, ab omni sententia, & peccato. Deinde debet dari ei Eucharistia à proprio Sacerdote sæculari, quamuis non sit confessus, quia non potuit. Hæc D. Antoninus.

Nec valet dicere cum Lugo vbi supra nu. 36. D. Antoninum non loqui de absolutione sacramẽtali, sed de absolutione illa generali, quæ extra sacramentum dari potest. Quia ad dandam absolutionem non sacramentalẽ, non requiritur, quod homo præsupponatur contritus; vt vult supponi in dicto casu Diuus Antoninus. Tum quia in virtute absolutionis generalis non sacramẽtalis, & deprecatoriȩ, nõ debet, nec potest quis communicari, vt vult D. Antoninus, & constat ex verbis relatis.

Hanc sententiam sequutus fuit Clemens VIII. non quidem, quia absoluit ex D. Petri Fabrica ruentem, vt plures volunt; quod negat Lugo nu. 34. de quo non disputo, cum sit res facti, sed quia vt admittit auctor ille, interrogatus Pontifex de tali, vel simili casu dixit se eum absoluturũ si adesset.

Hanc sententiam sequutus fuit Gregorius XV. dum esset Archiepiscopus Bononiensis in memoriali Confessorũ c. 1. de forma sacram. Pœnitentiȩ nu. 16. eandem sentẽtiam sequitur Hemobonus in exam. part. 1. tract. 7. cap. 18. q. 48. Molfes. sum. tom. 1. trac. 7. c. 5. num. 48. & 49. post alios plures, quos ibi refert. Idem docet Antonius de litter. in sum. ædita hic Romæ anno 1611. p. 1. cap. 33. num. 7. Et est iam fere communis recẽtiorum sententia, & licet ego aliàs, oppositæ fuerim sententiæ, re tamen maturius considerata, & cum viris doctis discussa, & ob facti contingẽtiam, hanc sequor, & præcor lectorem eandem sequi, si casus occurrat, cum & sit hæc sententia probabilis propter principia extrinseca, vt testatur

tur Diana de absolutione moribundi resolut. 8. & propter efficacissimas rationes quas subijcio.

Probatur primò conclusio; Ad hoc vt Confessarius in eo necessitatis casu moribundo, absolutionis impendat beneficium sub conditione non est necesse; quod sibi constet de illa sensibili, & imperfecta cõfessione, quae tunc temporis est sufficiens, sed sufficit quod rationabiliter, seu prudenter de ea praesumere possit; sed in casu in quo vir probus subitò ab infirmitate oppressus, confessionem non petijt, nec manifestum signum dedit, tatalem imperfectam cõfessionem praesumere potest; ergo tunc rationabiliter illum sub conditione absoluere poterit. Maior patet ex tertio notabili; & ex ipsa experientia, nam quando Confessarius certam non habet absolutionis materiam, absolutionis beneficium sub conditione impendit, vt quando dubitat, an ille qui confitetur vsum habeat rationis, vt in pueris, vel quando dubitat, an illa materia exposita, sit peccatum, nec ne; & in alijs casibus sexcentis. Minor probatur. Primò, quia videmus Ecclesiam praesumere in talibus sufficientem voluntatem ad hoc vt illis Eucharistiae, & extremae vnctionis sacramentum ministretur, vt omnes docent, & etiam nos docuimus de sacramentis in genere disput. 8 q. 1. ergo etiã praesumi potest, quod signum aliquod exhibeant sufficientis doloris, & confessionis. Vnde in facti cõtingentia fui correptus à quodam, qui cum subito à morbo correptus, nec cõfessionem petijsset, nec mihi manifesta signa dedisset, non eum absolui; qui postea ad se melius reuersus, dixit, se exhibuisse doloris signa; & quod debebam illum absoluere, & quod bene debebam, ita de illo praesumere, & quod si tunc fuisset mortuus de sua desperabat salute: à quo die proposui mutare sententiam. Secundò, quia in talibus angustijs nõ adeo ratio absumitur, licet absumantur sensus, quin possit aliquẽ motum sensibilem doloris, & confessionis expressiuum causare, licet non dignoscatur; ergo

ergo ſicuti inomnium ſententia poſſum moribundum abſo uere quãdo pectus pugno tolndit, quando Sacerdotis manum ſtringit, quando ſuſpirium emittit, quando imaginem reſpicit, quando palpebras mouet &c. quãdo iſta à Sacerdote dignoſcuntur; quare etiam abſolui non poterit, quando hæc, & ſimilia præſtat moribundus, licet nõ dignoſcantur, dummodo præſumi poſſint; vt poſſunt facile præſumi de viro bono, probo, & qui Chriſtiano more vixit.

Vnde peſtis tempore, anno ſcilicet 29. dum eſſem Papiæ, hanc ſententiam ad praxim deducebant Confeſſarij, cum enim in multis, peſtis illa, ſtatim phreneſim cauſaret, vel maximum capitis doloré, ita quod, multi dare nequirent doloris ſignum manifeſtum, abſoluebantur; quia facile talis dolor præſumebatur, imò confeſſarios rogabant, vt ſi forte morbo illo inficerentur, illos abſoluerét, quia ſperabant ſe poſſe aliquod doloris ſignum exhibere, etiam ſi forte non cognoſceretur; quod & ego meo confeſſario dixi, & illum de hoc obnixè rogaui, harum tamen ignarus ſententiarum, cum iuuenis eſſem.

Probatur ſecundò deſtruẽdo potiſſimum partis oppoſitæ fundamentum; nam ideo negant oppoſitores non poſſe in noſtro caſu moribundus abſolui, quia cum abſolutio ex Tridentino Concilio ſeſſ. 14. cap. 9. ſit actus iudicialis exerceri non poteſt, vbi nulla accuſatio reperitur, atqui hoc eſt falſum in noſtro caſu, non enim dicimus abſolutionem impendi poſſe ſine aliqua accuſatione ſaltem imperfecta, ſed eo caſu poſſe, & debere impendi quando de illa rationabiliter præſumitur; neque dicimus hoc ſacramẽtum ſine materia, ſeu confeſſione aliqua ſenſibili ſubſiſtere poſſe, hoc enim (vt optimè ad vertit Petrus Fay, hic. q. 9. art. 2. diſput. 2.) indiſcretè, & ingnoranter dicitur, & ſine vllo prorſus fundamento, ſed dicimus talem confeſſionem omnino requiri, & ſine illa ſacramentum nullum eſſe dicimus, ſed quod dicimus

mus est, quod tunc dari potest absolutio, quando sufficiens confessio datur, licet à cõfessario nõ dignoscatur, sed præsumitur. Imò hoc ex ipsa huius sacramenti ratione deducitur, nam ad verum iudicium ponendum, præsertim necessitatis tempore, non requiritur adeo exprçsè causæ cognitio, non exigitur adeo expressa delicti probatio, non requiritur adeo expræssa rei accusatio, sed sufficit quod hæc omnia suo modo adsint, scilicet summariè, & non seruatis iuris apicibus: ita in nostro Pœnitentiæ iudicio, licet extra necessitatem clarã, & distinctam requirat accusationem, in casu tamen necessitatis, summaria sufficit, & non ita expressa, nec est necesse quod iudici constet expresè, sed sufficit quod præsumatur, prout in viro bono, & probo præsumitur; si enim talis probitas facit præsumptionem voluntatis recipiendi Eucharistiam, & Extremam vnctionem, vti dicebamus, quare non poterit etiam facere præsumptionem doloris sufficientis pro tali articulo, cum præsumatur tunc temporis maximè suæ memor salutis.

Sed dices cum Lugo vbi supra num. 41 Quod si hæc præsumptio valeret de viro probo, valeret etiam de improbo, quia etiã de isto præsumitur, quod tunc temporis suæ sit memor solutis, & quod tunc habeat attritionem, ex tali salutis æternæ memoria, aliquo externo signo expressa, quæ sit sufficiens confessio pro tali necessitatis tempore.

Sed hæc solutio est contra suum auctorem de sacram. in genere disput. 9. nu. 125. vbi vult quod generalis intentio suscipiendi Eucharistiam, & Extremam vnctionem in homine sensibus destituto, currat, & præsumatur de illo qui Christiano vixit more, non de homine nequam, quomodo namque de homine malo, qui nunquam suæ fuit memor salutis, præsumi potest, quod eo tempore sit memor? certè rationabiliter præsumere possum de homine probo, qui antea suæ erat salutis solicitus, quod magis sit tempore illo

illo necessitatis, at vero de homine nequam, qui antea non erat suæ memor salutis, rationabiliter; & prudenter talem facere non possum præsumptionem pro eo necessitatis tempore, cum vnusquisque præsumatur in eo statu continuare in quo diu vixit; & licet cōtingere possit, quod aliquis nequam & necessitatis tempore sit suæ memor salutis, cum tamen hic casus sit rarus, non dat rationabilem præsumptionem Confessario, de necessariò requisitis ad pœnitentiæ sacramentum ponēdum, ac proinde rationabili nullitatis periculo sacramentum exponit.

Probatur tertiò. Sacramētum Baptismi in casu necessitatis conferri potest in materia dubia; ergo etiam sacramentum pœnitentiæ. Consequentia tenet ex paritate rationis, ita enim est necessarius Baptismus non Baptizatis, sicuti sacramentum pœnitētiæ post Baptismum relapsis. Antecedens ostenditur; nam in casu necessitatis, ne quis sine Baptismo moriatur, deficiente aqua naturali, aqua rosacea adhiberi potest, vel ex succis expressa, sub conditione, vt post Puteanum, Præpositum, Tannerum, & Chamerotam, docet Diana *de casibus occurrentibus tempore mortis* resol. 2. vbi refert idem tenere Lugo. Similiter in eodem necessitatis casu, potest quis Baptizare sub conditione cū glacie, niue, pruina, rore, &c. Similiter in qualibet corporis parte, potest quis eo necessitatis tempore Baptizari.

Confirmatur, quia si quis dubitet, an adultus Baptismum petierit, sub conditione, illum administrare potest. Itē si quis dubitet an Baptizandus sit viuus, vel mortuus, Baptizari debet ex cap. *de quibus*, de Baptismo, ratione nāque dubij licitè fiunt, quæ alias non fierent, vt notat gloss. dicto cap. *de quibus*; dubietas namque conditione apposita vincitur: Sed in nostro casu minus currit quam dubium; ergo à forsiori absolutio dari poterit conditione adhibita. Maior patet. Minor ostenditur, nam in nostro casu rationabilis intercedit præsumptio, quæ dubito minor est, cū

ad

ad probabilitatem accedat; ergo: Rationabilius namque operatur, qui cum præsumptione veritatis, quam qui cũ eiusdem veritatis dubitatione, operatur.

Probatur quartò ex doctrina, quam admittit Lugo vbi supra nu.40. Nimirum si in repentina hostium aggressione, milites confitendi spatium non habeant, & dicant ex corde, se desiderare confessionem, & ex tunc sacramentalem petant absolutionem, si postea in mortis cadãt periculum, possunt in virtute illius voluntatis à Confessario absolui, etiamsi sine sensu morientes inueniantur, quia iam pro temporis angustia petierunt confessionem, & ostenderunt confitẽdi desiderium. Peto namque à Lugo, an illi milites, qui ante hostium congressum confessionem petierunt, vel absolutionem, an quando sensibus destituti inueniuntur saltem imperfectam habeant confessionem, signo aliquo sensibili manifestatam, etiamsi à Confessario non cognoscatur, vel non habent, & solum absoluuntur in virtute illius desiderij confitendi? Non hoc secundum, quia desiderium confitendi, non est confessio, neque imperfecta: aliud namque est desiderare confiteri, vel absolutionem sacramentalem in mortis articulo habere, & aliud est habere confessionem, vel imperfectam; hucusque nullus dixit desiderium confessionis, vel habendi absolutionem esse pœnitentiæ sacramenti materiã essentialem; dicunt quidem aliqui desiderium contritionis esse attritionem, eo quod putent stare non posse aliquẽ efficaciter desiderare conteri de proprijs peccatis, & in hoc efficaci desiderio non inuolui aliquem, saltem imperfectum de peccatis dolorem. Quod si primùm velit, nimirũ quod tunc temporis milites illi sine sensibus reperti habeant aliquam saltem imperfectam confessionem, eo quod non est adhuc totaliter absorptus rationis vsus, vel antequam absorberetur aliquis motus externus fuit imperatus, qui adhuc virtualiter perseueret, quique sit & confessio, & do-

loris manifeſtatio, tunc dicit quod nos diximus, & noſtrã confirmat concluſionem.

Dices in fauorem Cardinalis de Lugo, quod milites illi ideo tunc abſoluuntur, quia ob illud deſideriũ, quod oſtenderunt, Sacerdos moralem habet certitudinem de cæteris requiſitis ad ſacramẽtum ponendum. Nam contra eſt, quia non minorẽ habere poteſt certitudinem de requiſitis ad ſacramentum ponendum, Sacerdos, de viro bono, & probo, quam de militibus, hi enim ſemel tale oſtenderunt deſiderium, vir autem probus in omni vita ſua. Milites tale oſtenderunt deſiderium, ſed mortis metu: vir vero probus ſine illo. Sicuti ergo vt ſupra dicebamus, vitæ probitas ſufficienter declarat Sacerdoti voluntatem recipiendi in eo vitæ extremo ſacramẽtum Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis, quare eadem vitæ probitas non erit eidem Sacerdoti euidens teſtimonium voluntatis recipiendi ſacramentum pœnitentiæ in eo neceſſitatis caſu? Partis oppoſitæ argumenta non refero, quia non militant contra noſtram concluſionẽ, ſed ſolum probant non poſſe eſſe veram confeſſionem, niſi exterius aliquo ſigno ſenſibili manifeſtetur, quod nos libenter concedimus.

Sed quæres primò, an qui Confeſſario abſente confeſſionem petijt, vel pœnitentiæ ſigna dedit, poſſit ab eodem Confeſſario ſuperueniẽte abſolui.

Prima ſententia eſt, quod non, eo quod videatur eſſe contra Clem. VIII. decretum de non facienda confeſſione abſenti.

Secunda ſententia verior eſt, quod abſolui poſſit, & debeat. Hãc docuit D. Thomas opuſ. 65. de extrema vnctione in fine. S. Antoninus 3. p. tit. 10. cap 2. Ioannes de la Cruz, & alij plures, quos affert, & ſequitur Lugo hic diſput. 17. nu. 44. Eandem ſententiam ſequitur N. P. Thomas à Ieſu in tribunali conſcient. cap. 11. §. 10. Monteſinus, & alij plures, quos longa manu refert, & ſequitur P. Diana de abſolut. moribundi reſol. 4.

Pro-

Probatur primò ex Concilio Arausicano 1. cap. 12. vbi sic determinatur: *Subito obmutescens, prout statutum est, pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* Hic locus refertur, & approbatur in iure, nimirem in cap. *qui recedunt* 26. quæst. 6. Idē docetur in Concilio Carthaginensi 3. & citatur in cap. *ægrotantes*, de consecrat. dist. 4. Idem docuit D. Leo Papa Epist. 89. & stabilitur in Rituali Rom. edito anno 1615. iussu Paull V. *in ritibus de sacram. Pœnit.* vbi dicitur: *Si inter confitēdum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægri deficiat; nutibus, & signis conetur* (scilicet Sacerdos) *quoad eius fieri potest peccata pœnitentis cognoscere, quibus vtcunque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.*

Probatur secundò, quia si ob aliquam rationem, talis confessio fieri non posset maximè quia fieret absenti, contra Celm. VIII. decretū; sed hæc ratio est nulla; ergo fieri potest. Maior est oppositæ sēntentiæ fundamentum. Minor probatur, quia vt apertè colligitur ex dictis à nobis in hac quæst. illa imperfecta confessio sufficiens, & necessaria pro tali necessitatis casu non est dictum testimonij, testificantis talem moribundum confessionem petijsse, vel doloris signa dedisse, sed est aliquod sensibile bgnum ipsius Pœnitentis virtualiter perseuerantis, quod præsumitur in viro probo, & probatur etiā in improbo per testimonij dictum. Vnde patet parum referre, quod testis testificetur in præsentia pœnitentis, vt aliqui volunt, vt sic saluent confessionem non fieri absenti, vel in absentia; cum morientis confessio non sit illa, quam facit testis veluti internuncius, sed quam fecit ipse, dum confessionem petijt, vel doloris signa dedit, & adhuc in aliquo sui effectu virtualiter perseuerat. Ob id Clem. VIII. testificatus postea fuit, hunc casum non compræhendi in suo decre-

to, quam testificationem ex Armacano refert Lugo supra.

Quæres secundò quid faciendum, quando quis si cõfiteatur mederi non potest, & si medetur, vel moueatur, periclitatur. Respondetur tũc posse Confessarium audire vnum solum peccatum, & absoluere, & dare locum vt mederi possit, quod si postea superuiuat cæterum audiat confessionis, eo namque casu est sufficiens ratio non ponendi integram confessionẽ.

Quęres tertiò quid faciendum quando moribundus nõ potest manere solus, vt est mulier parturiẽs, quæ in partu periclitatur, & sola manere non potest &c. Aliqui volunt debere adstantes claudere aures, ne moribundi audiant confessionem; sed non placet. Primò quia forte id facere nõ poterunt. Secundò quia est valde difficile quod mulierum curiositas detineatur, quin aliqua audiantur. Vnde puto posse tunc confiteri vnum peccatum leue, ceteris retentis &c.

Vnum pro huius quæstionis coronide aduerto, quod id quod diximus de absolutione à peccatis, à fortiori procedunt de absolutione à censuris: vnde pro mortis articulo, vt quis censuratus absoluatur nõ est necesse, quod doloris signa ostẽdat, sed sufficit nõ constare de voluntate sordescendi in illis. Plus addit Diana p.9.trac.7.resol.13. etiam laicum posse pro mortis articulo ex benigna Ecclesiæ dispensatione à censuris absoluere, de quo suo loco Deo dante dicemus.



DISPV-

DISPVTATIO OCTAVA

De peccatis, quæ sunt confessionis materia: Vbi de eorundem peccatorum circonstantijs.

PRobauimus supra disput. 6. quæst. 3. de fide esse, confessionem per se loquendo, debere esse integram, non solum formaliter, verum etiam materialiter; & quæst. 4. retulimus casus in quibus licitum est aliquando non facere confessionem integram materialiter; & disput. præcedēti id ipsum docuimus quoad mortis articulum. Est ergo certum omnia peccata mortalia post Baptismū commissa esse confessionis materia necessaria, vt statuit Tridētinum sess. 14. can. 7. & habetur cap. *omnis vtriusque sexus*, & ratio ipsa suadet, nam si Deus non potest vnum mortale dimittere sine alijs, quia remissio fit per gratiam Dei, quæ talem non patitur diuisionem, ita nec Sacerdos, qui vice Dei fungitur talem ponere poterit diuisionem. Tum quia contritio, vt supra docuimus, non potest esse diminuta, sed omnium debet esse peccatorum; ergo etiam confessio, alioqui fidelis non erit. Tamen, quia adhuc restant aliquæ difficultates in particulari examinādæ circa peccatorum confessionem, & circonstantias eorundem, ideo præsentem excitamus dispositionē, sit ergo.

QVAE-

QVAESTIO I.

An peccatum quod fit in ipso instanti Baptismi, sit Pœnitentiæ sacramenti materia.

DE peccato, quod in ipso instanti, in quo sacramentum Baptismi perficitur quæstio procedit, cum certũ sit, peccata, quæ ante illud instans committuntur, non esse pœnitentiæ sacramenti materiam, cum huius sacramenti materia sint peccata hominis Baptizati, vt docet Tridentinum sess. 14. cap. 2. & alibi. Certum etiam est, quod peccata, quæ vel ante, vel in ipso Baptismo, etiam in illo instanti, quo perficitur committuntur esse pœnitentię sacramenti materia, si cõtinuẽtur post illud instans, licet enim qua parte ante Baptismũ committuntur ad pœnitentiã non pertineant, qua tamen parte post Baptismum continuantur, sacramenti pęnitentiæ fiunt materia, cum eo casu sint peccata hominis Baptizati; vnde ob hanc rationẽ D. Thomas infra referendus docet peccatum fictionis in Baptismate per Baptismum non tolli, sed per subsequentem pœnitentiam. De solis ergo illis peccatis præsens procedit difficultas, quæ simul cum Baptismo perficiuntur.

Prima sententia est, quod illa peccata sint Pœnitentiæ Sacramenti materia; vnde si adultus dum Baptizatur, furandi, vel fornicandi haberet intentionem, deberet postea illa peccata Ecclesiæ clauibus subijcere. Hanc sentẽtiam sequitur Lugo disput. 16. nu. 23. pro qua nullum refert auctorem.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Peccata, quæ simul cum Baptismo perficiuntur, licet sacramenti effectum nempe gratiam impediant, cum tamen eiusdem Baptismi valorem non tollant, non sunt sacramenti Pœnitentiæ materia, sed per ipsum Baptismum tolluntur, quando dispo-*

dispositio ponetur ad eius reuiuiscentiam. Hanc sententiam sequuntur communiter Thomistiæ, vt idem Lugo testatur, vbi supra nu. 10. vbi nominatim refert Syluestrum,& Ioannem de la cruz.

Probatur primò eleganti Tridentini testimonio sess. 14. cap. 2. vbi dicitur: *constat certè Baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsum per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi (inquit Apostolus) de ijs qui foris sunt, iudicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lauacro Baptismi, sui corporis membra semel effecit. Nā hos si se postea crimine aliquo contaminauerit, non iam repetito Baptismo ablui cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit &c.* Vbi duo ponderanda veniunt primum est Ecclesiam nullā habere iurisdictionem in illos qui nondum Baptismi lauacro sunt regenerati; patet autem, quod peccata, quæ fiũt in eo instanti, in quo Baptismus perficitur, non sunt peccata hominis regenerati, cum tunc temporis regeneretur, sed solum, quæ post illud instans fiunt; in eo namque instanti non est homo regeneratus, sed regeneratur, non est tunc Ecclesiæ subditus, sed fit subditus: secundum est Concilium aduertenter dixisse: *Quod si se postea crimine aliquo contaminauerint*; vt daret intelligi, quod ea solum peccata per Ecclesiæ claues remitti possunt, quæ postea, hoc est; post Baptismi receptionem, commissa sunt, non autem ea, quæ in ipso Baptismo committuntur.

Respondet Lugo num. 31. quod dum Concilium dicit; *Ecclesiam in neminem exercere iudicium, qui non prius in ipsā per Baptismi ianuam fuerit ingressus*: non velle quod Ecclesia non possit iudicare de peccato, quod antequam fieret, homo non erat in Ecclesiam ingressus, sed solum dicit, quod homo debet esse in Ecclesiam ingressus, priusquam exerceatur iudicium in ipsum. Deinde dicit quod illud *postea* non restringitur ad tempus

tempus subsequens, sed prout includit ipsum tempus in quo Baptismus perficitur, vel dato quod illud *postea* ad tẽpus subsequens restringeretur, deberet intelligi de solis dignè Baptizatis, qui in ipso Baptismo non peccant, non de illis qui in ipso peccant Baptismo.

Hæc omnia videntur effugia. Et primum quidem: quia si rectè, & attentè legatur Concilium, non solum vult Ecclesiam non ferre iudiciũ, nisi in hominem prius Baptizatum, sed etiam vult, materiam, de qua Ecclesiæ iudicium ferri potest, debere esse hominis Baptizati; rediculũ namque esset dicere, Sacerdotem posse exercere iudiciũ in hominem, dum actu Baptizatur, & actu peccat, dum baptizatur; similiter ridiculũ esset dicere posse hominum Baptizari, & simul confiteri peccatum, quod tunc temporis, seu in illo instanti cõmittit, dum Baptizatur. Nec duæ glossæ, quæ ad illud *postea* adhibentur, valent; non quidem prima; quia illud *postea* refertur, ad illud: *Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*: ita quod, nisi quis prius in Ecclesiam ingrediatur non potest iurisdictionis Ecclesiæ esse, sed tunc erit, quando postea erit Baptizatus, & ea sola peccata ad iudicium pertinere Ecclesiæ, & quę post ipsum Baptismum committuntur, quod magis patet ex modo loquendi eiusdem Concilij cap. 5. vbi dicit; *integram peccatorum confessionem, omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere*. & can. 1. dicit. *Pœnitentiam esse sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, à Christo Domino institutum*. Per quæ patet falsitas secundæ glossæ illius auctoris, nam non loquitur Concilium de solis dignè Baptizatis, sed de omnibus fidelibus, vt ex mox citatis verbis liquet.

Probatur secundò D. Thomæ manifesto testimonio q. 69. art. 10. ad 2. vbi habet: *Fictio non remouetur per Baptismum, sed per Pœnitẽtiam subsequentem, qua remota Baptismus*

mus aufert, & culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum; & etiã simul existentium cum Baptismo. Nihil clarius contra Lugum. Sed audiat lector quid ille respondeat, nu. 39. vbi cum D. Thomæ verba retulisset sic dicit: vbi per peccata quæ existunt simul cum Baptismo non oportet intelligere ea, quæ fiunt ipso vltimo instanti Baptismi, sed quæ fiunt tempore illo, quo profertur forma, vel effunditur aqua ante vltimum instans quæ omnia tolluntur postea virtute Baptismi, recedente fictione, & ablato obice: sed hæc glossa nõ videtur cohęrere cum verbis D. Thomæ, nã peccata non dicuuntur existere cum Baptismo, quando ad huc Baptismus non est; atqui Baptismus non est, ante illud instans; ergo. Maior clara est. Minor ostenditur, nam Baptismus si esset ante illud instans, quo perficitur, suum causaret effectum ante illud instans, & sic, si quis moriatur dum Baptizatur, & ante illud instans gratiam reciperet regeneratiuam, & saluaretur, quod nemo dicit.

Probatur tertiò ratione: illa peccata non sunt sacramẽti Pœnitentię materia, quę possunt per ipsum Baptismi sacramentum deleri; sed illa peccata quæ in eo instanti committũtur, quo Baptismus perficitur, per ipsum Baptismum remitti possũnt; ergo nõ sunt sacramenti pœnitentiæ materia. Maior nota est, cum enim vt Concilia, & PP. loquuntur, pœnitentia sit secũda, post naufragium tabula, ea erunt eiusdem pœnitentiæ materia, quæ per primã, post naufragium tabulam, remitti non possunt. Minor ostẽditur, nam si Baptismus remittere non posset ea peccata, quæ ipsi coexistunt, non videtur, qua ratione posset reuiuiscere, cum informe accipitur, cũ enim non solum informe accipiatur cum fictio ponitur, nimirum cum ponitur tale peccatum, quod post ipsum perseuerat, sed etiam cum in ipsa Baptismi receptione peccatur, qui enim peccat mortaliter dum baptizatur Baptismi effectum habet impedire: respectu ergo horũ

Oo pec-

peccatorum, quæ Baptiſmo coexiſtunt, Baptiſmus non reuiuiſceret; quod ſic diſcurrendo oſtendo; nam vt omnes docent Theologi, & ipſe Lugo, ad hoc vt ſacramentũ Baptiſmi reuiuiſcat, quoad ablationem eorum peccatorum, quæ poſt ipſam Baptiſmi ſuſceptionem facta fuerunt, ſufficit, quod illa diſpoſitio ponatur, quæ ſufficiens erat, vt Baptiſmus ſuum produceret effectum, nempe ſufficit attritio; atqui hæc non ſufficeret, ſi ſemel illa peccata eſſent pœnitentiæ materia; ergo. Minor probatur; nam peccata, quæ ſunt pœnitentiæ materia non remittuntur per ſe, niſi per contritionem & votum pœnitentiæ, vel per attritionem ſimul cum ipſo pœnitentiæ ſacramento, ergo ſi ſemel illa peccata, quæ Baptiſmo coexiſtunt, ſunt pœnitentiæ ſacramenti materia, Baptiſmus quoad iſta reuiuiſcere non poterit, per ſolam illam diſpoſitionem, qua primò viuus fuiſſet Baptiſmus. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum eſt; Peccatum quod in inſtanti, quo Baptiſmus completur committitur, eſt peccatũ hominis Chriſtiani, & Chriſti charactere inſigniti, atque adeo Eccleſiæ ſubditi; ergo pertinet ad iudices Eccleſiæ, ac ſubinde erit pœnitentiæ ſacramenti materia. Antecedens non probat Lugo, quod tamen probare debebat.

Reſpondetur negãdo Antecedens, cum enim homo in illo inſtanti fiat Chriſtianus, Characterem recipiat, ſubditus fiat Eccleſiæ, peccatum quod eo inſtanti fit, non eſt peccatum hominis Chriſtiani, ſed eſt peccatum hominis, qui tunc fit Chriſtianus, non eſt peccatũ Chriſti charactere inſigniti, ſed eius qui tunc Chriſti Charactere inſignitur, &c.

Secundum argumentum; Eccleſia poſſet hominem excommunicare, pro peccato quod in inſtanti, quo Baptiſmus perficitur, committitur; ergo ſignum eſt tale peccatũ eſſe Eccleſiæ iuriſdictionis. Cõſequẽtia nota eſt, quia Eccleſia non poteſt niſi ſubditũ excommunicare; ergo ſi ſemel

mel posset quis excommunicari pro peccato tunc temporis commisso, signum est tale peccatū esse sub iudicio Ecclesiæ. Antecedens probat, quia homo in illo instāti quo Baptismus perficitur est subditus Ecclesiæ; ergo potest excommunicari. Antecedens probat duplici exemplo, religiosi, & coniugis; nam religiosus in eo instanti, quo religionis vota emittit, potest cōtra illa vota peccare, vt si in illo instanti quo profitetur habeat animum non obediēdi &c. similiter coniux in eodem instanti, quo matrimonium contrahit, potest peccare contra ius alterius coniugis, & tale peccatum malitiā habebit adulterij.

Respondetur negādo Antecedens. Ad probationem, negatur similiter Antecedēs, vt enim vidimus non est tunc homo Ecclesiæ subditus, sed tunc fit. Ad duo exempla, quæ pro Antecedentis probatione adducūtur, dico nullum esse verum, nam nec religiosus peccaret contra vota pro eo instāti, quo vota emittit, cum peccatum contra votum, supponat illud. Nec coniux ius lædit alterius coniugis, pro eo instanti, quo ius non supponitur in altero coniuge, sed datur.

QVAESTIO II.

An peccata alias confessa, sint materia confessionis. Vbi aliæ difficultates practicabiles resoluuntur.

CErtum est peccata alias confessa, siue mortalia, siue venialia sint, esse materiam non necessariam, sed sufficientem sacramenti pœnitentiæ; difficultas solū esse potest, an ad hoc vt peccata alias ritè confessa, secundò, & tertiò confiteantur, taliter confiteri debeant, quod cō-

fessarius cognoscat illa peccata iam fuisse alias dimissa.

Prima sententia est Turriani in Opus. Theolog. censur. 4. dub. 7. quod necesse sit peccata ita confiteri, quod cōfessarius percipiat illa peccata non esse noua, sed alias ritè dimissa, vnde ob hoc dicit non esse probabilem illorum sententiam, qui dicunt, quod ille qui generalem facit confessionem, non teneatur explicare an tale peccatū fecerit post vltimam confessionem,

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Potest Pœnitens, per se loquendo, non explicare, an peccata, quæ cōfitetur fuerint alias ritè confessa*. Vnde qui generalem facit confessionem non tenetur per se loquendo certiorem reddere confessarium, an peccata, quæ confitetur, fuerint commissa post vltimam confessionem; dixi per se loquēdo, quia per accidens ad id tenebitur, vt ratione mutationis peccati quoad nouæ circunstantiæ super additionem, vt si religiosus generalem faciat totius vitæ confessionem, si carnis peccata confiteatur, tempus quo talia commisit peccata explicare debet, ob voti circonstantiam. Similiter ratione reseruationis, vt si peccatum est cōmissum modo, quo est reseruatum, vel ante; quod habet verū, quando confessio fit apud confessarium non potentem à reseruatis absoluere, secus quando confessio fieret apud habentem potestatem supra reseruata. Hanc sententiam sic explicatam tenent communiter Theologi, quos affert, & sequitur Diana to. 2. tract. 4. resol. 62. & tom. 3. de cōscientia dub. resol. 65. eandē sequitur Lugo hic disput. 16. nu. 43.

Probatur conclusio; nam circonstantia temporis non est per se loquendo in confessione deponenda; sed quod peccata sint commissa ante, vel post vltimam confessionē est temporis circonstantia; ergo non est necessariò deponenda, Maior est certa, cum enim tempus sit quid extrinsecum rei, & non pertineat intrinsecè ad rationem specificam, vel numericam rei, nō ha-

habet pertinere ad rationem specificam, vel numericam peccati, quæ sunt rationes necessariò confitendæ. Minor etiam clara videtur, nā quod peccatum sit confessum, vel non confessum, sit remissum, vel non remissum, sit ante, vel post vltimum confessionem, non facit peccatum esse alterius speciei, vel numeri.

Sed obijcies primò, peccatum non esse confessum, necessariam continet circonstantiam, vt confiteatur, non vero peccatum confessum; ergo qui confitetur peccatum non confessum, debet illam circonstantiam explicare. Antecedens patet; nam peccatum confessum, non est materia necessaria confessionis, peccatum vero non confessū est materia necessaria. Consequentia etiam nota est nam omnes peccatorum circūstātiæ necessariæ in confessione sunt deponendæ.

Respondetur distinguendo Antecedens peccatum non confessum continet circonstātiam necessariam vt confiteatur, taliter quod hæc circonstantia se teneat ex parte peccati, & negatur, taliter, quod se teneat ex parte Pœnitentis, & conceditur; habet nāque Pœnitens obligationem confitendi peccata grauia nō confessa, non tamen ratio nō confessionis, est peccati circonstantia, vt ex dictis liquet.

Obijcies secundò peccatū non esse confessum est circōstantia necessario confitenda adhoc vt confessarius cognoscat, quam Pœnitentiam imponere debeat; nam pro peccatis alias ritè confessis, minorem imponit pœnitentiam, pro non confessis maiorem.

Respondetur non teneri Pœnitentem ea confiteri, quę si scirentur à confessario maiorem imponeret satisfactionem, circunstantiæ namque aggrauantes maiorem exposcunt satisfactionem, & tamen in veriori sententia, vt postea dicetur, non sunt necessario exprimendæ. Cum enim hoc sacramentum sit institutum per modum iudicij, & ad iudicium ponendum ea solum explicari debeant, quæ sunt de essentia iudicij, sequitur,

quod

quod non teneatur reus ea omnia explicare, quæ si scirentur, iudex maiorem imponeret mulctam.

Obijcies tertio quia dum Pœnitens dicit se velle confessionem generalem facere indicat quod, quæ confitetur peccata, alias fuerit confessa ac proinde subijciendo peccatum non confessum, simul cũ peccatis alias ritè confessis, non cõfitetur peccatum, quod re vera fecit. Respondet Lugo nu. 53. quod si quis confiteretur peccatum nouum, & diceret esse antiquum, suum non confiteretur peccatum, quod fecit; in casu autem cõfessionis generalis licet Pœnitens velit, & peroptet confessarium intelligere illud peccatum esse antiquum, cũ simul cum antiquis illud deponat, tamen id non dicit, sed vt vt est illud confitetur, non enim peccati vnitas, & ratio ab existimatione dependet Confessarij, sed ex propria ipsius natura, quam licet non explicet pœnitens, non tamẽ expresse negat. Quod autem peccatum nouum confessum, vt antiquum nõ sit idem probat, quia res se ipsis durant, atque adeo assignantur essentialiter ad talem durationem, ac proinde actus voluntatis, qui fit hodie, non est idem cũ eo, qui potuit fieri anno præterito, & sic, qui dicit peccatum quod fecit hodie, se fecisse anno præterito, peccatũ quod fecit nõ confitetur, sed aliud, quod non fecit.

Sed ego puto non solum satisfere pœnitentẽ, qui confitetur peccatum quod fecit, absque eo, quod dicat tempus quo illud fecit, seu reticendo tempus, quo fecit, imò desiderando, quod Confessarius id ipsum existimet, ne bonam, quam apud illum habet existimationem, amittat; verum etiam si positiuè diceret (de omnibus peccatis, quæ simul confitetur, inter quæ etiam illud quod modo fecit cõtinetur) hæc peccata commisi in iuuentute mea: quia erubescit, quod Confessarius cognoscat se modo talia patrasse; & ratio est, quia licet peccatum quod committitur hodie non sit, nec possit esse illud ipsum numero, quod commissum fuit, vel commit-

ti po-

ti potuit heri, non quià temporis circunstantia sit intrinseca rebus; nec quia res, se ipsis durent, quod est falsissimum, cum duratio, secundum Philosophum, sit accidens rei creatæ, & quid extrinsecum illis, seu modus illorum, vt ostendi in Philosophia; sed quia pœnitens sufficienter suũ manifestat peccatum, non solum moraliter, verum etiam physicè; ad hoc enim vt quis actum suũ manifestet, & moraliter, & physicè, sufficit, quod illud exponat; & si semel requireretur, quod tempus manifestaretur, communiter nullus suum manifestare posset peccatum: ponamus enim quod quis peccet in hoc instanti: si pœnitens interrogetur à Confessario, quando tale peccatum commiserit: certè illud manifestare non posset, cum sit impossibile cognoscere instans in quo tale peccatum commissum fuit. Vnde si quis statuarius hoc anno statuam faciat, & dicat se hanc statuam alio anno fecisse, non propterea confitetur se aliam statuam fecisse, sed ad summum mentitur, cũ dicat se hanc statuam anno fecisse præterito, cum hoc anno illam fecerit. Item si quis petatur à Prælato, an comederit talem rem; & dicat se illam comedisse heri, cum illã comederit hodie, non ob id aliam fatetur, vel alterius rei comestionem, sed eiusdem; & hoc non ob aliud, nisi quia vnitas rei, non dependet ex dicto personæ loquentis: sed ex propria natura. Dummodo ergo pœnitens, qui fornicationem, v. g. commisit, suã cõfiteatur fornicationem, suæ satisfacit obligationi; Vnde si peteretur à Confessario, an talem fornicationem commisserit hodie, qua die mansit in propria domo conuersãdo cum propria sorore, ne in huius deueniat Confessarius cognitionem, poterit (vtendo æquiuocatione ne mentiatur) id negare; & tunc nullus prudens Confessarius hunc obligabit ad iterum tale peccatũ confitendum.

Sed quæres primò, an ille qui generalem facit confessionem, debeat omnia, quæ fecit peccata deponere, an vero possit, quæ velit reticere.

Est

Est communis sentẽtia, quod possit quę velit reticere, dummodo aliàs, quæ reticentur fuerint ritè confessa, & absoluta; vnde licet pœnitens dixerit se velle facere cõfessionem generalem, non tamen ob id decipit confessarium, quoad ea, de quibus est iudex necessarius, sed ad summum ipse Confessarius decipitur, putans pœnitentem omnia deponere, cum non omnia deponat, quæ non necessario deponi debent. Imò puto solum peccaturum venialiter, qui vt bonam acquirat opinionem apud Confessarium diceret, se velle facere generalem totius vitæ confessionem, & in illa nullum mortale deponeret, cum tamẽ plura, eaque grauissima commisisset.

Quæres secundò, an peccet mortaliter pœnitens qui duos habet Cõfessarios, quorum vni leuia, alteri grauia deponit peccata? Respondetur negatiuè: communis ratio est, quia licet vnus Confessarius decipiatur, putans pœnitentem esse sanctum, hæc tamen deceptio à pęnitente nõ causatur, cum ipse non mentiatur, sed ipse Confessarius sibi ipsi talẽ causat deceptionem occasione desumpta ex pœnitentis confessione.

Quæres tertiò, an peccatũ veniale in communi extra mortis articulum sit materia sufficiens cõfessionis, ita quod possit quis sic confiteri; peccaui venialiter. Conueniunt Theologi id esse sufficiens in mortis articulo vt disput. præcedẽti notauimus, sicut enim est sufficiens dicere peccaui, vel signa doloris ostendere, à fortiori sufficiens erit dicere peccaui venialiter. Similiter cõueniunt, quod quando quis peccauit mortaliter, & non recordatur peccati, sufficiat id dicere, imò necesse sit illud in communi sic confiteri. Item conueniunt optimum consilium esse, semper materiam determinatã confessionis deponere, vt supra obseruauimus; solum difficultas est, an extra necessitatis articulum, quis non habens nisi venialia, possit & validè, & licitè sic confiteri: *Pater venialiter peccaui, doleo, & absolutionem exposco*, saluo meliori iudicio mihi

mihi probabile videtur id fieri posse, nec damnarem sic facientem, sed suadere, quod materiam magis certam deponeret. Et ratio est quia peccatum veniale in genere est materia sufficiens confessionis, atqui non habens materiam necessariam, vt hoc sacramento vtatur, sufficit quod sufficientem deponat; ergo.

QVAESTIO III.

An peccata dubia sint confessionis materia necessaria.

DVbium quantũ ad præsens attinet aliud est positiuum, quando scilicet vtrinque sunt rationes, vel coniecturæ de illa re; aliud negatiuum, quando pro nulla parte sunt rationes ad inclinandum assensum magis ad vnam, quam ad alteram partem. Conueniunt Theologi, quod in dubio positiuo de suo peccato, vel de Confessione, ad nihil teneatur, & sic siquis habeat rationes, vel coniecturas quod peccauerit, vel non peccauerit mortaliter, nõ tenetur tale peccatum confiteri, & sic illud peccatum licet sit materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria: similiter, si quisque vtrinque habeat rationes, quod peccatũm fuerit confessus, nõ tenetur illud confiteri, nec est materia confessionis necessaria, sed sufficiens. Et sic de dubio negatiuo præsens procedit quæstio.

Prima sententia est, quod in dubio negatiuo, siue de peccato, siue confessione, nulla sit obligatio confitendi, vel reconfitendi illud. Ita Layman, & Io: Propositus, apud Lugum. Et Merchantius, & sapientissimus P. Caramuel apud Dianam p. 10. tract. 12. resol. 2. Quorum fundamenta postea adducemus, & soluemus.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Peccata*

tata dubia sunt materia necessaria confessionis. Hæc est verior, & communior Theologorum sententia, vt testatur Diana supra.

Probatur primò conclusio Eleganti D. Thomæ testimonio in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. ad 3 vbi sic loquitur: *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente: quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter discrimini se committens. Est similiter periculo se committit, qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri: non tamen debet asserere, illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, & lepram*.

Ex quo testimonio sic primam formamus rationem. In dubio tutior pars est eligenda, ergo qui dubitat se peccasse mortaliter, tenetur illud confiteri. Antecedens est D. Thomæ; alioqui exponit ille dubitans, se ipsum periculo non confitendi aliquid quod reuera commisit: Hanc rationem reicit Lugo disput. 16. nu. 63. quia in dubio voti nullus cogitur votum obseruare, licet tutius sit id facere, in dubio præcepti nullus cogitur preceptum obseruare, ergo neque in dubio peccati, nullus cogi debet peccatũ confiteri, cum tam in casu peccati, quam in alijs libertas possideatur.

Sed contra, quia licet admittam, meliorem esse in dubio conditionem possidentis, non solum in materia iustitiæ, verum etiam in materia cæterarum virtutum, vt suo loco dicetur, tamen in materia peccati, illa doctrina non currit, non solum quia possessio stat pro peccato, & simul præsumptio; sed etiam quia ita rei natura exposcit, quod sic discurrendo ostendo; quia illud omne debet esse confessionis materia, quod est materia contritionis; sed peccatum dubium est materia contritionis; ergo etiam confessionis. Maior videtur de fide, ex Tridentino sess. 14. cap. 5. quatenus docet contritionem perfectam, quæ pecca-

peccata habet dimittere etiã extra confeſsionem, non aliter id præſtat, niſi quatenus eſt votum confeſsionis. Minor probatur, nam demus dubitantẽ de peccato commiſſo, re vera illud commiſiſſe; tunc ſic: tale peccatum, per te non eſt materia neceſſaria confeſſionis, ideoque poteſt non confiteri, & de facto non confiteatur, tunc nõ aliter deleri poteſt, niſi per contritionem per ſe loquendo, alioqui, ſi neque per cõtritionem deleatur, & cum eo talis moriatur, damnabitur.

Confirmatur hæc ratio, nã peto ab aduerſarijs, an qui dubitat de peccato mortali in mortis articulo teneatur de illo conteri, vel non: ſi primum admittant, admittere etiã tenentur, quod tale peccatum dubium debeat confiteri, cum contritio ex Tridẽtino citato, non aliter peccata dimittat poſt pœnitentiæ ſacramenti inſtitutionem, quã prout eſt eiuſdem pœnitẽtiæ ſacramenti votum; ac proinde quod cadit ſub obligatione contritionis, cadit etiam ſub obligatione confeſsionis. Secundum dici nequit, quia tenetur vnuſquiſque non ſe exponere euidenti damnationis periculo.

Sed dices ex hac noſtra ratione ſequi hominem teneri non ſolum confiteri peccatũ dubium, verum etiam probabile, ſeu hanc noſtram rationem procedere, non ſolum in dubio negatiuo, verum etiã in dubio probabili præſertim in mortis articulo contra id quod ſupra ſuppoſuimus. Sequela probatur, nam ille, qui de ſuo peccato dubium habet poſitiuum quod peccauerit, & non peccauerit, poteſt eſſe, quod re vera peccauerit: demus quod peccauerit ſi non conteratur, vel confiteatur damnabitur; ergo eſt eadem ratio de vtroque caſu.

Reſpondetur primò diſparem eſſe rationem de dubio poſitiuo, & negatiuo; nam in dubio poſitiuo, cum homo iudicet probabiliter ſe peccaſſe, & non peccaſſe, probabiliter iudicat ſe eſſe in gratia, & ſe non eſſe in gratia, ſe conſeruare amicitiam Dei, & nõ conſeruare illam, & ſubinde, dum vult aliquod recipere ſa-

ſacramentum nullam irrogat ſacramento irreuerentiam, dũ cum tali gratię probabilitate illud recipit, ſicut enim in alijs rebus homo ſufficienter ſuis ſatisfacit obligationibus, vel præceptis, quæ habet, ſequendo tale dubium poſitiuum, ſeu ſententiam probabilem, ita & in ſacramentorum receptione, alioqui non liceret ſequi in materia quacunque ſententiam probabilem probabilitate practica, ſeu quoad licitum, vel illicitum.

Reſpondetur ſecũdò, quod ſi loquamur de mortis articulo, vt procedere videtur argumentum, puto eandem eſſe rationem de vtroque dubio; nam vtrobique exponitur homo periculo damnationis æternæ, quod periculum vnuſquiſque vitare tenetur; quod tale periculum ſequatur, patet, nam etiam in dubio probabili, ſeu poſitiuo, contingere poteſt, quod reuera peccatum commiſſum fuerit, & licet ſententiæ probabilitas à nouo excuſet peccato, non tamen peccatum delet mortale, cum non deleatur, niſi per contritionem, & confeſſionem per ſe loquendo, vt ex ſe liquet.

Secunda ratio deſumitur ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. vbi habetur: *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſquiſitionem conſcientiam habet.* & can. 7. dicitur: *ſi quis dixerit, in ſacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino, confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur &c.*

Sed peccata mortalia dubia, ſunt vera peccata mortalia, de illis vera habetur cõſcientia, & memoria, ergo confiteri debent. Probatur minor quoad omnes partes; nam ita eſt verum peccatum dubium, ac certum, ac probabile, ſicuti eſt tam vera conſcientia certa, dubia, ac probabilis, licet differentia ſit, quod conſcientia probabilis dat ius operandi, ſicut & certa, non ſic dubia dubietate negatiua, vt in p. 2. oſtendimus, Quod de illis habeatur conſcientia, iam patet ex ſe; quod

quod similiter de illis memoria habeatur, supponitur.

Tertia ratio, Potuit Christus Dominus pœnitentiæ sacramentum taliter instituere quod in eo peccata omnia, etiam dubia deponerentur; ergo de facto sic institutũ fuit; Antecedens admittunt omnes. Consequentia probatur, ex ipso fidelium vsu, & vniuersalis Ecclesiæ praxi, cuius initium creditur ab Apostolis emanatum; ergo certum esse debet, eo modo hoc sacramentum institutum fuisse: Est enim optimus legis interpres, modus, quo ab omnibus lex illa intellecta, & exercita est; cum ergo semper fuerit iste mos in Ecclesia, quod peccata dubia confiteantur, ab eo non est recedendum. Soluuntur argumenta.

Primum argumentũ, quod maximè vrget Caramuel desumitur ex Tridẽtino sess. 14. cap. 5. vbi docet, vt nos etiam aduertimus, quod ea peccata in confessione deponi debent, quorum homo consciẽtiam habet post diligentem discussionem; sed peccati dubij conscientia non habetur; ergo peccata dubia ex necessitate confiteri non debent; Minor probatur, quia consciẽtia, est notitia scientifica; sed dubium non est notitia scientifica; ergo dubium in conscientia non habetur. Nec valet respondere, quod conscientiæ nomen non solum dicatur de scientia scientifica, verum etiam de notitia dubia, probabili, & scrupulosa. Nam contra est, quia Tridẽtinum, per conscientiam, solum notitiam scientificam intelligere videtur: vult enim Tridentinum pœnitentiæ sacramentum iudicium esse, & Sacerdotes iudices, qui hoc iudicium secretum exercere non possunt nisi cognita causa; sed causa dubia non est cognita; ergo de causa dubia iudicium hoc exerceri non potest.

Respondetur sustinẽdo solutionem traditam. Ad probationem dico, ita posse cognosci causa dubia, sicut certa, sicut probabilis, & sicut Sacerdos potest sententiam proferre in causa certa, ita in probabili, ita in dubia; alioqui peccata dubia, & probabilia,

non

non poſſent eſſe materia neque ſufficiens, quod nemo dicit.

Secundum argumentum; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis L. ſi debitor *ff.de pignor. non vulgat.* & dubius ab ignorante non diſtat L.manifeſtiſſimi *§.ſi autem neſcius C.de furtis*: imò æquiparantur, Surdus deciſ.265. nu. 19. ergo ſicut in alijs materijs dubius, & ignorans non grauantur, neque in hoc grauari debent. Conſequentia oſtenditur, quia quoad ignorantiā certum eſt, neque in confeſſionis materia neminem grauari, cum certum ſit nemině teneri confiteri peccata, quæ verè, & propriè ignorat; Quoad dubium, etiam certū eſt neminem ſua ſpoliandum eſſe innocentia, & iuſtitia quam poſſidet, quamdiu nocens, & iniuſtus non probatur, ſicut in alijs omnibus materijs. Vnde in nullo iudicio nullus animaduerſionis virga pulſatur, vel feritur, niſi factum ſit manifeſtum, & peccatum contra legem eſſe probetur. Quapropter Confeſſarij prudentes ſuis conſulunt pœnitētibus, ne ſe de aliquo accuſent peccato, niſi certo affirmare poſſint ſe illud commiſiſſe.

Reſpōdetur ex dictis, quod nimirum licet in alijs materijs in dubio melior ſit conditio poſſidentis, in hac tamen materia id non eſſe verum, cum vnuſquiſque teneatur habere ſaltem iudicium probabile, quod Dei gratiam retineat, quod iudicium in materia dubij de peccato habere nō poſſumus. Et ſic licet verum ſit dubitantem ignorāti comparari, & æquiparari, non tamen in hac materia, vt patet; nec verum eſt, quod prudentes Confeſſarij talem ſuggerant doctrinam pœnitentibus, quādo de vero agitur peccato dubio, ſed de dubio ſcrupuloſorum, quod, vt alias monuimus, non eſt verum dubiū, ſed ſcrupulo cōparatur. Ideo in materia conſcientiæ ſcrupuloſę docuimus cērtitudině, ſeu ſcientiam in ſcrupuloſo æquiualere dubio; dubium ſcrupulo, & ſcrupulum, aliud non eſſe niſi leuitatem.

Ad quem ſenſum intelligi debet ſolemnis quædā Ioan.

Soncij doctrina apud Dianã de sacram. resol. 107. quod ille, qui sufficientem fecit suæ conscientiæ perquisitionem, in ordine ad peccatorum cõfessionem efficiendam, non teneatur de anteacta vita cogitare; & si aliquid occurrat in confessione non explicatũ, poterit sibi persuadere illud iam fuisse memoratum.

Tertium argumentum: in humanis nullus obligatur resarcire offensam, quam dubitat proximo intulisse: ergo neque in ordine ad Deum. Antecedens admittunt omnes. Consequentia liquet ex paritate rationis. Respondetur cõcedendo Antecedens, & negando Consequentiam, ratio discriminis est, quia præceptũ restituendi, est præceptum negatiuum non lædendi, vel nõ continuandi in proximi læsione, vnde si non constat de læsione proximi non possum cogi, ad talem læsionem tollendam; at vero præceptum resarciendi iniuriam Deo illatam, est præceptum affirmatiuum, tenemur namque omnes non solum nescire Deum offendisse, verum etiam eius amicitiam positiuè habere, ac proinde peccata dubia fateri, alioquĩ non habebimus iudicium saltem probabile, de amicitia, & pace cum Deo, vt ex dictis patet.

Vnde licet dubitãs de alijs præceptis, præsertim erga proximum, ad præceptum nõ teneatur; in nostro tamen casu tenetur, & propter rationẽ dictam; & etiam quia, licet peccatum sit dubium, seu dubium sit de peccato, non tamen dubium est de præcepto, cum certum sit esse præceptũ de dubijs peccatis confitendis.



QVAE-

QVAESTIO IV.

An peccatum confessum vt dubium, si certum efficiatur debeat iterum confiteri:

PRima ſententia eſt quod non: Hanc primo inuexit in ſcholis Lugo diſput. 16. nu. 78. & quamuis illam non *auſerit* abſolutè affirmare, dicit tamen rationes in oppoſitum adeo ipſum conuincere quod vel hęc admitti debeat, vel communis doctrina, quæ dicit quod qui hoc modo cōfitetur, *commiſi tale peccatum decies plus minuſue* reici debeat, cum vtrobique peccatum vt dubium confiteatur; Quam *Lugonis* doctrinam, ſequati ſunt poſtea plures, vt Leander tom. 1. tract. 5. diſput. 3. q. 27. Martinus de San Ioſeph tract. 6. de Pœnitentia nu. 9. Marcus Vidali in arca tit. de Pœnit ſacram. Inquiſit, 5. num. 37. & alij plures, quorum ſententia ſaltem per principia extrinſeca eſt probabilis.

Noſtra ſententia ſequenti explicatur concluſione *Siquis confiteatur peccatum, vt dubiū, ſi compereat poſtea eſſe certum, tenetur illud vt certum confiteri.* Hęc eſt communis Theologorum ſentētia, quam poſt alios ſequitur Diana de ſacramentis reſol. 91. & parte 6, tract. 6. reſol. 31. & Ioannes Martinon tom. 5. diſput. 50. ſect. 8. num. 95 Probat Martinon, quia peccatum vt certum notabiliter aggrauat confeſſarij iudicium; ergo debet vt certum poſtea cōfiteri. Antecedens probat, quia peccatum quando vt certum dignoſcitur, transfertur de materia ſufficienti in neceſſariam: ergo notabiliter variat iudicium confeſſarij. Sed hæc ratio nulla eſt, vt enim præcedenti vidimus quæſtione, peccatum vt dubium non eſt materia ſufficiens confeſſionis, ſed neceſſaria, proinde dum peccatum fuit vt dubiū confeſſum, non fuit depoſitū vt materia ſufficiens, ſed vt neceſſaria, ac proinde per aduen-

aduentum certitudinis, non transit de materia sufficienti, in necessariam.

Alij probant, quia differentia certi, & incerti est moraliter specifica, sicut differentia mortalis, & venialis; ergo sicut ille, qui confessus est peccatum vt veniale, si postea comperiat esse mortale, tenetur illud confiteri, vt mortale, ita quando fuit quis confessus peccatum vt dubiũ si postea comperiat esse certũ vt tale confiteri tenebitur. Sed neque hęc ratio aliquid euincit, quia fornicatio vt dubia, & vt certa, nec physice, nec moraliter variatur, licet enim certitudo, & dubietas specie disterminentur (concedunt namque omnes notitiam certam, & dubiam esse diuersæ speciei) res tamen ipsa de qua talis habetur dubietas, & certitudo potest esse vna, & eadem: nec enim est obligatio confitendi notitias illas, sed peccatum illud quod sub talibus notitijs cõtinetur. Nec ratio peccati mortalis, & venialis probat. quia etiam mortale, & veniale eiusdem speciei esse possunt, vt furtũ leue, & graue, sed quia vnũ priuat gratia, & ob hoc est materia necessaria confessionis, non aliud.

Vera ergo ratio desumitur ex dictis quęst. præcedenti ex Tridentino, quod nimirum peccatum debeat in confessione deponi eo modo quo est in conscientia; ergo quãdo peccatum fuit clauibus subiectum, vt dubium, si postea comperiatur certum, debet ijsdem clauibus subijci. Antecedens est certum ex Tridentino, consequentia probatur, quia peccatum certũ, subiectum vt dubium, non est subiectum, prout est in conscientia, seu prout est factum; licet enim quando primò fuit peccatum illud confessum, prout tunc temporis in conscientia erat fuerit depositum, non tamen prout fuit factum; ergo. Sed maior nostræ, & communis sententiæ corroboratio, ex argumentorum solutionibus petẽda est.

Primum argumentum, quo conuincitur Lugo est, quia ille, qui confitetur, decies v.g. plus minusue peierasse, si postea certò meminit se peieras-

ſe duodecies, non tenetur de duobus illis periurijs confiteri, ſed cenſetur illa in tali cõfitendi modo ſufficienter manifeſtaſſe, & tamen, qui ſic cõfitetur, non omnia illa vt certa confitetur, ſed octo dumtaxat, & alia 4. vt dubia; dum enim dicit peieraui 10. circiter, ſeu plus, minuſque, 8. periuria, vt certa confitetur, & 4. vt dubia, vnde ſi poſtea comperiat eſſe 12. nẽpe duo plura, vel duo pauciora nihil facit, quia & hæc vt dubia depoſita fuerunt; ergo ſi in hoc caſu licet confiteri peccata vt dubia, ſine obligatione illa reconfitendi ſi certa reperiãtur, id ipſum licitum erit, quãdo ſeparatim peccatũ vt dubium confitetur.

Reſpondetur concedendo Antecedens, & negando conſequentiam, ratio diſcriminis clara eſt, tum ex rei natura, tum ex fidelium vſu. Ex rei quidem natura, quia hoc ſacramentum maiorem requirit ſubſtantiæ peccatorum explicationem, quam numeri, ſicuti maiorem requirit peccatorum explicationem quoad ſpeciem, quam quoad numerum; cum numerus ſit extra rei eſſentiam, non ſubſtantia, non ſpecies; & ſic, cum ſit obligatio cõfitendi peccata prout ſunt in conſciẽtia, & quoad ſubſtantiam, & quoad numerũ, ſequitur, quod quoad numerum ſufficiet explicere ſub dubio quando aliter non habetur, quoad ſubſtantiam vero id non ſufficiet, cum maior debeat eſſe huius, quam illius declaratio.

Tum quia conueniens fuit, quod minor requireretur declaratio peccatorum quoad numerum, quam quoad ſubſtantiam, & ſpeciem; cũ enim ſpecies facilius dignoſcantur, quam numerus, & facilius ſpeciei memoria retineatur, quam numerus, debuerũt homines minus grauari de numero, quam de ſpecie; onus namque valde graue fuiſſet, obligare homines ad numerũ omnino exactum, cum ſit hoc ferè impoſſibile; & ſic, ſufficit numerum circiter declarari, non ſic ſubſtantiã, quando id fieri poteſt, vt in noſtro caſu contingit. Patet etiam rationis diſpoſitas ex vſu fidelium, nã fideles minus ſolliciti ſint

de

de numero peccatorum explicando, quam sint de eorũdem peccatorum substantia, & specie, quoad numerum namque confitentur communiter per *circiter*, seu per *plus minusue*, non tamen quoad substantiam, & speciem peccatorum; nullus enim dicit *commisi peccatum contra castitatem quod habet circiter quatuor luxuriæ species*, vel *quatuor plus minusue circõstantias mutantes speciem*, certè puto, quod & ipse Lugo non esset de hoc confitendi modo contentus, sicut esset si quis diceret: *commisi quatuor plus minusuè fornicationes*.

Secundum argumentum: qui dispensationem obtinet à voto, vel censura dubia, non tenetur nouam petere dispẽsationem si postea comperiat votum, vel censuram certam esse: & idem dicitur de casu reseruato, ergo idem dicendũ est de peccato confesso vt dubio.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando Cõsequentiam. Ratio discriminis est, quia in nostro casu est obligatio deponendi peccata Sacerdoti eo modo quo sunt in conscientia, ac proinde dubium nihil suffragatur; at vero extra nostrum casum dubium multum suffragatur; in materia namque dispensationis, vel reseruationis, dubium tribuit ius dispensandi, vel absoluendi, cũ enim hæc sint odiosa strictè sunt interpretãda, ac proinde intelligenda de re tali simpliciter, non de quibus est res dubia, & sic dubiũ in alijs materijs ius tribuit dispensandi, vel absoluendi nõ in dubio de peccato; cum de hoc dubio specialis sit obligatio, vt patet; vnde si Ecclesia præciperet, vel declararet, quod non solum tale peccatũ certum, verum etiam dubiũ, esset reseruatum, tunc dubiũ nullum ius tribueret.

Sed quæres primò, an quãdo peccatum fuit confessum vt certum, si postea vt dubiũ appareat debeat confiteri? Respondetur negatiuè, ratio est, quia peccatum confessũ, vt certum à fortiori est cõfessum vt dubium, non è contra; sicuti, qui cũfessus est 10. periuria, & postea reperit esse solum 6. non tenetur iterum con-

confiteri; quia in 10. reperiũtur 6. non ẽ contra.

Quæres secundò, an qui dubitat se ex verecundia aliquod in confessione reliquisse peccatum, teneatur totam repetere confessionem, an vero sufficiat cõfiteri peccatum omissum. Carolus Baucius, quem refert Diana part. 10. tract. 14. resol. 12. tenet quod eo casu non debeat pœnitens obligari ad totam confessionem repetendam, sed sufficiat confiteri peccatum omissum. Cuius potissima ratio est, quia in dubio onus graue imponi non debet, est autẽ onus grauissimum pœnitentem obligare ad totam confessionem repetendam, nec dubiũ aliud operari debet, nisi quod peccatum ipsum de quo dubitatur, in confessione deponatur, & non aliud.

Hanc sentẽtiam impugnat Diana, quia qui volũtariè reliquit aliquod peccatum in confessione, nullam fecit cõfessionem, ac proinde totam debet confessionem repetere, sed ille qui dubitat se reliquisse aliquod peccatum in confessione fecit confessionẽ inualidam; ergo tenetur illã repetere. Minorem hãc probare debebat Diana; nõ enim ex hoc, quod quis dubitat se aliquod reliquisse peccatum in præterita confessione, sequitur, quod nullam fecerit confessionem; nulla quidem fit confessio, quando quis volũtariè aliquod relinquit peccatum graue, etiamsi dubium sit, cum peccatum etiam dubium, sit confessionis materia necessaria, vti iam docuimus. Vnde puto sententiam Baucij probabilissimam esse, & in praxi sequi posse. Est enim grandis disparitas inter peccatum dubium, & confessionẽ etiam dubiam, quod peccatum dubium ideo debet confiteri, & si certum postea appareat, reconfiteri, quia vtroque modo est materia necessaria confessionis, & hoc iure diuino; at vero confessio dubia non sic; cum possit, cũ eius dubietate, eiusdem validitas stare, & aliũde dubietas multum suffragetur.

Sed dices in fauorẽ P. Dianæ, quod qui est dubius de confessione, est etiam dubius de peccatorum confessione,

cum

cum peccata certò non confiteantur, nisi in confessione certa, & dubiè, in dubia; sed qui est dubius de peccato tenetur illud confiteri; ergo qui est dubius de confessione tenetur illam repetere.

Respõdetur dupliciter posse aliquem esse dubium de confessione, scilicet, vel de tota, vel solum ratione vnius peccati: quando quis de tota dubitat confessione, etiam est dubius de omnibus peccatis, & sic debet totam confessionem repetere. Quando vero quis est dubius de solo vno peccato non confesso; licet teneatur hoc peccatum confiteri, tamen potest non dubitare de tota confessione, & sic potest non totam repetere, dubio suffragante.

Sed huius occasione quæret hic tertiò aliquis, an ille qui plura habuit desideria inhonesta, carnis, odij, furti, &c. & illis positiuè consentiebat, quia putabat non esse peccata mortalia, & ob id illa non confitebatur, si postea cognoscat esse peccata mortalia, teneatur illa confiteri, idem dubiũ procedit de illo, qui ignorantia inuincibili putabat nõ esse peccatum mortale, voluntariè pollui. Aliqui volunt non solum debere peccata illa materialia confiteri, verum etiam volunt, quod omnes præteritę confessiones debeãt refici.

Sed dicendum absolutè est neutrum fieri debere Et ratio plana est, quia confessionis materia necessaria, non est peccatum mortale materiale, sed formale, quod nimirum est verè peccatum mortale, hominẽ spolians diuina gratia, & amicitia; sed consensus in desiderium inhonestũ in illo, qui ex ignorantia inuincibili putat non esse peccatum mortale, non est peccatum mortale, alioqui ignorantia inuincibilis à culpa non excusaret, quod est cõtra communem omnium intellectum, & sensum; ergo nõ est materia necessaria confessionis, imò neque sufficiens, nisi aliunde sit peccatũ mortale.

Quæres quartò, quantum se extendant illa verba *plus minusue*, seu *in circa*. Aliqui volunt extendi ad duo, vel

tria,

tria, quia putant illa verba esse absoluta, non respectiua. Sed hoc communiter respuitur, quia in numero maiori v. g. millenario ad plura se extendunt illa verba, & esset minus restrictus illorum verborum sẽsus in numero adeo grandi. Alij volunt cum glosa *in l. hæc adiectio ff. de verb. signif.* restringi ad quartam partem summæ, vt si quis dicat commisi 100. furta verificetur si fuerint 125. vel 75. sed nimis ampla hæc regula videtur, vt ex se liquet. Alij volunt extendi ad 5. pro quolibet cẽtenario, quod est nimis strictũ cum in numero paruo nõ habeat locum. Verior modus dicendi est, quod *ly plus minusue* respectiuè ad materiam intelligatur, ita tamen, quod semper paruum quid censeatur respectu summæ dictæ. Vnde si quis dicat peccaui decies plus minusue extẽdatur ad tres, vel ad summum ad quatuor vices; si dicat peccaui centies extendatur ad septem, vel octo, vel ad summum decem, & sic hæc regula iudicio prudentis regulari debet, & ex communi fideliũ intellectu, quem puto esse illũ quem nos innuuimus.

QVAESTIO V.

Quænam circunstantiæ sint necessario in Confessione explicandæ.

CIcunstantia, quam latini appendicem dicunt, est *accidens actioni adiacens*, vel *accidens actus humani*, vt tradit D. Thomas 1. 2. q. 7. Et sic circunstantia peccati, est accidens peccati, id enim quod non est substantiale rei, vel ad rei substantiam non pertinet, eiusdem rei accidens est, vt docet Baldus *in l. vendentes* §. 4. *C. de contrah. empt.* Assignãtur autem circunstantię feptẽ, nimirum.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Alij ponunt *quoties*: Hoc momo; *Quis, quid, vbi, per quos, quo-*

quoties, cur, quo modo, quando. Sed D. Thomas loco citato ar.5. non ponit circunstantiã, *quoties*. Et merito, quia circũstantiæ, eundem actum circunstant, numerus autẽ vnam, & eandem nõ circunstat operationem, sed pluribus cõuenit operationibus, non enim secundum furtum est circonstantia primi, sed vtrunque in confessione est deponendum.

Circonstantia ergo est extra substantiam actus, licet attingat actum, quæ attingẽtia, vel est quoad causam actus, vel quò ad actum ipsũ, si quo ad causam, vel quò ad causam efficientem, vel materialem, vel finalem: si quò ad causam efficientem, vel est quò ad causam efficientem principalem, & est circonstantia *quis*; si quò ad causam instrumentalem est circonstantia, *quomodo*; si quò ad causam materialem est circunstantia *quid*, vt circa furtũ, adulterium, &c. si quò ad causam finalem est circonstantia *cur*, vt ob lucrum, luxuriam, &c. si quò ad actũ, vel est quò ad substãtia actus, & est circonstantia *quid fecerit quis*: vel quò ad mensurã loci & est *vbi*: vel temporis, & est *quando*; vel est mensura modi, quo factus est actus, & est, *quibus auxilijs* & sic patet numerus circonstantiarum septenarius, qui magis explicatus manebit ex singularum explicatione infra tradenda.

Circonstantiarum quædã sunt impertinentes, aliæ minuentes, aliæ augentes, aliæ ad aliud peccati genus trahentes. Circonstantiæ impertinentes illæ sunt, quæ nec grauant, nec minuunt peccatum, nec ad aliam speciem trahunt, vt occidisse sinistra, vel dextra manu, ante, vel post prandium, peccasse allectum mulieris pulchritudine, pretio, vel precibus & hæc relinqui debẽt, quia tendunt ad peccati excusationem, & non deseruiunt ad peccati accusationẽ, & manifestationem, & si apponantur, licet confessionem non irritent, communiter tamẽ venialiter peccatur in talium circonstantiarum appositione.

Circunstantiæ minuentes, vel

tria, quia putant illa verba esse absoluta, non respectiua. Sed hoc communiter respuitur, quia in numero maiori v. g. millenario ad plura se extendunt illa verba, & esset minus restrictus illorum verborum sẽsus in numero adeo grandi. Alij volunt cum glosa *in l. hæc adiectio ff. de verb. signif.* restringi ad quartam partem summæ, vt si quis dicat commisi 100. furta verificetur si fuerint 125. vel 75. sed nimis ampla hæc regula videtur, vt ex se liquet. Alij volunt extendi ad 5. pro quolibet cẽtenario, quod est nimis strictũ cum in numero paruo nõ habeat locum. Verior modus dicendi est, quod *ly plus minusue* respectiuè ad materiam intelligatur, ita tamen, quod semper paruum quid censeatur respectu summæ dictæ. Vnde si quis dicat peccaui decies plus minusue extẽdatur ad tres, vel ad summum ad quatuor vices; si dicat peccaui centies extendatur ad septem, vel octo, vel ad summum decem, & sic hæc regula iudicio prudentis regulari debet, & ex communi fideliũ intellectu quem puto esse illũ quem nos innuuimus.

QVAESTIO V.

Quænam circunstantiæ sint necessario in Confessione explicandæ.

CIcunstantia, quam latini appendicem dicunt, est *accidens actioni adiacens*, vel *accidens actus humani*, vt tradit D. Thomas 1. 2. q. 7. Et sic circunstantia peccati, est accidens peccati, id enim quod non est substantiale rei, vel ad rei substantiam non pertinet, eiusdem rei accidens est, vt docet Baldus *in l. vendentes* §. 4. *C. de contrab. empt.* Assignãtur autem circunstantię septẽ, nimirum.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Alij ponunt *quoties*: Hoc momo; *Quis, quid, vbi, per quos, quo-*

quoties, cur, quo modo, quando. Sed D. Thomas loco citato ar.5. non ponit circunstantiã, *quoties*. Et merito, quia circũstantiæ, eundem actum circunstant, numerus autẽ vnam, & eandem nõ circunstat operationem, sed pluribus cõuenit operationibus, non enim secundum furtum est circonstantia primi, sed vtrunque in confessione est deponendum.

Circonstantia ergo est extra substantiam actus, licet attingat actum, quæ attingẽtia, vel est quoad causam actus, vel quò ad actum ipsũ, si quo ad causam, vel quò ad causam efficientem, vel materialem, vel finalem: si quò ad causam efficientem, vel est quò ad causam efficientem principalem, & est circonstantia *quis*; si quò ad causam instrumentalem est circonstantia, *quomodo*; si quò ad causam materialem est circunstantia *quid*, vt circa furtũ, adulterium, &c. si quò ad causam finalem est circonstantia *cur*, vt ob lucrum, luxuriam, &c. si quò ad actũ, vel est quò ad substãtia actus, & est circonstantia *quid fecerit quis*: vel quò ad mensurã loci & est *vbi*: vel temporis, & est *quando*; vel est mensura modi, quo factus est actus, & est, *quibus auxilijs* & sic patet numerus circonstantiarum septenarius, qui magis explicatus manebit ex singularum explicatione infra tradenda.

Circonstantiarum quædã sunt impertinentes, aliæ minuentes, aliæ augentes, aliæ ad aliud peccati genus trahentes. Circonstantiæ impertinentes ille sunt, quæ nec grauant, nec minuunt peccatum, nec ad aliam speciem trahunt, vt occidisse sinistra, vel dextra manu, ante, vel post prandium, peccasse allectum mulieris pulchritudine, pretio, vel precibus & hæc relinqui debẽt, quia tendunt ad peccati excusationem, & non deseruiunt ad peccati accusationẽ, & manifestationem, & si apponantur, licet confessionem non irritent, communiter tamẽ venialiter peccatur in talium circonstantiarum appositione.

Circunstantiæ minuentes, vel

vel ita minuunt vt omninò culpæ rationem tollant, vel facunt ex mortali veniale, & tunc possunt non confiteri, si tamen quis velit tale peccatum confiteri, debet illas circonstantias apperire, alioqui in graui materia confessariũ decipiet; vt si quis occidit hominem putans esse feram. tũc enim non sufficit dicere occidi hominem, sed debet dicere, putans esse feram, quæ vero solum minuunt peccatum melius est non confiteri, quia potius ad excusationem vergunt.

Circunstantiæ aggrauentes, vt dicunt, in infinitum, sunt quæ faciunt ex veniali mortale, & quæ nouum peccati genus adijciunt, in omnium sententia sunt confitẽdæ. Non nulla difficultas est, an circonstantiæ præcisè aggrauantes sint necessario confitendæ, vt si quis furatus est mille, an sufficiat dicere furatus sum materiam grauẽ, si quis per integrum diem permansit in actu odij, vel desiderij occidendi inimicũ sufficiat dicere habui actum odij, vel desiderij occidendi inimicum &c.

Prima sententia est quod circunstantiæ aggrauantes sint necessariò explicandæ. Ita Suarez. disput. 22. sect. 3. post alios quos refert: eandem sententiam sequitur Thomas Sanchez in decal. lib. 2. cap. 32. nu. 39. & lib. 4. cap. 11. nu. 24.

Nostra sententia sequenti axplicatur conclusione, *Circunstantiæ aggrauantes non sunt per se necessariò explicandæ*. Dixi per se, quia per accidens potest esse id necessarium; vt si alicubi reseruetur furtum excedens valorẽ 100. nummorũ. Hanc sententiam post Durandum, Gub. Palud. Scotum, Almainum, Bonauent. Albertum, Antoninum, Adrianum, Nauar. & alios plures sequitur Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 2. Reginaldus, Valentia, Lessius & alij quos refert, & sequitur Diana tract. 1, de circunstantijs aggrauant, resol. 1. Qui omnes doctrinam hãc desumpserunt ex Angelico Doctore in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5. vbi sic loquitur. *Omnes circunstantias confi-*

confiteri est impoßibile, quasdam autem confiteri est necesſitatis: ſed in hoc est differentia opinionis, Quidam enim dicunt, quod omnes circunſtātiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt confiteri neceſſitatis est; ſi memoriæ occurant. Alij vero dicunt, quod non ſint de neceſſitate confitendæ, niſi circonſtātiæ, quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est. Hæc D. Thomas.

Probatur primò ex Tridētino ſeſſ. 14. cap. 5. vbi dicitur: *Ex his colligitur, oportere à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligētem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent in confeſſione recenſeri*. Ex quibus verbis ſequentem formamus rationē. Iure diuino nō tenentur Pœnitentes confiteri niſi omnia; & ſingula peccata mortalia ſed circonſtantiæ aggrauantes, non ſunt peccata mortalia, ſed accidentia illorum; ergo circunſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſario confitendæ. Maior nota videtur ex Tridentini doctrina toto illo cap. 5. Minor patet ex dictis: circunſtantia namque ex ſui natura, debet eſſe extra eſſentiam, & ſubſtantiam rei, cuius eſt circunſtantia, ac proinde, ad hoc vt quis rem explicet quoad ſuam ſubſtantiā, neceſſe non erit illius circunſtantias aperire; vnde in materia pręcepti videmus, præceptum prohibere ſubſtantiā actus, non circunſtantiā, quando enim dicitur non *furaberis* furtum graue grauiter prohibetur, abſque eo quod deſcēdatur ad ſpeciales eiuſdem furti circunſtantias aggrauantes, vt quod non furētur 100. 200. &c.

Sed dices debere explicari circunſtantiæ aggrauantes ad hoc vt Sacerdos, qui in huius ſacramēti adminiſtratione eſt iudex, adæquatum, & rectum ferat iudiciū, ſimiliter adhoc vt peccata integrè explicentur, niſi enim hæ circunſtantiæ explicentur mutilum deponitur peccatū; Item adhoc vt adequatam imponat ſatiſfactionem. Sed contra, quia vt patet ex Tridentino can. 7. eiuſdem ſeſſ. Sacerdos nō eſt iudex niſi quoad ſpecies, numerum peccatorum, & circū-

ſtantias mutantes ſpeciem; ergo de his non de circunſtā-tijs aggrauantibus debet ferre ſententiam. Et ſolum ſecū-dum has rationes ſpeciei, numeri, & circunſtantiarum ſpeciem mutātium, debent peccata integrè deponi; & quoad illas ſatisfactio imponi.

Probatur ſecundò. Induci nō debet neceſſitas adeo dura, & difficilis, qualis eſt confiteri circunſtantias notabiliter aggrauantes, ſine aliquo notabili fundamento, vel in ſcriptura, vel in aliqua Eccleſiæ definitione, vel Patribus, ſed nec ex ſcriptura, nec ex Eccleſiæ definitione, nec ex Patribus habetur, quod tales circunſtantiæ debeant confiteri; ergo. Maior patet, quia ex ſcriptura ſolum colligitur pœnitentiæ ſacramentum eſſe iudicium quoddam, in quo peccata diudicentur, ad quod non requiritur circunſtantiarum depoſitio, præſertim cum rationabile valde ſit, quod Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituerit, per modū iudicij, non adeo rigoroſi, non adeo exacti, ſed paterni. Neque id habetur ex aliqua Eccleſię definitione, quia potius oppoſitum colligitur, vt conſtat ex Tridentino ſeſſ. citata can. 7. vbi ſolum de circunſtantijs mutantibus ſpeciem declarat eſſe obligationē confeſſionis. Neque ex Patribus ergo.

Probat tertiò Lugo hic diſput 16. nu. 110. tribus rationibus quas deſumpſit ex Vaſquez loco citato. Prima quia ex oppoſita ſententia deberēt etiam explicari circunſtantiæ notabiliter alleuiantes, quod nemo dicit. Secunda quia deberent etiam confiteri circunſtantiæ durationis, intenſionis, & aliæ ſimiles, & tamē hæ circunſtātiæ à nemine declarantur. Tertia quia ſi deberet declarari quantitas furti, deberet etiam declarari quantitas detractionis; hoc non fit; ergo Sed hæ rationes non conuincunt aduerſarios, quia omnes iſtas ſequelas admittunt quando ille circonſtantię notabiliter alleuiant; quando duratio, & intenſio eſt notabilis; quando detractionis quantitas, notabiliter aggrauat; videatur Nugnus q. 9. art. 2. dub. 2.

Pri-

Primum argumentum pro parte contraria est, quia cõfessarius potest Pœnitentem interrogare de circonstantijs aggrauantibus, & Pœnitens ipse respondere tenetur; atqui hoc non esset verum si Pœnitens confiteri non teneretur circonstantias aggrauãtes: ergo illas confiteri tenetur. Maior ab omnibus admittitur: Minor probatur, quia si semel Pœnitens confiteri non tenetur circunstantias aggrauantes, respondere non teneretur, sed posset vti æquiuocatione, vel amphibologia, nemo enim obligatur ad id ad quod non tenetur.

Respondetur concedendo maiorem, & negando Minorem. Ad probationem dico quod licet Pœnitens non teneatur fateri circonstantias aggrauantes, obligari tamẽ potest, vt patet etiam in alijs; non enim est nouũ quod quis obligetur à superiore, vel iudice ad id ad quod prius non tenebatur; non tenetur reus fateri delictum semiplene probatum si à iudice nõ interrogetur, tenetur tamen si interrogetur.

Secundum argumentum; si quis decem vicibus intercalatis decem numos furetur, decem peccata committit; ergo qui vna voce totidem numos furatur licet vnum tãtum peccatum committat, tenebitur tamen eam quantitatem in confessione deponere. Consequentia probatur, quia tanta malitia reperitur in vnico furto 100. aureorum, ac in decẽ, decem aureorum; tum quia est eadem proximi læsio; tum & maximè, quia tanta malitiæ intẽsio reperiri potest in vno furto, ac in 10.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando cõsequentiam; siue enim sit tãta malitia in vno furto ac in 10. siue non, peccatorum numerus, diuino iure est explicandus, non maior malitiæ grauitas, vt ex dictis liquet.

Tertium argumentum: in incestu consanguinitatis gradus est explicandus, & tamẽ est solũ circonstantia aggra-

uans; ergo circonſtantiæ aggrauantes ſunt in confeſſione explicandæ.

Reſpondetur quod ſuppoſita D. Thomæ ſententia 2.2. quæſt. 154. art. 9. Caietani ibidem, Nugni hic quæſt. 9. art. 2. dub. 3. quod inceſtus inter conſanguineos, & affines ſint eiuſdem ſpecie, neceſſe non erit explicare gradum conſanguinitatis, & affinitatis, cum ſecundum hanc ſententiam ratio primi, vel ſecundi gradus ſit ſolum circunſtantia aggrauans, & per conſequens qui peccauit cum Matre, vel ſorore, ſufficit dicere commiſi inceſtum, abſq; eo quod gradum exprimat.

Quartũ argumentum: mulieris ſollicitato eſt circunſtãtia aggrauans; & tamen eſt confitenda; ergo. Reſpondetur negando Antecedens, ita Lugo nu. 142. poſt Vaſquez, & ratio, eſt quia ſollicitationis malitia quoad ſpeciem, & ſubſtantiam, licet non quoad intenſionem, habetur, quando quis mulierem cum qua peccauit ſollicitauit, ac quando non ſollicitauit, quia sẽper eſt illius cauſa peccati, & ad illud cooperatur; quæ doctrina applicari poteſt ad omnia peccata ad quæ cooperatur, etiamſi fuerit primum mouens, ſeu ſollicitas, vnde qui in miſſa de præcepto volũtariè diſtrahitur colloquijs, ſufficit quod dicat in confeſſione, Miſſæ tempore fui notabiliter diſtractus confabulationibus, & ſic de alijs ſimilibus.

Quintum argumẽtum, qui vnico ictu occidit plures v.g. decem, ſufficienter ſuum non deponit peccatum dicendo feci homicidium, ſed debet dicere occidi plures; & tamẽ eſt ſolum circunſtantia aggrauans; ergo. Idem dicitur de voluntate occidendi plures, & de deſiderio. Hoc argumentum petit vt explicetur radix ex qua peccatorum numerus deſumatur; ideoque ſit.

DVBIVM

DVBIVM

Incidens, vnde sumenda sit vnitas numerica peccatorum.

HAnc materiã fusè pertractaui in p. 2. modo breuiter solum, quæ necessaria sunt tangentur. Conueniunt omnes, tunc peccatum esse vnum numero, quando idem numero affectus perseuerat, siue formaliter, siue virtualiter, in se ipso, vel in suo effectu. Vnde qui per horam continuat in eodem affectu occidendi inimicum, vnum peccatum facit; quia ille affectus internus in se ipso, vel formaliter, vel virtualiter durat; idem dicendum est, si duret in suo effectu, seu in opere externo; vt cum quis ex affectu occidendi inimicum, parat arma, sternit equum, habet iter &c. & vt docuimus de sacram. in genere disp. 7. q. 8. per somnum, & per alias ordinarias occupationes non interrumpitur actus ille, ob rationes ibidem adductas.

Conueniunt etiam peccatum numero plurificari per retractationem, non quidem physicam, sed moralem, cum enim peccatum voluntarium esse debeat, vbi voluntarietas cessat, & peccatum cessare necesse est; cessat autem voluntarietas per retractationẽ moralem vt patet; desumitur autem moralis retractatio ex communi hominum sensu, qui eam magis, vel minus extendit secũdum rerum diuersitatem.

Dico primo, *veritas numerica peccati non desumitur à materia circa quam actus ipse versatur, sed ab actu ipso.* Hæc est communis Theologorum sẽtentia. Et ratio est, quia ibi est vnum numero peccatum, vbi est vna numero malitia, atqui vbi est vnicus voluntatis actus tendens in plures materias solo numero diuersas, ibi est vnica peccati malitia; ergo & vnicum

cum peccatum. Maior patet Minor ostenditur, nam licet malitia obiectiua ab obiecto desumatur, formalis tamen, in qua est ratio peccati, à voluntatis actu desumitur; ergo vbi est vnus numero voluntatis actus, ibi vna numero malitia erit.

Sed dices cum Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 4. quod vbi sunt plures materiæ numero distinctæ, ibi sunt plura peccata, ex eo, quod actus licet in esse physico sic vnus, moraliter tamen est multiplex numero, ob malitiarum pluralitatem, & sic putat Vasquez, quod qui vnico ictu plures occidit, plura committat peccata; qui vnico voluntatis actu plures interimit, plures internas cõmittat occisiones; qui vnico actu ad plures mulieres accedere desiderat, plures fornicationes committat, qui pluribus detrahit, plura detractionis peccata committat sic deinceps. Sed contra quia secundum veriorem D. Thomæ, & Thomistarum sentẽtiam, plura numero accidentia, non possunt esse in eodẽ subiecto; ergo plures numerò malitiæ non possunt esse in eodem actu, ac subinde, vnus, & idem actus etiam si versetur erga plura obiecta mala, numero dumtaxat distincta, non poterit plures habere malitias, ac proinde, nec plura peccata erunt. Antecedens optimè probant N. Salm. to. 1. de principio indiuiduationis. Consequentia bene sequitur ex Antecedẽti, malitia namque est verum ens morale, reale, habens suum genus, suas species, & sua indiuidua; ac proinde, si semel plura accidentia physica solo numero distincta, nequeunt esse in eodem subiecto, neque plura accidentia moralia, propter eandem rationem. Vnde sicut in esse physico vna, & eadem actio potest in plura tendere (vnica namque visione plura videntur, vnica intellectione plura cognoscuntur &c.) & tunc illa plura materialiter vnicũ formale terminatiuum constituunt. Ita & in genere Moris, & sic quando quis vnico voluntatis actu, plures desiderat occidere, vnicum peccatum

catum est, quia illa plura, vnum totale, & formale illius actus terminatiuum constituunt Dixi quando illa plura solo numero distinguntur, quia si distinguerentur specie morali, plurificarentur tunc temporis in eodem actu peccata specie; vt si quis vnico actu vellet occidere Patrem, & Sacerdotem, vel quando Pater ipse quem vellet occidere, esset etiam Sacerdos, tunc duæ hæ species essent in confessione deponendæ.

Ex quibus manet explosa Cardinalis *Lugonis sententia* hic disput. 16 num. 134. quod nimirum in illo actu, quo quis vult plures occidere, sint plures malitiæ numero, vnum tamen peccatum sit ob vnitatem actus, ob quod vult, quod sufficiat tunc in confessione dicere, *occidere semel volui*; & si quis vnico ictu de facto plures occidat debeat dicere *occidi plures*, alioqui suum non deponet peccatum. nam in hoc casu cum hoc peccatum plures habeat malitias, debent ille exprimi, si autem diceretur commisi homicidium, diceret actum, qui vnicam dumtaxat exprimit malitiam.

Ex quibus inquam manet *prædicta doctrina explosa*, nam vt patet ex dictis plures malitiæ numero in eadem actu esse nequeunt. Et si semel dari possent, peccata numero multiplicarent; si enim plures malitiæ specie, peccata specie multiplicant; quare plures malitiæ numero, non debent peccata numero multiplicare? Vnde cum fundamentum illius auctoris sit nullum, sequitur sufficienter deponi peccatum si dicatur, *semel volui occidere*, vel *desideraui occidere semel*, & si de facto occidit; sufficiet dicere *occidi*, vel *feci homicidium*, cũ tunc temporis vnica homicidij malitia reperiatur; idem dic de alij casibus supra recensitis: Dico 2. *quandiu actus positiuè moraliter non interrumpitur, censetur peccatũ virtualiter moraliter cõtinuari.* Pro quo nota, quod vt docuimus de sacram. ingenere disput. 7. quæst. 16. perseuetia virtualis est duplex, physica, & moralis; physica est illa, quæ vel in se, vel in sua

virtu-

virtute, vel affectu perseuerat, vt in applicatione membrorum, in determinatione phantasiæ &c. Moralis vero in non retractatione; est enim communis hominum intellectus, quod cuiusque voluntas tandiu perseueret moraliter, quam diu illam non mutat; vnde videmus Principes, & Prœlatos, velle sua exequi mandata, quam diu de eorum non constat reuocatione, & tamen, & somnus, & negotiorum tractatio, & obliuio, & inconsideratio intercedunt. Qui ergo aliquid facere deliberauit, vult, & censetur velle, quod tandiu talis voluntas perseueret, quandiu morali retractatione non retractatur, nec est cuiusque animus, quod obliuione, inconsideratione, distractione, somno, negotijs, alijsque interrumpatur. Diana de sacram.resol.95.

Inquires primò, quot peccata committat ille, qui proponit diuinum non recitare officium, vel non ieiunare per totam Quadragesimam. Respondetur vnum tãtum peccatum committere, ratio patet ex dictis, quia est vnus actus, qui habet pro obiecto totam illã diuini officij omissionem, vel ieiunij: si tamen postea quotidie omittat, vel non ieiunat, toties peccat, cũ illa præcepta sint alligata diei, quod verum est quando id exequi potest, si enim non posset non peccaret; vt si quis ex tali animo non recitandi Breuiariũ proiecisset in mare, tunc temporis peccasset, non tamen postea, cum ad id iam sit impossibilitatus.

Inquires secundò, quot peccata committat, qui debitam restitutionem per longũ tempus non facit? Respondetur vnicum peccatum committere, quia prima cõtinuatur damnificatio, nisi contrariam habuerit voluntatem, moralem scilicet illam non physicam, quam iam explicuimus.

Inquires tertiò, quot peccata committa, qui plurium audit confessiones in peccato mortali? Respondetur probabile esse quod vnum tantum peccatum committat, ita Lugo loco citato nu.558. Et idem dicendum de illo, qui plures

plures communicat in mortali; & ratio eſt, quia licet plura ſacramenta conficiantur, in virtute tamen eiuſdẽ intentionis conficiuntur, non quia adminiſtrẽtur in eodem tribunali, ſeu Confeſſionario vt vult Lugo, nam ſi Confeſſarius locum ſucceſſiuè mutaret adhuc vnicum peccatum committeret, nec quia illę actiones ſacramentales contineant irreuerentiam contra Deum, & Chriſtum, quia alioqui peccata omnia eſſẽt eiuſdem ſpeciei, & numeri, cum hanc irreuerẽtiam peccata omnia contineant; ſed ob rationem dictam à nobis.

Sed dices, hinc ſequi quod ſi quis ex eadem intentione fornicandi, ſucceſſiuè cognoſcat tres fœminas vel tres occidat, vel eandem fœminam ter ſucceſſiuè cognoſcat, eundem actum continuando, vnum peccatum committat, ſequela probatur, quia ita sũt tres actus completi, tria pœnitentiæ ſacramenta ſucceſſiuè adminiſtrata in mortali, ac ſunt tres copulæ cõtinuatæ, vel tria homicidia; parũ enim refert quod copulæ fiãt cum eadem, ac cum pluribus fœminis; propterea dicunt communiter Theologi, vt videre eſt apud Dianam *de circunſt. aggrauant.* reſol. 13. quod qui tres commiſit fornicationes, ſiue cum vna fœmina, ſiue cum tribus, ſatisfaciat ſi dicat *commiſi tres fornicationes*. Si ergo ſemel probabile eſt, quod qui tria pœnitentię adminiſtrauit ſacramenta in mortali ſucceſſiuè, ſiue vni, ſiue pluribus, vnum tantum peccatum committat, etiam probabile erit, quod qui tria commiſit homicidia, vel tres fęminas ſucceſſiuè cognouit, vel vnam tantum; vnum tantum peccatum mortale committat, cum vtrobique eadẽ militet ratio.

Ingenuè fateor me non inuenire adæquatã, & quæ mihi ſatisfaciat, huius argumẽti ſolutionem, nõ tamen ob hoc vllo modo, eſt huius argumenti concedenda ſequela, ſicut videtur illam concedere Zanardus in director. confeſſ. §. 1. de ſacram. pœnit. cap. 18. dum dicit de illo, qui pluries copulam cum eadẽ, vna nocte habuit, quod ſufficiat ſi

dicat in cõfessione *mansi vna nocte cum meretrice, & feci quod potui*. Vnde non est audiendus quidam modernus, qui posito principio de vnitate peccati, dum plures successiuè confitentur, vt nos posuimus, sequatur sequela in argumento posita. Et ratio est, quia licet adæquata, & sufficiens omnino, nõ assignetur disparitas, omnino tamen negari debet sequela illa. Primò, quia cum simus in materia morali, moraliter metiri debet, & non secundum logicales illationes; alioqui moralia nõ considerarentur moraliter, nempe ex vsu, ex praxi, ex sensu communi hominum, sed physicè, vel philosophicè; patet autem, vsum, praxim, & communem hominum sensum esse, quod singulæ fornicationes, singula constituant numero morali peccata, nec vnius post aliã successio facere potest, quod plures in vnam numero moralem coalescant. Secundò, quia in materia morali non valet argumentari à maiori ad minus, nec à minori ad maius, non solum in hijs, quæ sub præcepto cadunt humano: cum videamus multoties præcipi minus, non præcipi maius, prohiberi maius, non prohiberi minus; reseruari peccatum minus, non reseruari maius, vt quando reseruatur incestus, non reseruatur odium Dei, &c. verum etiam in alijs rebus, vnde non valet argumentari, afficere proximum iniuria in vita, in fama, in honore, sunt diuersa peccata, ergo etiam velle, vel desiderare ista proximo, diuersa erunt peccata; cum secundum veriorem sẽtentiam odium proximi, diuersarum esse nequeat specierum, & sic sufficit dicere in confessione, se toties odisse proximum, nec opus est explicare, an tale odium fuerit versatum circa vitam, famã, honorem &c. Tertiò, quia negari non potest, quin maior quædam vnio moralis reperiatur in auditione plurium cõfessionem in peccato mortali, quam sit in pluribus homicidijs successiuè factis, & in pluribus fornicationibus, siue cum vna, siue cum pluribus fœminis; nam confessio-

net facilius, & communius fiunt vna post aliam, non sic homicidium, non sic fornicationes; secunda namque fornicatio, nouam in fornicante requirit præparationem, nouam excitationem, quæ non requiruntur in plurium confessionũ auditione. Vnde potius admitterem peccati vnitatem in pluribus homicidijs successiuè ex eodem iræ impetu commissis sicut admittitur in pluribus iniurijs erga proximum; vt cum quis vocat alium furẽ, adulterũ &c. Et in pluribus blasphemijs, quam in fornicationibus: non solum quia secundum probabilem sententiam, & contumeliæ, & blasphemiæ omnes, sunt eiusdem speciei, sed etiã quia omnia ista successiuè facta, maiorem quandam habent vnionem, quam habeãt fornicationes, ob rationem tactam.

Inquires quartò, an oscula, tactus &c. quæ præcedunt, & subsequuntur copulam, vnum compleant peccatum? Respondetur vnum integrare peccatum, dummodo oscula, & tactus, qui præcedunt, ad copulam ordinentur, & qui subsequuntur, ob nouam non fiant; si enim oscula, & tactus præcedentes ob copulam nõ fuerint facti, sed casu, & deinde copula sequuta fuerit, verius videtur, quod sint peccata distincta, quia tunc non censentur facere vnum, cum copula, tanquam illius exordium. Similiter qui subsequũtur, si fiant ad nouam copulã initiandam, etiamsi illa non sequatur, peccatum distinctũ erunt à prima copula, cum tunc non censeantur primæ copulæ complementum.

Inquires quintò, quid facere debeat pœnitens quãdo non habet numerum, & species peccatorum? Conueniũt Theologi non sufficere pœnitenti sua confiteri peccata mortalia in genere, sed debere illa etiam in numero confiteri, non tamen necessarium est vnumquodque sigillatim dicere, sed sufficit numerum determinatum proferre, vt commisi decem fornicationes, tot blasphemias protuli, &c. Difficultas solum est, quando pœnitens numerum non habet peccatorum, vt sũt

meretrices, concubinarij, & alij ceteri. Respondeo tunc sufficere dicere animi præparationem, & tempus quo in tali peccato fuit: semper tamen obseruandum est, vt saltem frequentiores species, & magis extraordinariæ dicantur: Et aduertere debet Cõfessarius, ne nimijs interrogationibus pœnitétem grauet, ne confessionem reddat exosam, & sic retrahantur pœnitens à confessionibus, neque debet omnino relinquere interrogationes, vt volunt aliqui, dicentes sufficere pœnitentem audire, & absoluere, cùm officium iudicis non fiscalis, non Aduocati agat.

Sed hic inquiret aliquis primò, an meretrix, & quilibet alius, qui grosso illo modo confessi sunt, si postea ad clariorem deueniant notitiã, debeant postea illa explicare. Est probabilis aliquorum sententia, vt Vasquez q.91. art. 1. dub. 5. Card. de Lugo disput. 16. nu. 582. quod nõ, secundum quam sententiam Confessarius facile expedire se poterit ab illis, qui similes fecerunt confessiones, vt sunt pueri, rustici, & alij similes, qui postea ad clariorem deuenientes cognitionem, volunt generales facere confessiones. Sed quia huius sentẽtiæ fundamentum videtur esse quod talia fuerint confessa, saltem vt dubia, (alioqui, si neque vt dubia fuissent cõfessa omnino confiteri deberent, cum sit de fide ex Tridẽtino sess. 14. cap. 5. & can. 9. omnia peccata quoad numerum, & speciem debere confiteri,) & hoc fundamentum fuerit à nobis supra ex Diuo Thoma, & Tridentino reprobatum: ideo puto verius, talia peccata esse confitenda; excusarem tamen à talium peccatorum confessione, in duplici casu: Primus est, quãdo quis cõfitetur peccata prout illa commisit; ita quod si certa, vt certa; si dubia, vt dubia; si mortalia, vt mortalia; & si venialia, vt venialia; 2. quando ita illa confitetur, prout in scientia Dei sunt, vel alio simili modo; tunc enim temporis, non confitetur illa, vt dubia, nec quoad substantiam, speciem, & numerum, Confessarius tamen prudens,

ex modo quo confitetur sufficientem colligit esse confessionem, pro qualitate, & cõditione personarum, quod iudicium Confessarij, semper præsumi debet, nisi de opposito constet.

Inquiret secũdò, quomodo Confessarius moralem intelliget retractationem, à qua nõ à physica, desumitur peccatorum numerica vnitas: pro huius difficultatis intelligentia aduerte, quod actus dupliciter retractari potest, physicè, & moraliter: v.g. cœna retractari potest physicè, cum quis ab ea surgit; siue animũ habeat reuertendi, & continuandi illam, siue non; & moraliter ad quod non sufficit, quod ab ea surgat cum animo non reuertendi, & continuandi illam, sed etiam quod tale tempus intercedat, quod prudentis iudicio moralem ponat discontinuationẽ, quod tempus secundum aliquos est vnius horæ spatium, quod nimis videtur; secundum alios dimidiæ horæ, vel quod verius videtur, vnius quadrantis; vel iudicio prudentis; & ratio est, quia vnitas moralis, moraliter considerari debet, sicut physica physicè; ergo sicut physica vnitas physicam requirit continuationem, ita moralis moralem, vnde sicut vnitas physica tollitur per physicas interruptiones, sic moralis per morales; & sic moralis vnitas per physicas tantum non tolletur interruptiones; sed per morales, quæ tempus morale requirunt assignatum. Per quã doctrinam facile possunt Cõfessarij se expedire maxime à scrupulosis, qui in actibus internis plures habent retractationes, & cum putent tot esse peccata, quot retractationes, multũ detinent confessarios in illis recẽsendis, infinitas referendo reflexiones &c.



QVAE-

QVAESTIO VI.

Explicantur, quæ ad circunstantiam quis pertinent.

CIrcunstãtia *quis* est circunstantia personæ, quæ dupliciter solum, ordinẽ dicere potest, ad regulas morũ, vel quia dicit specialem oppositionem inter actum, & personam, vt est actus incontinentiæ in religioso, vel alio castitatis votum habente, similiter vt est peccatum luxuriæ in vxorato cum alia &c. Item omnia peccata, vel ex malitia, vel contemptu; in persona maioris virtutis, sciẽtiæ, dignitatis, &c. ratione quarum conditionum, magis dedecet peccare. Ob eandẽ rationem exercitium alienæ iurisdictionis talem affert oppositionem, vt cum laicus alterius vsurpat potestatem iudicando, sententiando &c. similiter cũ vsurpat laicus Sacerdotis potestatem celebrãdo, sacramenta conficiendo, &c. hæc & alia huius generis cætera dicunt ordinem ad regulas morum ratione specialis oppositionis inter actum, & personam.

Vel quia persona supra suã reflectitur conditionem, præferendo se, vel subijciendo se alijs; qua ratione diximus supra disput. 2. q, 4. contritionem esse aliquo modo pro peccatis satisfactionem; & quomodo in satisfactione attendi debeat personæ subiectio, sicuti in offensa fuit cõtemptus. Sed quia hoc secundum communiter solum affert circunstantiam aggrauantem, quam diximus non esse necessariò explicandam, sicuti est in primo casu quoad peccatum ex malitia, vel cõtemptu in persona maioris virtutis, scientiæ &c. nisi cõtemptus sit formalis, de quo suo loco, ideo solum restat aliqua adducere circa primũ Est ergo certum alienam vsurpantem iurisdictionem in materia graui debere hoc explicare in confessione, cum specia-

ſpecialem contineat deformitatem, vel iniuſtitiæ, vt in laico reſpectu iuriſdictionis laicalis; vel contra religionem, vt quando ſpiritualis iuriſdictio vſurpatur. Eſt etiam certum vxorem debere ſuum ſtatum Sacerdoti neſcienti explicare, vt ſciat illud peccatum eſſe adulterium, contra conſortis ius. Eſt item certum habentem caſtitatis votũ debere id ipſum explicare in peccato contra caſtitatem; tamen, quia de hoc ſpeciales ſunt difficultates, breuiter illas referemus, & ſoluemus.

Prima difficultas, an Sacerdos, vel religioſus profeſſus, qui contra caſtitatis votum peccauit, debeat explicare, an votum quod habet ſit ſimplex, vel ſolemne. Dependet præſentis difficultatis reſolutio ex illa quæſtione, quæ in materia de voto pertractatur an nimirum votum caſtitatis ſimplex, & ſolemne ſint eiuſdem ſpeciei; illi qui volunt eſſe eiuſdem ſpeciei, vt Sanchez de matrim. to. 2. lib. 7. diſput. 27. num. 27. & alij volunt id ſufficere, quæ ſentẽtia ſaltem per principia extrinſeca eſt probabilis; illi vero qui voluut eſſe diuerſæ ſpeciei, vt Aragonius 2. 2. q. 88. art. 7. & D. Thomæ diſcipuli, probabilius negant id ſufficere: ſed de hoc ſuo loco.

Secunda difficultas, an habens votum caſtitatis peccet contra caſtitatem, ſi ſuadeat alteri, quod contra eandem peccet caſtitatem. Videtur mihi certum, quod habens votum caſtitatis, ſi ſuadeat peccatum contra caſtitatem alteri, non habenti tale votum, non peccare contra votum caſtitatis proprium; ratio eſt, quia qui votum vouit caſtitatis obligauit ſe ad ſeruandam caſtitatem, non vero ſe obligauit vt non inducat alios ad non peccãdum contra caſtitatem; vnde religioſus, qui ſuaderet ſæculari vt concubinam adiret & cum ea peccaret, non teneretur in confeſſione proprium caſtitatis votum aperire. Videtur etiam mihi certum, quod ſi habens votum caſtitatis ſuadeat peccatum contra caſtitatem, illi, qui voto adſtringitur

gitur castitatis, non teneatur votum illius explicare, ratio est, quia vt dixi non peccat talis suadens contra propriũ castitatis votum, quia meum votum me obligat, vt sim ego castus, non tamen per tale votum me obligaui ne suaderem alijs castitatis violationem, vel peccata contra castitatem; nec contra votum castitatis alterius cum alterius votum me non afficiat. Tum quia, talis suasio non opponitur castitati, sed charitati cum sit peccatum scanduli; quod vt diximus in materia de scandalo, charitati opponitur, siue sit scandalum directè, cum alterius ruina intenditur; siue sit scandalum indirectè, quando scilicet quis positiuè neminem ad malum inducit, sed solum præuidet, alios ex suo dicto, vel facto ruinæ spiritualis occasionem sumpturos, in quibus scandalis cum charitati opponantur non est necesse nec personarum numerum, nec conditionem exprimere; sed solum scandali peccatum fateri: si ergo talis suasio non est peccatum contra castitatem, sed contra charitatem, vel contra misericordiã spiritualem, non erit contra alterius votum, ac proinde religiosus suadens, vel consulẽs alteri religioso, vt violet castitatem, nec proprium, nec alterius violat votum, ac subinde satisfaciet; si sic confiteatur *peccaui contra charitatem fraternam*, vel *contra misericordiam spiritualem proximi*, vel melius *scandolizaui proximum meum in materia graui*. Hinc deducitur, quod si religiosus faciat se ipsum pollui ab alio religioso debet religiosus pollutus suum votum explicare, non religiosi polluentis, & religiosus pulluens nec suum, nec polluti votum explicare tenetur, nisi & ipse sit pollutionẽ passus, vel veneream delectationem. Ratio est ex dictis, quia religiosus polluens, nisi & se ipsum polluat, vel delectationem habeat, rationẽ puri instrumenti habet, ad quod ex vi voti non se obligauit, peccat tamen contra castitatem, quia alterius peccato contra eadem castitatẽ cooperatur, vnde sufficiet si

dicat,

dicat, *alium pollui*, & pollutionē passus satisfaciet dicendo, *alienis tactibus sui pollutus.* Sed oppositum est suadendū.

Tertia difficultas, an sponsus, & sponsa carnaliter se commiscentes, vel alij cum ijsdem, teneantur talem fateri circunstantiam. Tres sūt sententiæ probabiles; prima est affirmatiua. Hanc tenet Naldus in Sum. V. sponsalia nu. 12. & alij: secunda affirmat de sponsa, negat de spōso. Hanc tenet Villalobos post alios to. 1. tract. 9. dub. 36. num. 16. Tertia absolutè de omnibus negat. Hanc tenet post alios Megala in 1. part. lib. 5. cap. 11. q. 5. nu. 9. & ratio est, quia ratio spōsalium est solum circunstan- aggrauans, ac proinde non necessario confitenda, sed de hac re sermo reddibit suo loco.

Quarta difficultas est, an virgo quando prima vice peccat contra castitatem teneatur hanc circunstantiam in confessione aperire? Id volunt aliqui tam in masculo quam in fæmina. Alij id volunt in fæmina, non in Masculo. Alij in nullo: ita Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 4. nu. 5. & alij plures, quos congerit Diana de *circūst. aggrauant.* resol. 11. quod à fortiori habet verum in delectationibus, & desiderijs internis: & sic, qui desiderat virginem non debet hanc circunstantiam fateri, nisi intēderet illius violentiam; ratio est, quia virgo est sui corporis domina, & sic, si semel ipsa cōsentiat, non nisi simplex intercedit fornicatio.

Quinta difficultas, an cōfessarius, qui cū proprio peccauit Pœnitēte teneatur hāc circunstantiam fateri? vera & communis resolutio est negatiua, cum hoc peccatum specialem non afferat malitiam ratione confessionis.

Sexta difficultas, an qui aliquod commisit peccatum cuius antea periculo se exposuit, teneatur periculi circunstantiam aperire? Respondet negatiuè Diana loco citato resol. 44. quando inter periculum, & peccatum moralis non intercessit interruptio, secus quando illa intercessit. Sed pro hac re melius intelli-

genda nota, periculum esse duplex, formale, & probabile: formale tunc est quando quis certò credit se peccaturum; probabile tunc est, quādo id non est certum, nec vt in plurimū cadit, sed est probabile quod cadet, & est probabile quod non cadet. Et de hoc probabili periculo dico, non esse peccatum illi se spōtè exponere, cum vnicuique liberum sit opinionem sequi probabilem. De formali vero periculo dico non licere illi se exponere alioqui amabit illud, iuxta illud *qui amat periculum, peribit in illo*. Sed de hoc magis alibi.

Septima difficultas, quot peccata committat religiosus, qui Prælati præceptum transgreditur. Respondetur cum Ledesma, Caietano, & Soto, quos refert Diana vbi supra resolut. 16. quod vnum tantum peccatum committat contra obedientiæ votum, & ratio est, quia præceptum in tantum imponitur, in quātum id exigitur ad hoc vt votum suam explicet obligationem, vnde non habet specialē malitiam, sed solum illam, quam à voto participat, quod maxime habet verum in mea religione, vbi religiosus ex vi voti, nunquam sub mortali, Prælato obedire tenetur, nisi talis obligatio per præceptū sibi manifestetur; Tum quia materia præcepta, nec præceptum ipsum] me obligaret, nisi talem obligādi vim à voto, quod ego emisi obediendi, mutuaret; vnde licet præceptum transferat rem præceptam ad specialem virtutem, hæc tamen translatio ortum habet à voto, & materialiter importatur ab illo; Et sic, si Prælatus præciperet mihi ieiunium, & illud non facerem non committerem tria peccata, vt aliqui volunt, vnum contra votum, aliud contra præceptum, & tertium contra virtutem temperantiæ, ad quam materia præcepta fuit translata, sed vnum tantum, contra religionem, seu contra votum, quod tunc me obligat ratione talis materiæ sic præceptæ, & sic, & materia præcepta, & præceptum ipsum tunc temporis proprias non afferunt malitias, cum solum assumantur in in instrumenta

decla-

declaratiua meæ obligationis, ex vi voti.

Sed dices cum Lugo supra nu. 172. cui oppositum magis placet, quod sicut religiosus per votum paupertatis promisit seruare iustitiam, non accipiendo ex rebus conuentus absque Prælati licentia, & si accipiat, & peccat contra votum, & contra iustitiam, & si præceptum accederet, contra idem præceptū peccaret; ergo similiter si transgrediatur ieiunium præceptum & peccabit contra temperantiā, & contra votum, & contra præceptum. Respondetur religiosum dum vouit paupertatem non se obligauit seruare iustitiam, sed ad non habendum alicuius rei dominiū neque vsum independentem, & si, vsurpando bona Conuētus sine debita venia peccat contra iustitiam, ideo est, quia iam talis materia supponitur, non quia fiat per votum, vel per præceptum, & sic, in trāsgressione voti paupertatis duo intercedunt peccata, vnū contra iustitiam, quod etiam antecedenter ad omne votū fuisset, aliud cōtra votū, quod quis sponte emisit. At vero in nostro casu talis nō supponitur materia grauis, sed assumitur per præceptum, vt purum instrumentum, ad hoc, vt votum suam explicet obligationem.

Dices etiam, quia si Ecclesia præciperet tale ieiunium, transferret illud ad temperantiæ materiam; & sic, qui tale ieiunium non faceret, intemperantiæ peccati reus esset; ergo. Respondetur quod in casu, quo Ecclesia tale ieiunium præciperet, vnum solum peccatum committeret transgressor contra temperātiam, ad quam materia illa præcepta, per præceptum esset translata, non contra præceptum; nisi adesset præcepti, vel præcipientis contemptus: At in nostro casu talis intemperantiæ peccatum non adesset. Et ratio discriminis est, quia in casu nostro præceptū, & res præcepta nō inspiciuntur nec assumuntur nisi vt media ad declarādum ex vi voti obligationem, quæ alias nulla esset; at in casu Ecclesiæ præcipientis ratione generalis subiectionis, non specialis,

non spontaneæ, talis adesset præcipiendi potestas. Non est tamen eadem ratio de transgrediente votum, qnod iuramento confirmauit quia licet iuramentum factum Deo, dicatur rationem voti habere quoad potestatem dispensandi &c. nō tamen quoad proprias rationes formales, nam violatio voti est contra fidem Deo datam, violatio vero iuramenti est contra obligationem non adducendi Deum in testem falsi. Vnde qui violaret votum iuramēto firmatum duplicis peccati reus esset: oppositum tamen sua non caret probabilitate, quādo iuramentum religionis intuitu est emissum, de quo alibi.

Octaua difficultas, an Eunuchus, vel frigidus fornicans teneatur illam circunstātiam explicare. Respondetur affirmatiuè, ratio est, quia illa circunstantia transferre videtur tale peccatum ad aliam speciem, nempe ad peccatum contra naturam, cum nulla in tali peccato esse possit generatio, & naturæ finis destruatur, sed de hac materia sermo redibit in tract. de matri.

Nona difficultas, an explicari debeat personæ peccantis dignitas? Respondetur negatiuè, nisi adsit scandalum: ratio est, quia talis circunstātia est solum aggrauans, & sic non explicanda. Eadem resolutio est de Gubernatore, vel alio simili, qui tenetur ex iustitia furtum. v.g. impedire, si enim & ipse furetur non tenetur illam circunstantiam declarare, sed solum quando illa furta non impedit, ad hoc enim secundum, se obligauit ex vi officij ad primum autem nequaquam; sicut vineæ custos non tenetur sua furta cū tali circunstantia in cōfessione aperire, sicut tenetur quādo aliorum furta non impedit. Eadem item resolutio est de Sacerdote percutiēte laicum, quod nimirum non teneatur dicere se esse Sacerdotem, est enim solum circūstantia aggrauans, non mutās speciem, cum talis percussio non dicat specialem oppositionem cum virtute, ratione personæ.

Decima difficultas, an ille, qui ex ignorantia vincibili pecca-

paccauit, tenetur talem ignorantiam fateri, an vero sufficiat, quod tale peccatum fateatur, sine vlla ignorantiæ mentione. Respondetur hoc secundum sufficere, est communis Theologorum sententia, quam post alios optimè defendit Sanchez in pręcepta lib. 1. cap. 17. nu. 15. & lib. 2. cap. 7. num. 24. vbi contra aliquos probat hoc idem dicendum esse de ignorantia mysteriorum fidei. Ratio clara est, quia peccatum ex ignorantia, & ex certa scientia sũt eiusdem speciei, parum enim refert quod Missam non audias in die festo, ex certa sciẽtia, vel ex malitia. Excipiuntur tamen aliqui casus. Primus est, quando ignorantia à censura excusat, tunc explicari debet, vt sciat Confessarius non adesse censuram. Secundus, quando ob ignorantiam exponitur periculo committendi peccata alterius speciei, vt cum quis fuit fornicatus, ignorans, an illa esset soluta, vel vxorata, vel castitatis voto adstricta. Aliqui addunt quando ignorantia esset affectata, sed hæc circunstantia non videtur nouam afferre malitiam supra peccatum ex certa scientia factum, imò aliqui volunt adhuc esse maius peccatum, peccare ex certa scientia, quam ex ignorantia affectata, cum peius videatur violare præceptum notũ, quam illud nolle scire, vt sine remorsu violetur.

Sed dices, quia qui res fidei ignorat ignorantia culpabili, quando eas scire tenetur, non peccat peccato infidelitatis; ergo peccatum ex ignorantia, & ex certa scientia non sunt eiusdem speciei. Antecedẽs patet, alioqui qui sic res fidei ignoraret fieret infidelis, fidem amittendo quod non videtur dicendum: certè nimis durum videtur, quod illi, qui ignorantia vincibili res fidei nesciunt, sint infideles, vel hæretici, maximè cum hæc peccata pertinaciam requirant, quæ in tali ignorante non reperitur. Consequentia etiam patet, nam peccatum contra fidem ex certa scientia est peccatum infidelitatis, vel totalis, vel partialis, &c.

Respondetur distinguendo Ante-

Antecedens, qui ignorat mysteria fidei, quæ scire tenetur non peccat peccato infidelitatis perfectæ, & consumatę, & conceditur: non perfectæ, & non consumatæ, & negatur; fides autem non destruitur per quodlibet peccatum infidelitatis, sed per perfectũ, & consumatum; cum enim fides sit assensus certus, & determinatus diuino innixus testimonio, quandiu hæc ratio formalis non destruitur, nunquam fides amittitur; hæc autem ratio formalis non destruitur, nisi per peccatum infidelitatis perfectũ, quo quis positiuè diuino non assentitur testimonio, sed de hac re suo loco.

Vndecima difficultas, an Pœnitens habeat obligationem confitendi consuetudinem peccandi? Respondetur negatiuè: ita Bonacina, & alij plures apud Dianam supra resol. 15. nisi quando quis cognosceret consuetudinem fuisse proximam occasionem, vel periculum peccandi, & non peccasset, vt supra de periculo proximo dicebamus. & ratio est, quia sicut nulla est obligatio confitendi periculum quãdo hoc cum peccato coniungitur, sed sufficit confiteri peccatum; ita non est obligatio confitẽdi consuetudinem quando hæc cum peccato coniungitur, sed sufficit confiteri peccata, quibus confessis & ipsa consuetudo confessa censetur, secus quãdo separata daretur, vt de periculo dicebatur. Difficultas esse potest, an teneatur quis curare auferre peccandi consuetudinẽ? conueniunt omnes obligationem esse tollendi consuetudinem peccandi ex aduertẽtia, sicuti est obligatio tollẽdi proximum peccandi periculum.

De consuetudine peccandi sine aduertentia est aliqualis inter Theologos difficultas, aliqui namque absolutè id volunt, alij absolutè id negat, alij distingunt de consuetudine committendi actus indeliberatos, qui adhuc malitiam conseruant obiectiuã vt est homicidium, pollutio, &c. & de istis dicunt esse obligationem tollendi hanc consuetudinem, & ratio est,

quia

quia licet actus illi de facto non sint peccata ob indeliberationem, suam tamen obiectiuam retinent deformitatē, & sunt peccata mortalia materialiter, & secundum se, ac proinde tenetur vnusquisque illa impedire; alioqui, qui obseruasset se in somnis, vel ebrietate solere homicidia committere, non haberet obligationem, nisi vt nō inebrietur, vel vt nō detineat arma prope lectum, ne aliquem occidat. Vel consuetudo est committendi actus indeliberatos, qui prout sic, malitiam non retinent obiectiuam, vt sunt contumeliæ, blasphæmiæ, & iuramenta, & de illis dicunt nullum esse obligationem talem tollendi consuetudinem. Hanc sētētiam tenet Sanchius apud Dianam supra resol. 55.

Mihi magis placet esse obligationem tollendi vtramque consuetudinem, & ratio clara videtur, quia negari nō potest, quin tales blasphemiæ sine rationis vsu prolatæ, licet obiectiuam non conseruent malitiam, maximam tamen afferrunt indecentiā; vnde audientes non solū mirantur, verum etiam non benè audiunt, & horrescunt tales audire materiales blasphemias. An autem Pœnitens teneatur respondere cōfessario interroganti de consuetudine peccādi? negat Sāchius vbi supra, quia obligaretur bis eadem cōfiteri peccata. Varius affirmant alij, quia cum confessarius sit iudex, ius habet petendi à penitente ea omnia, quę sibi necessaria videntur ad Pœnitētis statum percipiendum.



QVAE-

QVAESTIO VII.

De circunſtantia Quid, *& de pertinentibus ad ipſam,*

AD circunſtantiam *quid* pertinent ea, quæ ad perſonam, cum qua peccatur pertinent, item quæ ex parte rei volitæ ſe tenent; & effectus ex peccato ſequutus, de quibus aliquæ difficultates proponentur & ſoluentur, ex quarum ſolutionibus colligetur, quid in alijs ſimilibus dicendum ſit.

Prima difficultas, an Pœnitens debeat explicare peccatum conſumatum, quando illud conſumauit, an vero ſufficiat cuiuſque peccati initium in confeſſione deponere? v.g. quis peccatum cõmiſit fornicationis, an ſatiſfaciat dicendo peccaui grauiter contra caſtitatem cum ſoluta; quis vnam ex ſe committit pollutionem, an ſatiſfaciat ſi dicat, tetigi me libidinosè grauiter, ſeu in materia graui contra caſtitatem; quis alium occidit, an ſatisfaciat ſi dicat, læſi grauiter proximum in vita, & ſic deinceps. Ad quod reſpondeo quod cum peccatum vt conſumatum non addat ſupra ſe ipſum niſi circunſtãtiam aggrauantem (non enim peccati conſumatio nouam addit ſupra ſe ipſum ſpeciem,) & circunſtantia aggrauans in ſententia D. Thomę, & noſtra non ſit neceſſario in confeſſione deponenda, ſequitur, quod quando quis ſua confitetur peccata, non teneatur conſumationis circunſtãtiam confiteri; ſolum præ oculis haberi debet ne ſpecies varietur, tunc enim temporis, vt ex ſe clarum eſt, non ſufficiet; & quia cõmunior Theologorum ſententia eſt, quod tactus ſpecie diſtinguantur à copula perfecta, ideo ſi quis fornicationem commiſit, non ſatisfaciet dicendo *tetigi impudicè fœminam*: ſimiliter qui ſe ipſum polluit non ſatisfaciet dicendo *me ipſum impudicè*

dicè tetigi, cum pollutio, & tactus specie, secundum veriorum sententiam, distermi-nentur; quando tamen actus principalis explicatur, explicari censentur secundarij, ob idque diximus supra non esse necesse fateri distinctè oscula, & tactus, qui copulã præcedunt, & subsequuntur. Hinc resolues dubium quod communiter proponitur, an in sodomiæ peccato necesse sit explicare fuisse agẽtem, vel patientem. Lugo namque hic disput. 16. nu. 143. tenet debere illam circũstantiam explicari, quia ex parte vnius interuenit pollutio, non ex parte alterius. Diana vero de sacram. resol. 156. apud Lugũ loco citato id negat; & ratio est duplex: prima, quia esse agentem, vel patientem in tali peccato est solum circunstantia aggrauans, in quantũ quod vnus polluitur, & magis peccat, alter cooperatur, & minus peccat. Secunda, quia est Filliucij, Machadij, Caramuelis, & Mazuchelli, apud Dianam p. 7. tract. 10. resol. 8. sententia, quod omnia peccata cõtra naturam sint eiusdem speciei infimæ de quo alibi. Idem dicendum est de sodomia cum fœmina, quod nimirum non sit necesse hanc circunstantiam explicare, nisi vbi sodomia est reseruata, quia reseruatio de perfecta intelligitur sodomia, quæ non est inter personas diuersi sexus, vt omnes tradunt. Imò sodomia inter ipsas fœminas nõ est peccatum reseruatum, nisi in casu quo fęmina, medio aliquo instrumento, seminat intra vas alterius, quod aliter fieri nõ posse dicunt. Addunt aliqui non improbabiliter, peccatum sodomiæ, quando reseruatur, nisi aliud exprimatur, de solo agente intelligi debere, & quando seminat intra vas; vnde sodomia inter illos, qui nondum seminant vt sunt impubes, non est reseruata. Aduerte etiã quod P. Diana diligentissimus sententiarum perquisitor par. 3. tract. 4. resol. 101. docet in peccato sodomiæ nõ esse necesse explicare gradum affinitatis, vel consanguinitatis, cum hi sint in ordine naturali, non contra naturam, quod etiam admittunt alij aliqui.

Vide eundem auctorem p.7. tract.12.resol.23. vbi ex Mazuchello docet in peccato sodomiæ non esse explicandam personam cum qua peccatur, sed satisfaciet dicendo *peccaui toties contra naturam*;& per hanc doctrinã liberauit Diana quendam vxoratum, qui verecundabatur fateri se ita, cum propria vxore peccasse. Imò volunt aliqui nõ esse necesse,quod vxoratus hãc circunstantiã explicet; cum ius vxoris non violet, nisi quãdo alterius tori est violator, & quando redditur impotens ad reddendum debitum &c. sed de his in tractatu de matrimonio, Deo dante, sermo redibit.

Secunda difficultas,an qui peccat contra aliquam materiam duplici præcepto præceptam, vel prohibitam, teneatur talem deponere circunstantiam; quis v. g. non audiuit sacrum in die Dominico in quo incidit festũ alicuius sancti, vel non ieiunauit in aliqua vigilia sancti alicuius in quadragesima, &c. Respondetur non esse talem obligationẽ,quando illa præcepta ex eodem motiuo procedunt, vt in casibus dictis; nam sacri auditio est ex eodẽ religionis motiuo, & ieiuniũ ex eodem motiuo temperantiæ, &c.

Tertia difficultas, an coniugatus quãdò cum alia peccat coniugata teneatur explicare in confessione vtriusque statum, similiter religiosus qui cum alio religioso peccauit teneatur id in confessione manifestare.

Respondetur quod nõ, sed sufficiat coniugato si dicat commisi adulterium, nec est necesse, quod dicat coniugiũ suum, & complicis; similiter religiosus, qui cum religiosa, vel religioso peccauit,sufficit, quod suum exprimat peccatum absq; alterius status manifestatione. Et ratio clara est, quia vxoratus committẽs adulterium cum alterius vxore, si deberet hoc explicare, vel hoc ideo esset, quia essẽt duo adulteria,numero diuersa,vel specie;nõ numero,quia secundum sententiã D.Thomæ, & nostram in eodẽ actu non possunt esse duo,vel plura accidẽtia solo numero distincta,

stincta, & sic eadem copula vxorati, cum vxorata, nequit duas adulterij malitias solo numero diuersas habere.

Neque specie, quia adulteria illa, imò & omnia, vt talia, sunt eiusdem speciei; iniuria namque quam vxoratus suæ facit vxori adulterando, non est specie diuersa ab illa iniuria, quam adultera suo facit marito.

Respondet Lugo loco citato, nu. 258. re vera fundamentum duarum malitiarum solo numero distinctarum in eodem actu, nō esse sufficiēs, seu conuincens, ad adstruendas duas illas malitias, & ad imponendam pœnitenti obligationem deponendi vtriusque statum, sed dici debere illas duas malitias esse specie differentes, quia diuersa est obligatio, qua ego debeo esse castus, ab illa, qua ego debeo non esse alteri causa quod peccet contra castitatem; & sic diuersa est obligatio, qua vxoratus tenetur non lædere ius propriç vxoris, ab illa, qua tenetur facere quod alter nō lædat ius alterius. Sed hæc doctrina semper mihi falsa visa fuit, quia vt disput. 1. huius tractatus docuimus vna, eademq; virtus, quę me inclinat vt sim castus, inclinat etiã me, vt velim alios esse castos, eadem charitas, quæ me inclinat, vt Deum ex puro corde diligam, inclinat etiã me, vt id velim in alijs, eadem tẽperantia, quæ me inclinat vt sim temperatus, inclinat me, vt desiderem alios esse temperatos, alioqui deberẽt multiplicari virtutes; & sic deberet dari vna charitas, quæ me inclinaret ad diligẽdũ Deum super omnia, & alia, quæ me inclinaret ad id volendum in alijs, &c. Eadem ergo virtus, quæ inclinat primariò vxoratũ ne ius propriæ violet vxoris, inclinat eundem secundariò, ne violet ius alterius: Si enim principium illud naturale: *quod tibi non vis fieri*, est ratio à priori inclinans in illud, *alteri ne feceris*, nec hoc secundum nouam affert difficultatem, pro qua superanda noua synderesis vis addi debeat; quare etiam illa inclinatio, qua vxoratus inclinatur in hoc, quod ius, quod in propriam habet vxorem non

violetur, non erit sufficiens, ad inclinãdum, ne velit, quod non violetur ius alterius?

Quarta difficultas, an ille, qui se de aliquo peccato iactauit, vel se, vel alium de aliquo peccato laudauit, debeat peccatum, de quo se iactauit, vel laudauit explicare? de peccato iactantiæ procedit difficultas, nam laudare se, vel alium præcisè de dexteritate, de arte, de inuentione, de viribus, quæ in ipso peccato patrato manifestantur, licet sit quædam iactantia, non tamen est peccatum mortale. De sola ergo iactantia est difficultas, nam si simul cum iactantia etiam desiderium, vel complacentia reperiatur, certum in omnium sententia est, debere peccatum de quo talis habetur complacentia, vel desiderium manifestari, quando tamen complacentia esset efficax, quia quãdo non est efficax, est aliquorum sententia non debere explicari, saltem quoad omnes conditiones, quas habet illud peccatum à parte rei, vnde si quis simplicẽ habeat complacentiam de copula habita cum vxorata, dicunt non habere malitiam adulterij, sed simplicis fornicationis, vt dicitur de delectione morosa, vt suo loco dicetur.

Sunt duæ sententiæ; prima est, quod tale peccatum de quo quis se iactauit debeat in confessione explicari. Hanc tenet Sanchez summa to. 1. lib. 1. cap. 3. num. 23. vbi citat Lopez, & Rodriquez, sed isti vt benè obseruat Diana de sacram. resol. 161. loquantur in casu, quo quis complacet sibi de peccato de quo se iactat.

Secunda sententia verior, & probabilior; quam tenet Diana supra, post Nauarrũ, & Lugo supra, nu. 268. post Palaum, est quod sufficiat dicere *gloriatus sum*, vel me iactaui de peccato mortali, absque eo quod peccati speciem explicet, & ratio est, quia in peccato iactantiæ, peccatum illud de quo quis iactatur nõ terminat ratione sui, nec specificat iactãtiam ratione sui, sed ratione gloriæ captandæ, ergo non est necesse peccatũ illud de quo est iactãtia manife-

nifestare. Antecedens patet nam iactator, dum se iactat laudem prætendit, & vt laudem consequatur ex actione sua, assumit pro medio peccatum; ergo id quod terminat, seu quod specificat iactãtiam, non est peccatum ipsũ sed motiuum, nempe gloria, & laus, & sic, cum peccata specificentur à motiuo, non ab eo quod materialiter inspicitur, & motiuum gloriæ, & laudis possit desumi à peccatore ex omni peccato; sequitur, peccatum de quo quis iactatur, solum materialiter importari, ac proinde non debere ex necessitate explicari.

Hoc tamen intelligi debet quando iactantia aliam malitiam non affert, vt contingit quando quis iactando se de aliquo peccato, proximum infamaret manifestando v.g. complicem; vel quãdo grauis irreuerentia, vel iniuria sequeretur, vt cum quis iactatur publicè de cõtumalia, vel iniuria illata Principi, vel Prælato. Similiter quando scandalum non sequitur, nam si quis alium laudet de peccato, scandalũ facile oriri potest. Aduerte tamen iactantiam eandẽ habere malitiam, & esse peccatum eiusdem speciei, siue illud peccatum de quo est iactantia fuerit verè commissũ, siue non, nec esse necesse hanc circunstantiam in confessione declarare. Item aduerte, quod id quod dictum est de alterius laude, intelligi debere, etiam de alterius vituperio, quia tam in laude quam in vituperio, non est peccati species explicanda, cum oppositorum sit eadem ratio, & disciplina.

Quinta difficultas, an cõsulens opus illicitum teneatur illud explicare. Respondetur affirmatiuè, & ratio est quia consilium duplicem habet malitiam, scandali, cum proximum inducat ad peccatum, & malitiam contra illam virtutem contra quam consilium datur, cum directè illius virtutis transgressio suadeatur; sicut enim desideriũ efficax à re desiderata speciẽ desumit, ita consilium à re consulta. Quia tamen obseruaui communiter Pœni-

tentes

tentes solum se accusare de malo consilio dato, & confessarij etiam prudentissimi de hoc non sunt solliciti, dicerem non esse improbabile, saluo meliori iudicio, non teneri consulunté fateri materiam, de qua consilium dedit, sed sufficere si dicatur *male cō sului in materia graui*, imò & *peccaui peccato scandali*; cum enim consilium fraternæ opponatur correptioni, & pectum scādali eidē fraternę correptioni, vel virtuti misericordiæ spiritualis, cuius actus est correptio opponatur, sequitur quod si cōsilium aliā non afferat malitiā specificam, nō erit necesse peccatū illud de quo fuit consilium, deponere. Quod autem Consilium aliā non habeat malitiam quam scandali, patet, quia sicut in iactantia, peccati ratio attenditur ex motiuo gloriæ, vel laudis, non ab eo quod de materiali importatur, ita & in Consilio; consulens namque suo consilio; proximè ruinam sui proximi intendit, seu cōsulentis motiuum proximum, est sui proximi ruina, seu inducere, vel directè, vel indirectè proximum suum in peccatum, quod consulitur, vel etiam secundum alios captare, medio consilio, prudentis conceptum, & existimationem, quia tamen hæc ratio nisi directè intendatur, est solum circunstantia generalis, non est necessario in confessione deponenda. Similiter quod directè, vel indirectè, seu expresè, & minus expræsè proximi ruina intendatur, peccati speciem non mutat, cum solum se habeant, vt peccatum consumatum, & non consumatum si ergo motiuum consilij non est motiuum virtutis contra quam peccatur, sed solum illud vt medium assumitur, vel instrumentum, vel vt materia inductionis, alioqui cōsilium prauum, non esset in specie scādali; sequitur, quod consilium non habeat malitiā illius virtutis contra quam est peccatum, ad quod consulitur, ac proinde necesse non erit illud peccatum fateri, sed sufficiet dicere *consului peccatum graue*, nisi aliunde circūcunstantia alia adsit, vt odiū, inuidia, &c. vt si quis consu-

lat

lat homicidiũ ex odio, quod habet illius cuius homicidiũ consulitur.

Ad rationem in contrariũ, quod nimirum consilium habeat malitiam contra illam virtutem contra quam consilium datur, dico id non esse verum; cum consilium non habeat pro motiuo oppositũ illius virtutis formaliter, sed solum materialiter, & secundario; alioqui motiuum consilij, vt dictum est, non esset inductio directa, vel indirecta ad peccatum, nec esset consilium prauum in specie scãdali, quod dici nequit. Hoc ex opposito explicari potest, nam in omnium sententia cõsulens castitatem, actum non facit castitatis, nec habet tale consilium bonitatem castitatis: consulens ieiunium, nõ elicit actum temperantię, nec tale consilium bonitatem habet temperantiæ, nisi aliunde affectum habeat erga temperantiam; ita pariformiter ex hoc præcisè, quod quis consulit actum intemperantiæ, malitiam contrahit intemperantiæ, nisi aliunde tale consilium detur ex prauo affectu erga temperantiam, de quo nulla est controuersia.

Aliqui solent hic pertractare, an sit necesse explicare in confessione voti diuersitatem, an vero sufficiat dicere peccaui contra votum, vel cõtra religionem, & idem inquirunt de iuramento, sed quia hęc difficultas propriam habet sedem in materia religionis, ideo puto esse prætermittendam; solum vnum aduerto esse valde probabile omnia vota, & omnia iuramẽta esse eiusdem spei, prout præcisè vota continentur intra terminos voti, & iuramẽta intra præcisos iuramenti terminos, ideo præscindendo à materia, sufficiet dicere peccati contra votum. Disputant etiam aliqui hic, an sit necesse explicare species infidelitatis, nempe Iudaismum, Paganismum, & Hæresim, & Heresis speciem; sed & hæc disputatio ad 2. 2. pertinet, vbi Deo dante pertractabitur, pro modo dicere sufficiat tres illas species explicari debere, non tamen esse necesse specialem

cialem explicare hęresim, sed dicere sufficiet *habui errorem contra fidem*, vel habui assensum hæreticum.

QVAESTIO VIII.

Alia de circunstantia quid *explicantur*.

Explicuimus quæstione præcedenti plura, quæ de circunstantia *quid* dicuntur præsertim de hijs, quæ ad materiam circa quam peccatur, pertinent, nunc restãt aliqua explicanda de ijs quæ pertinent, vel se tenẽt ex parte personæ cum qua peccatur, vel contra quam peccatur, & licet regula tradatur generalis, quod tunc personæ circunstãtia explicari debeat, quando nouam refondit malitiam specie distinctã, tamen quia hoc in multis difficile explicatur, ideo ad aliquos casus particulares est descendendum.

Primus casus est, an si quis odio proprios habeat parẽtes, debeat hanc circunstantiam explicare, an vero sufficiat, quod dicat, *odio habui proximum meum*. Respondetur debere illam circunstantiã explicare, & ratio plana est, quia tale odium non solum est contra charitatem, verum etiam contra pietatem, qua filius tenetur non solum procurare bonum parentum, verum etiam bonum illorũ desiderare, cui desiderio tale odium opponitur. Vnde omnia peccata filiorum imparẽtes, hanc afferunt circunstãtiam, quæ bonum parentum grauiter lædit; Vnde si filius parentes percutiat, occidat, inhonoret, tenetur illã circunstantiam deponere: similiter si grauiter, proprijs, filius, detrahat, parentibus; si illorum bona dilapidet, quando tamen talis dilapidatio tanta esset, quod in necessitate, & angustia ponerentur, secus si tenuis sit dilapidatio; & sic, tunc filij familias

milias tenentur in furtis parentum hanc fateri circunstãtiam, quando furtum est adeo graue, quod non solum peccant contra iustitiam, verum etiam contra pietatem, quia scilicet ponitur pater in tali necessitate, à qua filius tenetur illum eripere. Hæc eadem circunstantia explicari debet à parentibus quando peccant in filios, licet materia grauior esse debeat, cũ minor sit obligatio parentum in filios quam filiorum in parentes, idem ferè dicendum est de peccatis mariti in vxorem, & e contra. An autem hæc obligatio extendatur ad fratres, puto extendi, sed non est ita facile peccare contra pietatem prout ad fratres extenditur, ac prout ad dictos. Ad alios gradus inferiores puto non extendi pietatem, ac proinde non esse necesse illam circunstantiam coniunctionis exprimere. Sed quia pietas non solum parentes respicit, verum etiam patriã, & patriæ patres; propterea si quis grauiter læderet patriã, vel patriæ patres, vt sunt principes, & gubernatores, teneretur hanc circunstantiã in confessione deponere, hoc tamen intelligi debet de læsione patriæ, qua patria est, & parentum patriæ, qua tales sunt: peccata vero, quæ committuntur cõtra alios superiores tunc nouam afferunt malitiam in confessione necessario deponendam, quãdo eorum superioritas offenditur, secus quando illa peccata non tangunt superiores, qua tales sunt.

Secundus casus, an si quis delectetur interius de obiecto malo, debeat circunstantiam, vel circunstantias obiecti, quibus à parte rei circunstantionatur, declarare. Quis v. g. in die veneris delectatur de esu carnium, an sit tunc peccatum, & debeat hanc circunstantiam declarare. Religiosus delectatur de sũptibus, quos faceret, si esset sæcularis, in hac, vel in illa, occasione. Quis delectatur de copula cum Berta vxorata, an debeat fateri circunstantiam mulieris alienæ. Regula generalis imprimis est, quod quando delectatio non est de re mala, vel ratione

sui, vel ratione conditionis appositæ, nullum est peccatũ; vnde si quis præcisè delectetur de esu carnium in die veneris, non peccat, ex eo quod præceptum de non commedendis carnibus, est de actuali esu, non de non delectando de illo: similiter religiosus, qui præcisè delectatur de sumptibus quos faceret, in illa, vel illa occasione non peccat, quia paupertatis votum ad illas, internas delectationes, non se extendit, sed solũ quod omne à se abdicet dominium, & vsum independentem: similiter non peccat, qui ratione conditionis appositæ, se ponit in tali statu, in quo talis res sibi licita esset; vt si quis religiosus se ponat mente in statu sęculari, dicendo si essem sæcularis, vellem ducere vxorem, & de hac delectetur, sub illa cõditione, non peccat; quia tale obiectum sub illa conditione, non est illicitum. Si tamen diceret si essem sæcularis vellem tenere concubinam; vellem fornicari; occiderem illũ; te percuterem, &c. tunc peccaret, quia illa conditio mutationis status; non reddit obiectum licitum, sed illicitum relinquit; nisi fortè illius mẽs esset, solum ostendere, quid faceret, si sæcularis esset, attenta propria inclinatione; eo namque casu non peccaret.

Si delectatio sit de re mala, vel est de re mala, quia prohibita, & de hac dicunt plures, quos retuli in prima secundę, quod non sit peccatum delectari de illa secundum se; vel est de re mala secundum se, & hæc certissimè est peccatũ, vt cum quis delectatur de fornicatione, de homicidio, de furto, &c. Difficultas solũ est, an tota obiecti malitia redundet in actum, an solum illa, de qua ipsa procedit delectatio. Exempli gratia, quis delectatur de vxore alterius, an talis delectatio, solam habeat fornicationis malitiam, an etiam adulterij.

Prima sententia est, quod tota obiecti malitia in actum delectationis redundet, & sic delectatio de vxore alterius habet malitiam, & fornicationis, & adulterij, & sic vtraque malitia est in confessione deponenda. Hanc sequitur

Lugo

Lugo hic nu. 383. & alij plures.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Delectatio de obiecto mala, non habet totam obiecti malitiam, sed illam solam de qua est delectatio; vnde qui delectatur de copula vxorata, nisi delectetur etiam qua vxorata est, solum malitiam habet fornicationis, & sic necesse non erit dicere in confessione statum obiecti, de quo talis fuit delectatio, sed sufficiet dicere delectatus sum de fornicatione.* Hanc sententiã sequitur Vasquez 1.2. disput. 121. & 112. Reginaldus, Sayrus, & alij, quos refert, & sequitur Diana *de circunst. aggrauant.* resol. 48. & part. 3. tract. 3. Miscel. resol. 34. & tractat. de sacram. resol. 67. Pro huius conclusionis intelligẽtia nota: actus voluntatis in duplici esse differentia, alij namque sunt efficaces, qui vt tales respiciũt executionem, & sunt desiderium, & omnes volitiones efficaces, quæ quãtum est de se, obiecti respiciunt consequutionem; alij sunt inefficaces, & sũt simplices rei affectus, circa obiecti consequutionem. Est autem differentia inter istos actus, quod illi, qui efficaces sunt, suam speciem sumunt ab obiecto, sic à parte rei circunstantionato; cum enim efficaces sint, obiectum habent respicere, seu in obiectum habent tendere prout est sic à parte rei circunstantionatum, ac proinde obiectum totam quam habet malitiam, in actũ refundit; at vero actus inefficaces, seu simplicis complacentiæ, non respiciunt obiectum secundum omnia, quæ habet à parte rei, sed solum secundum illam rationem, qua habet simplicem illam complacentiam mouere, excitare, & terminare; vnde si quis complaceat de alterius vxore, licet in hoc obiecto, de quo est complacentia sit ratio delectationis contra castitatem, & alterius iniuria; complacentia tamen non est de iniuria, sed de delectatione, & sic cum sola delectatio excitet complacentiam, sola etiam terminabit, & subinde specificabit, & ratio iniuriæ per accidens, & materialiter se habebit.

Hoc posito probat Vasquez nostram conclusionem, quia delectatio morosa non specificatur ab obiecto, sed à virtute cui opponitur, per oppositum, desiderium efficax ab obiecto specificatur, ergo obiectum suam refundit malitiam in desiderium, non in delectationem. Antecedens videtur supponere Vasquez. Consequentia patet, nã virtus cui apponitur delectatio de coniugata, non est iustitia, sed castitas, ac proinde hæc sola suam refundit malitiam; secus respectu desiderij efficacis.

Sed hanc rationem fusè impugnaui in p.2.in tract. de delectatione morosa. Nam vt rectè docet D. Thomas p.2.q.18. art.2.& q.19. art.1. & 2.& q.24.ar.4.& q.72.ar.1. & 2.& q.74.art.8.& alibi frequenter, omnis actus speciem sumit ab obiecto, est enim hoc commune Theologorũ, & Philosophorum pronũciatum. Tum quia, omnis voluntatis actus, siue efficax sit, siue inefficax, est tendentia in obiectum; ergo ab obiecto specificari debet. Tum etiã, quia ab eo actus specificatur, à quo malitiam sumit; atqui sumit malitiam ab obiecto, ergo ab illo specificatur; in tantum namque actus alicui opponitur virtuti, in quantum tendit in obiectum malum tali virtuti oppositum. Tum denique, quia idem est actum specificari per oppositionem ad virtutem, ac specificari per ordinem ad obiectum; cum enim actus virtuti non opponatur, nisi media materia, vel obiecto circa quod talis actus versatur, sequitur, quod idem erit actum specificari à virtute, & ab obiecto; vnde qui obscenè delectatur, in tãtum hæc delectatio castitatis virtuti opponitur, in quantum talis materia delectationis, castitati opponitur.

Vera ergo nostræ conclusionis ratio desumitur ex notabili posito, quod nimirum quando voluntatis actus est inefficax, non tendit in obiectum secundum totum quod est à parte rei, sed solum secundum quod mouet, quod excitat delectationem, atqui id quod excitat delectationẽ in delectatione copulæ, non

est

est quod illa persona sit vxorata, seu nō est alterius, nempe mariti illius, iniuria, sed solum explere libidinem; idē dic quando quis delectatur de Moniali, de matre, de sorore, &c.

Tertius casus, an in iudicio temerario necesse sit explicare personā de qua tale fuit iudicium. Respondetur negatiuè, vnde sufficit dicere habui tot iudicia temeraria de proximo meo, absque eo quod proximus nominetur; imò neque est necesse explicare iudicij materiam, vt iudicaui furem, adulterum, &c. quia in veriori sententia omnia iudicia temeraria sunt eiusdem speciei moralis, licet specie physica disterminētur; cum enim iudicium temerarium sit contra iustitiam commutatiuam, prohibentem ne lædam famam proximi mei, nec internè per iudicium, nec externè per detractionem, & cōtumeliam, sequitur omnia iudicia esse eiusdem speciei, sicut & omnes detractiones, & omnes contumeliæ.

Quartus casus, an sit necesse explicare effectum ex peccato subsequutum. Quis v.g. percussit aliquem grauiter, & postea dolens, vel confitens suum retractat peccatum, postquam retractationē mors percussi sequitur, an iste teneatur postea talem percussi mortē fateri? Quis præbuit alicui venenum, & statim de tali dolet peccato; vel cōfitetur illud, & cum non possit mortem impedire post aliquod tempus sequitur, an ille teneatur hoc homicidium confiteri?

Sunt duæ sententiæ extremæ: prima sententia est, quod sit necesse talem effectum sequutum in confessione deponere. Hanc sententiam sequitur Sanchez de lib. 9. de mat. disput. 45. nu. 30. & alij quos affert Lugo disput. 16. n. 439.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Nulla est obligatio confiteri dictum effectum subsequutum.* Hæc est communis Theologorum sētentia, quam defendunt communiter Expositores D. Thomæ 1.2. q. 71. art. 5. videatur M. Curiel ibidem dub. 3. §. 3. Bonacina de legibus disp. 2. quæst. 4. puncto 4. num. 8. & alij

alij quos affert, & sequitur Diana *de circunst. aggrauant.* resol. 64. & de sacram. resol. 67. Communis nostræ conclusionis ratio est, quia obligatio quam habent fideles ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. est confitendi peccata, sed effectus ex peccato sequutus non est peccatum, sed peccati effectus; ergo nulla est obligatio confitendi peccati effectum sequutum.

Confirmatur primò hæc ratio, quia posita peccati retractatione, effectus peccati non sequitur ex peccato, moraliter, sed physicè, & naturaliter; ergo nulla est obligatio talem effectum confitendi. Antecedens patet, nam si posita peccati retractatione adhuc effectus moraliter sequeretur, plura sequerentur absurda. Primũ quod tale peccatum non esset retractatum. Secundũ quod si ille, qui causam dedit illius effectus moreretur, deberet ex necessitate damnari, suppono enim quod talis effectus post illius mortem sequatur; si enim tale peccatum, vel talis effectus confiteri debet, quia homo tunc peccat quando effectus ille sequitur, si iste sequatur post mortem, post illam damnari deberet, vnde si iste esset in Purgatorio, vel etiam in cœlo ad inferos trãsire deberet, quod est absurdum. Tertiò sequeretur, quod quis gratiam amitteret, sine libertatis vsu, v.g. in somnis, vel in ebrietate, vt si quis in vigilia pollutionis causam dedisset, & statim retractans dormiat, vel inuoluntariè inebrietur, & tũc pollutio sequatur, gratiam amitteret, &c. alia huius generis sexcenta sequerẽtur absurda.

Confirmatur secundò ratio illa, quia illud est confessionis materia, quod est materia contritionis; sed effectus ex peccato sequutus nõ est materia contritionis; ergo neque confessionis. Maior patet ex Tridentino, nam cõtritio non aliter peccata remittit, nisi quatenus votum retinet confessionis. Minor probatur, nam vbi non est ratio peccati, ibi nulla est contritionis materia, sed in effectu ex peccato sequuto nulla est ratio peccati; ergo

neque

neque est confessionis materia. Minor est certa, alioqui effectus ex peccato sequutus, non esset effectus peccati, sed peccatum, quod est contra suppositum.

Adde, quod etiam si voluntas præterita peccati, non esset retractata adhuc effectus sequutus non esset necessario confitendus. Primò quia quamtumuis voluntas praua non sit retractata, non tamen ob hoc sequitur obligatio confitendi effectum ex peccato sequutum, sed solũ peccatum ipsum. Secundò quia non est necesse confiteri peccatum vt consumatum, vt supra dicebamus; ergo neque necesse erit peccati effectum fateri, cum hoc nec sit peccatum, nec circunstantia illius. Vnde patet manifesta differẽtia inter effectum subsequutum, & actum externum, nam actus externus re vera est peccatum, cum peccatum definiatur *dictum, factum, & concupitum contra legem Dei*, at vero effectus subsequutus, quando est purè talis, non est peccatum, sed effectus peccati: dixi quando est purè talis, quia quando habet rationem facti, vt in homicidio, quando quis aliquem occidit, tunc debet confiteri, quando vero, habet rationem effectus, vt quãdo ex vi alterius sequitur actionis, vt ex datione veneni, præsertim volontate retractata confiteri non debet, ex necessitate.

Sed inquiret hic aliquis, an si tali peccato ratione effectus subsequuti imposita esset censura, vel reseruatio, incideret ille talis in talem cẽsuram, vel reseruationem? vt si quis venenum clerico præbuisset, incederet postea in excõmunicationem ratione homicidij clerici: vel si homicidium esset reseruatum, deberet postea effectus subsequutus confiteri ratione reseruationis tollendæ; Affirmat Lugo nu. 445. & est sententia probabilis quoad censuram, quia tunc temporis incurretur, nõ ratione peccati quod tũc fit, sed ratione peccati præsuppositi; vnde secũdum istam sententiam potest quis in gratia existens contrahere non solum irregularita-

tem

tem, ratione homicidij sequuti, verum etiam excommunicationem, & tenebitur iste superiorem adire, non ratione peccati, sed ratione censuræ. Sed mihi verior videtur sententia opposita quã sequitur Henriquez, Fagundez, Mazachellus, & alij quos refert, & sequitur Diana p. 8. tract. 7. resol. 85. vbi casus speciales de excommunicatione ponit, Primus, si sit lata excommunicatio contra homicidium committentes, qui propinauit venenum, & ante mortem illius resipiscit, excommunicationem postea non contrahit. Secundus si quis litteras scribat excommunicato vitando, & resipiscat, postquam illas nuncio consignauit, si postea adhibeat diligentiam ad illas recuperandas, etiam si postea non recuperet, excommunicationem minorem non contrahit, ob participationem cum excommunicato vitando. Idem dicit de procurante abortum, de præbente venenum clerico, de scribente litteras monialibus, quando sub tali cẽsura prohiberetur.

QVAESTIO IX.

De circunstantia vbi, *& alijs connexis.*

Circunstantia *vbi* est circunstantia loci, nullus autem locus vel primam peccati speciem tribuit, vel nouam super addit, nisi sacer sit vnde licet occidere aliquem in loco sæculari, licet immuni, vt est domus principis, vel alterius sic priuilegiati, vt alicubi obseruaui, quod aliqui Comites, vel Marchiones, ex Regis, vel Imperatoris priuilegio habent proprias domos vt confugientium asyla, possit esse circunstantia, peccatum, modo aliquo, aggrauans, non tamen mutans speciem. Solus ergo locus sacer id habet, qui aliquando primam tribuit speciem, quando scilicet alias, actus bonus esset, vt est actus iudicialis exer-

exercitium, reorum extractio, copula coniugalis &c. Aliquando nouam addit speciē vt est voluntaria seminis effusio, quæ sit peccatum mortale, magna sanguinis effusio, quæ sit peccatū mortale, percussio grauis cum sanguinis effusione, homicidium, & furtum, de quibus aliqua breuiter dicentur; relictis ijs, quæ Ecclesiam habent polluere, quia de hijs iam satis dictum est in tract de sacrosācto Missæ sacrificio disput.3.quæst.3. aliqua tamen breuiter tangētur de locorum sacrorum immunitate.

Quæres ergo primò, an quando pollutio, vel copula illicita, sunt occulta, & Ecclesia tunc non polluitur, vt communis tenet sententia, & nos citato loco docuimus, cōtrahant illa peccata malitiā sacrilegij in confessione manifestandam. Negat Vasquez in 1.2. to.1. disput.98. cap.3. nu.6. Basilius Pontius de matrim. lib.10 cap.10. num.15. & alij apud ipsos. Verior tamen sententia affirmat, quam tenet Raphael de la Torre 2.2.q.99.art.1. disput.7. Sanchez de matrim. tom.3. lib.9. disput.15. num.11. Bonacina de matrim. q.4. puncto vltim. nu.7. & alij apud ipsos. Et ratio est, quia si ille actus nō esset sacrilegus, si postea publicaretur, Ecclesia non pollueretur, & tamen si publicetur, Ecclesia polluitur: implicat autem, quod per publicationem actus, qui à principio sacrilegus non erat, sacrilegus fiat.

Quæres secūdò, an tactus, aspectus lasciui, verba turpia &c. si fiant in Ecclesia specialem sacrilegij malitiā contrahant ex loco sacro. Antoninus Diana *de circunst. aggrauant.* resol.23. tres refert sententias. Prima affimat de omnibus, secunda negat de omnibus, tertia admittit de tactibus magis impudicis, & turpibus, vt partium pudendarum, negat de leuioribus. Ego existimo esse distinctione vtendum, vel enim loquimur de malitia sacrilegij, quę præcisè oritur ex positiuo Ecclesiæ iure, & tunc secunda sententia est vera, cum ius Ecclesiæ, ad solam copulam, & pollutionem voluntariam

se extendat, vel certè loquimur de sacrilegij malitia, quam habent illa peccata ex rei natura, quâ tenemur loca sacra reuereri: & tunc dico omnia illa aliquam habere sacrilegij malitiam: quis negabit graue non committere sacrilegium ille, qui supra Altare Idolum poneret, & thus adhiberet? Benè verum est, non omnia peccata hanc habere specialem malitiam, sed illa sola, quæ specialem afferunt oppositionem, inter actũ, & locum, vt sunt præsertim actus inhonesti; & quæ aliquã afferunt supra loci dignitatẽ, reflexionem; neque semper est peccatum graue tale sacrilegium, sed vt in pluribus veniale, nisi illa oppositio inter actum, & locum, & illa reflexio supra loci dignitatẽ, moraliter grauem afferat deformitatem, quod ex prudẽtis iudicio, & communi hominum sensu est desumendũ.

Quæres tertiò quo casu furtum, malitiam contrahat sacrilegij in cõfessione deponendam? Respondetur tunc talem sacrilegij circunstantiã contrahi, quãdo quis res Ecclesiæ furatur, vel ibi depositas, vel ad custodiam datas, quando rerum custodia ad ipsam pertinet Ecclesiam; similiter si furentur res, Ecclesiæ accommodatæ, ad illius ornatum, & cultum, secus si quis in Ecclesia, alterius furetur crumenam; cum tunc solum locus sacer materialiter se habeat respectu illius, item si aliquis furetur calicẽ consecratum, qui sit Ecclesię, etiam si extra Ecclesiam existat; secus si non sit Ecclesiæ, licet sit consecratus, cum id in iure non caueatur. Vnde traditur regula à Ioanne Papa Octauo in cap. *Quisquis inuentus* 17. q. 4, quod sacrilegium committatur *auferendo sacrum de sacro, vel non sacrũ de sacro, vel sacrũ de non sacro*; idest auferendo res sacras de loco sacro, res non sacras (Ecclesiæ custodia deputatas vt omnes glossant) de loco sacro; vel sacrum quod sit Ecclesiæ, de non sacro, vt notat Lellius Zecca de Pœnit. cap. 11. & alij.

Hoc tamen intelligi debet de malitia sacrilegij, quæ ex iuris humani transgressione desu-

desumitur; nam si loquamur de illa, quæ desumitur ex ipsa rei natura, negari non potest, quin sacrilegium intercedat, vt enim rectè docet D. Thomas 2.2.q.99. art.3. tres sunt sacrilegij species, nempe circa personas sacras, crica locũ sacrum, & circa res sacras, ob idque qui res sacras in loco sacro furatur duarum sacrilegij malitiarum est reus, quia & loco, & re sacra abutitur.

Queres quartò quid de Ecclesiæ immunitate sit dicendum? Ad Ecclesiæ reuerentiam pertinet quod taliter immunis sit, quod ad eam confugientes, tanquam ad domum Dei tuti sint, & inde inuiti non extrahantur; si enim in lege Moysi erant ciuitates refugiorum, ad quas homicidæ, & alij malefactores confugientes, tuti erant, vt constat Num. 35. Deuteron. 19. Exo. 2. quare id in lege noua, loca aliqua refugij esse non debent! Et si, vt tradit Pausanias, id seruabant Corrinthij de templo Deæ Hebæ: & de Apollinis templo, vt tradit Virgilius Aeneadum 4. quare id fieri non debet de nostris templis Deo vero dicatis? & si apud Ethnicos Asyla erant ad quæ rei confugiebant, vt tradit D. Aug. 1. de ciuitate cap. 24. Liuius lib. 1. cap. 36. Halicarnaseus lib. 2. Strabo lib. 5. & alij, quod etiã statuit Ageselaus pro secta Græcorum, vt notauit Aemilius Probus in Ageselao; quare esse non debebant etiam pro Christianis Asyla? Merito ergo Ecclesia statuit, quod Ecclesiæ essent reorum Asyla, ad quæ confugientes, inuiti extrahi non possint, vt statuitur cap. *præsertim*. cap. *Miror*. cap. *reum*. cap. *constituit*, & cap. *frater* 17. q. 4. & cap. *inter alia*, cap. *fin. de immunit. Eccles.* & L. præsenti C. *de his, qui ad Ecclesias*: vbi statuitur quod violare Ecclesię immunitatem sit crimen læsæ maiestatis. Et cap. *frater*. cap. *nullus*. cap. *si quis*. cap. *definiuit* 17. q. 4. huius violator immunitatis, omnium ingressu priuatur Ecclesiarum, & excommunicatur, quas pœnas innouauit & firmauit Greg. XIII. constitut. 7.

Ecclesiastica hac immunitate gaudent omnes Ecclesiæ

etiam non consecratæ, sed solum benedictæ, etiamsi adhuc ibi non sit celebratum, imò etiam interdictæ, gaudēt Capellæ, & Oratoria Episcopi auctoritate fundata, quæ habent portam publicam, & campanille, gaudent Monasteria, & septa regulariū arg. cap. *cum pro causa de sent. excom.* Ecclesia matrix hac gaudet immunitate per 40. passus circa eam, & aliæ Ecclesiæ per 30. cap. *sicut antiquitus* 17. q. 4. passus continet tres pedes *L. 3. ff. de verborum signif.* licet hoc, consuetudo non admittat, maximè intra muros ciuitatis ob loci angustiam, cap. *quisquis* 17. q. 4. Vbi Archid. Hac immunitate gaudent cæmeteria siue cōtigua Ecclesiæ, siue separata dicto cap. *quisquis*. Item domus Episcopi, cap. *constituimus* 17. q. 4. Imò etiam palatia Eminétiss. Cardinaliū extra Vrbem Romæ, vt obseruat Diana tom. 1. tract. 1. resol. 37. similiter domus Canonicorum, & Clericorum prope Ecclesiam, quæ vocatur *Canonica*: eadem gaudent immunitate. Hospitalia etiā Episcopi auctoritate fundata.

Gaudent autem hac immunitate omnes personæ deptis illis, quæ in Gregoriana constitutione excipiuntur, qui sunt hæretici, vel de hæresi suspecti; Iudæi, & qui post conuersionē apostatauerunt; item publici latrones, viarumque grassatores, agrorū depopulatores: homicidia in Ecclesijs, & cœmeterijs perpetrantes, qui proditoriè aliquem occiderunt, assassini, nimirum qui pecunia, vel alia re pretio extimabili aliquem occidunt, & qui committunt crimen læsæ maiestatis in ipsius Principis personā, & nō aliter. Et licet aliqui velint id intelligi solum de Principe superiorem non recognoscē te, id tamen non videtur verum, cum constitutio id non limitet, sed absolutè loquatur.

Sed quæres primò, & est casus de quo alias interrogatus fui, an reus qui confugit ad Ecclesiam, & ab ea exiuit ad debita naturæ soluenda, & tunc fuit à satellitibus captus, gaudeat Ecclesiastica immunitate. Respondetur affirmatiuè

matiuè dummodo ad alienas ædes nō accedat cap. *definiuit* 7. q. 4. Lellius Zecca trac. de Missa cap. 9. §. *declarātur verò prædicta*. Et ratio est, quia qui exit ob naturæ necessitates, nō censetur se absentare, alioqui immunitatis priuilegium, vel parum, vel nihil concederet, cum non sit conueniens tales naturæ necessitates in Ecclesia deponere.

Quęres secundò, an Ecclesiæ rector possit concedere iudici sæculari veniam extrahendi reum ab Ecclesia. Respondetur negatiuè in ordine ad cognoscendum de crimine, hoc enim pertinet ad episcopum, etiam si constaret notariè talē reum immunitate Ecclesiæ non gaudere, posset tamen Ecclesiæ rector talem facultatē iudici concedere, accepta idonea cautione, quod de illo delicto reus non punietur, sed liber relinquetur, sed hoc ad nihil deseruit.

Quæres tertio an regulares apostatæ, Ecclesiæ gaudeant Immunitate. Negat Peregrinus, de immunitate cap. 12. num. 16. affirmant Duardus in Bullam cęnæ lib. 2. cap. 13. q. 16. nu. 15. & alij; sed distinctione vtendū est, quod nimirum non gaudeant tali immunitate in proprijs Ecclesijs, vel monasterijs eiusdem religionis, benè tamen in alijs Ex quo deduces alterius resolutionē difficultatis, an nimirum religiosi hac gaudeant immunitate ita quod si ad Ecclesias confugiant non possint à proprijs extrahi superioribus, patet namque non gaudere in proprijs Ecclesijs, vel monasterijs, benè autem in alijs, alioqui numquam possent in carcerem à suis trudi prælatis, cum semper sint in monasterio, vel Ecclesia, quod est absurdum. Idem dicunt aliqui de clericis, alioqui parochi delinquentes non posśēt ab Episcopo in carcerē trudi.

Quæres quarto an qui Sacerdotem tangit deferentem Eucharistiam ad infirmum, vel ingredientem cubiculum vbi infirmùs est communicādus hac gaudeat immunitate; Respondetur affirmatiuè; est communis, quoad tangentem Sacerdotem Eucharistiā deferen-

ferentem, & est valde probabilis quoad intrantem cubicolum vbi infirmus communicatur, videatur Diana p. p. tract. 1. resol. 28. Addunt aliqui hac gaudere immunitate, qui dum persequitur à Satellitibus Cardinaliũ currum tangit.

Quæres quintò, an excommenicatio, quam contrahũt hanc violantes immunitatem tolli possit ab Episcopo, an vero sit Pontifici reseruata. Respõdetur ab Episcopo tolli posse, ita docent plures quos longa manu refert Diana loco citato resol. 41.

QVAESTIO X.

Reliquæ breuiter recensentur circunstantiæ.

CIrca circũstantiam *quibus auxilijs*, est notandum illam explicari debere quando nouam affert malitiam, vt cum quis alicuius viri, vel mulieris vtitur industria, ad sollicitandam mulierem, est enim ibi saltem scãdali malitia, nisi aliunde parati essent. Huc pertinet, quod notat Lopez 1. p. cap. 34. cũ Princeps fidelis vtitur opera Principis infidelis, vel hæreticorum, contra Principem catholicum in bello: quod ego concederem si iste Princeps bellum foueat iniustum, & alterum iniustè deprimat, vel inuadat; tunc enim temporis, si Princeps inuasus nõ potest se ab oppræssione tueri, nisi auxilio vtatur infideliũ poterit id facere; secus si bellum esset iustum, vt docet Syl. V. bellum.

Huc etiã pertinet difficultas de complice reuelando, de quo, quoad Pœnitentiæ sacramentum dictum est supra; quoad complicem propalandum iudici interroganti; pro modo dico, quod reus non tenetur complicem iudici interroganti propalare, quando ocultus est, si scit eũ esse emendaturum, vel Dei intuitu, vel fratena posita correptione, vbi autem nulla adesset

adesset emendationis spes & aliunde alteri graue damnum sequæretur, posset propalari, nisi illi vitæ periculum immineat, quia vitæ bonum, bonis alijs est præponendum, *argu, cap. officij de pæn.*

Circa circunstantia *cur* aduertè, tunc esse in confessione manifestandam, quando affert finis malitiam, vt si quis furetur, vt fornicetur, cõfiteatur vt confessarij marsupium suffuretur, si vadat ad Ecclesiam, vt amasiam libidinosè inspiciat, & turpiter adamet, si vero finis aliam non habeat malitiam quam medij, vel omissionis non est necesse finis circunstantiam fateri, vt si quis furetur vt libros emat; & studeat, sacrũ omittat, vt studeat, vt enim diximus in p. 2. sufficit tunc temporis omissionem, vel factum malum fateri, relicta causa illius, quãdo causa propriam non habet malitiam.

Ad circunstantiam *quomodo*, pertitet modus violentiæ, vt in furto, & tunc transfertur ad rapinam; & sic illa violẽtiæ circunstantia est confitẽda, etiam in virginis raptu, & alijs similibus. Ad hanc circunstantiam pertinet modus peccandi ex consuetudine de quo supra: pertinet modus peccandi ex ignorantia, de quo similiter supra diximus, non esse necesse ignorantiam explicare, nisi ad declarandã excommunicationem incursã, vel non incursam: pertinet modus peccandi ex cõscientia erronea, de quo diximus in p. 2. non esse modũ necessario confitendum, cum peccatum ex conscientia erronea, & ex certa scientia sint eiusdem speciei. Et Idẽ sit relinquere sacrum in die festo, & in die feriali, quando quis putat esse diem festũ, & nihilominus illud reliquit. Pertinet etiam ad hanc circũstantiam modus ipse peccandi: vt situs variatio vase serũato in copula, siue licita, siue illicita, sed de hoc intra-ctatu de Matrim. Dubium mouet Diana de sacram. resol. 67. an qui fornicatur cũ reliquijs collo appensis debeat hanc circunstantiam fateri, & resoluit quod non, quia licet sit aliqua irreuerentia sanctis illata, tale commit-

tere

tere peccatum, cum eorum reliquijs collo appensis, non videtur tamen irreuerentia grauis, nisi eo animo fieret. De circunstantia *Quando*, nihil notandum occurrit, cum non sit per se loquendo nisi circunstantia aggrauans, vt si quis peccauit in die veneris sancti, non tenetur hanc circunstantiam fateri, cum solum notabiliter aggrauet, non speciem mutet.

QVAESTIO XI.

Quibus in casibus sit peccatorum confessio reiteranda.

PLures communiter assignantur casus reiterãdæ confessionis, qui tamen omnes ad duo capita reduci possunt, nimirum ob defectum ortum ex parte Confessarij, & ob defectum ortum ex parte Pœnitentis. Ob defectũ quidem Confessarij, vt si absoluit sine iurisdictione, ob quod absolutio est nulla, vt disput. sequenti dicetur; vel si habuit quidem iurisdictionem, sed censura impeditam, vt si sit publicus clerici percusor, qui nulla tergiversatione possit suum crimen celare, vel nominatim excõmunicatus denunciatus: si formam absolutionis substantialiter vitiauit; si intentionem absoluendi nõ habuit; vel peccatum nullum audiuit. Dixi nullum, quia si aliqua mortalia non intellexit, ob surditatem, vel somnũ, vel distractionem, confessio valida fuit; si hoc factum sit, bona Pœnitentis fide, sed sufficiet repetere peccatũ, quod Confessarius non audiuit, vel illa de quibus dubitatur, & si dubitatio de omnibus esset peccatis, omnia repeti deberent. Quod si mala Pœnitentis fide id factum sit, vt faciũt adolescentes, qui surdos quærunt Confessarios, quibus sua exponant peccata, tota cõfessio repetenda est, cũ vt patet, sit nulla, secus si bona fide fiat.

Aliqui

Aliqui tamen non improbabiliter volunt, quod si pœnitens mala fide aliquam fecit confessionem inualidam, si postea malę fidei obliuiscatur, & subsequentes cōfessiones bona fide faciat, sola illa, quæ mala fide facta est sit repetenda quando illius malæ fidei recordatur, quod maximè verum habet, quando in confessionibus bona fide factis, dolor adfuit vniuersalis, eo namque casu etiam illa peccata malę confessionis indirectè remittuntur. Alij etiā volunt, Confessionem esse nullam si facta sit Cōfessario ignoranti, qui distinguere nequit inter mortale, & veniale. Ita Vasquez q. 93. ar. 3. dub. 1. post alios. Verius tamen est dictam confessionem validā esse, si bona adsit pœnitentis fides. Ratio est, quia ad hoc vt confessio bona fide facta valida sit, scientia non requiritur Confessarij, sed iurisdictio, alioqui mortis tempore confessio tali facta Confessario nulla esset. Tum quia vt supra dicebamus cōfessio aliquando valida est, vbi nullū confitetur in particulari peccatum; ergo à fortiori quando peccatum confitetur, sed ignoranti. Dixi quando ea confessio bona fide facta est, quia si mala fide facta sit, vt quia pœnitens talem consulto quæsiuit Confessarium qui medere non posset, tunc cum non censeatur ritè dispositus, confessionem facit nullam; ac proinde erit repetenda. Est etiam repetenda confessio, quæ nulla fuit ex defectu orto ex parte pœnitentis, vt si erat excōmunicatus, & mala fide ad confessionē accessit, nō petita excōmunicationis absolutione. Dixi mala fide, quia si bona fide hoc fecit, vt quia suam ignorabat excommunicationem, vel memoriā illius non habebat, absolutio valida est, vt est cōmunis Theologorū sensus, nec potest esse Ecclesiæ intentio in eo casu excommunicatum sacramentorum priuare participatione. Imò si Sacerdos ante peccatorum absolutionem absolueret, vt moris est, ab excommunicatione, per illa verba *absoluo te ab omni vinculo excommunicationis &c.* omnem, secundum aliquos, tolleret

excommunicationem etiam reseruatam, licet remaneat comparendi obligatio, ad superiorem quoad reseruatam, verius tamen est, quod sola non reseruata tollatur. Si tamen confessio superiori ipsi facta fuisset etiam reseruata excommunicatio fuisset ablata, vt in simili diximus supra de peccatorum reseruatione. Toties ergo confessio repetāda est, quoties nulla fuit, vel quia aliquod peccatum sine necessitate nō est confessum; si dolorem non habuit sufficientē, quod à posteriori colligitur, quādo Confessarium quæsiuit ignarum, indoctum, surdum, &c. si nolit peccandi tollere occasiones cum facile possit. Si peccatum apud cōplicem cōfiteatur, secundum aliquos, quod non placet, nisi in casu quo tales irritētur, vel prohibeātur cōfessiones, vt in aliquibus fit Episcopatibus.

Sed aduerte, quod in illis casibus in quibus est repetēda confessio apud eundē confessarium, non est necesse illā repetere materialiter, sed sufficit illam repetere formaliter dicendo, *de omnibus peccatis, quæ in tali confessione deposui me accuso*, nec est necesse, quod Confessarius illorum recordetur peccatorum distinctè, sed sufficit quod vel in communi, & in confuso aliqualē vel leuem memoriā habeat, vel etiam status pœnitentis, vel etiam pœnitentiæ, vel etiā sufficiet si recordetur Cōfessarius illum pœnitentem audiuisse. Quod si cōfessio apud alium Confessarium esset repetenda, & formaliter, & materialiter repeti deberet, vt ex se liquet.

Sed quæres primò, an sufficiat formalis confessionis repetitio, quando quis extra confessionem, suo Confessario narrauit peccata, vel ad ipsum informādum, vt nimirum sui status exactā habeat notitiam, vel ne confessio in longum nimis differatur, vel ob alium finem. Respondetur affirmatiuè, iste enim est fidelium vsus, qui fundamentum habet in huius sacramēti natura; cum enim hoc sacramentum per modum iudicij sit institutum, & in iudicio sufficiat criminis, extra iudicium narrati, ad memoriam iudi-

iudicis, reuocatio, ita & in hoc sacramentali iudicio, id ipsum sufficiet; vnde Pœnitens, qui sua narrauit peccata Confessario extra confessionem, satisfaciet si postea dicat, *de omnibus peccatis, quæ extra cõfessionem tibi narraui, me accuso, &c.*

Quæres secundò, an qui peccatum confessus est, & est oblitus illius circunstantiam, speciem mutantem, debeat iterum peccatum fateri addendo circunstantiam, an vero sufficiat circunstantiam ipsã sine peccato fateri. Quis v.g. Sacerdos fornicationem commisit, illam confessus est, oblitus circunstantiæ voti, an teneatur fornicationem cum circunstantia voti, vel sacrilegij fateri, vel sufficiat fateri circunstantiam sacrilegij? Respondetur sufficere fateri circunstantiam ipsam dicendo, *commisi vnum sacrilegium*, vel *peccaui grauiter cõtra votum*: vel vt alij volunt: *peccaui grauiter contra religionem*. Et ratio est, quia nulla est obligatio confitendi simul peccatum, & eius circunstantiam speciem mutantem, sed sufficit (vt ex Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7 colligitur) fateri omnia peccata quoad speciẽ, & numerum, sed iste confitetur omnia peccata sua, quoad speciem, & numerum; ergo.

Sed Lugo disp. 16. nu. 657. licet admittat præcedentem doctrinam propter auctoritatem tot Theologorum, qui illam sequuntur, quos refert nu. 645. & sunt Nauarr. Henriquez, Valentia, Sanchez, Sa, Bonacina, & Suarez. Stando tamen in ratione semper hęc sentẽtia sibi difficilis visa est, potissimum fundamentum, quo Lugo, conuincitur est, quia qui furatus est centum, & dicat in confessione se furatum viginti, non confitetur peccatũ, quod fecit, sed aliud; ergo ille qui dicit se violasse votum, & non dicit, quod talis violatio sit contra castitatem; non confitetur peccatũ, quod fecit. Cõsequentia probatur; quia ideo ille, qui dicit se furatum viginti, suum non confitetur peccatũ, quia peccatum erat furtum centũ, non viginti, & dum dicit se furatum 20. significat diuersum furtum ab illo, quod cõ-

missum est: sed etiam, qui dicit se violasse votum, non explicando fuisse cōtra castitatem, significat illud peccatum non habuisse aliam malitiā, nisi violationis voti; ergo cōfitetur peccatum, quod non fecit, & non quod fecit; peccatum enim quod fecit duas habebat malitias, vnam contra religionem, aliam contra castitatem.

Sed hoc fundamentum ob quod Lugo communem relinquit doctrinam mihi semper infirmum visum est, cuius infirmitas ex duplici subijcienda solutione patebit. Prima est negando Antecedens, qui enim 100. furatus est, & confitetur se furatum 20. suū fatetur peccatum, quod sic ostendo; nam quod furtum sit 20. vel 100. est solum circunstantia aggrauans furtum in indiuiduo, vnitas namque indiuidualis furti à materiæ grauitate desumitur, quęcunque illa sit; ob id, qui furatus est centum, sufficit quod dicat, se materiā grauem fuisse furatum, alioqui circunstantia aggrauans esset necessario confitenda, quod negat ille; ergo si ratio viginti, vel centum, est circunstantia aggrauans, numericam, vel indiuidualem peccati rationem, indiuidualiter non variabit, ac prinde idem numero peccatū graue furti, sufficienter confitebitur, siue addatur circunstantia aggrauans, scilicet cētum, vel minus (dummodo maneat intra materiæ grauitatem) scilicet viginti. Vnde si esset vera Lugonis sententia, illi qui ex verecundia, vel alio motiuo, sua minuūt peccata, adducendo excusationes, &c. vel qui augent intra eandem speciem, etiā ex ignorantia, sua non confiterentur peccata, ac proinde tenerentur postea, illa per se, reconfiteri.

Secunda solutio negat cōsequentiā, rationem assignat discriminis, quia qui confitetur solitariè circunstantiam speciem mutātem, omnia sua confitetur peccata, cum vna species sit ab alia separabilis, saltem moraliter, & in ordine ad confessionem, non sic est numerica peccati vnitas respectu suæ materiæ; alioqui, qui furatus est decem, quod esset

esset materia grauis, diuisiuè, pro decem peccatis, posset dicere, *commisi 10. furta*, quod est falsum.

Sed petes primò, an doctrina tradita locum habeat in omnibus circunstantis speciem mutantibus, an solum in aliquibus. Lugo citato loco num. 649. post Suarez, quem ibi allegat, dicit, id solum habere locum in circunstantijs disparatis, quorum malitia intelligi potest sine malitia ex obiecto principali desumpta, vt est circunstantia voti, non vero de illis circunstantijs, quæ malitiā non habent disperatam, quæ scilicet intelligi non possunt sine malitia actus principalis, vt est circūstantia violentiæ, qua mulier violatur, quia hæc cum intelligi non possit separata, separatim confiteri non poterit. Sed alij absolutè loquuntur, nec verum est circunstantiam violentiæ separatam ab actu principali intelligi non posse, cum violentia iustitiæ opponatur, & copula illa castitati, si enim virtutes separatim intelligi possunt, etiam opposita vitia intelligi poterunt.

Petes secūdò, an in eadem confessione possint circunstātiæ speciem mutātes ab actibus principalibus separari. Negat Lugo nu. 652. ob fundamentum solutum. Melius affirmet Suarez apud eundem auctorem, & ratio plana ex dictis, quia solum est obligatio confitendi numerum, & species peccatorum, siue illæ species sint actus principales, siue sint principalium actuum circunstantiæ, cum hoc quod est vnam speciem, esse alterius circunstantiā, non sit peccatum nouum, nec numero, nec specie distinctum ab actu principali, sed circūstātia specifica illius. Vnde qui furatus est propter mæchiam, sufficit quod furtum, & mæchiā diuisiuè fateatur, & sic de alijs.



DISPV-

DISPVTATIO NONA

De Ministro ad Sacramentum Pœnitentiæ conferendum necessario.

EXplicatis essentialibus Sacramenti Pænitentiæ partibus, & cōditionibus requisitis ad illas, de eiusdem Sacramenti Ministro est agendum, antequam ad partem integralem, quæ est satisfactio, accedamus, vt melius huius sacramenti natura intelligitur; cū enim sit per modum iudicij institutum, explicatis huius iudicij partibus, debet ipsius iudicis conditio inuestigari, alioqui non ita clarè explicatæ manebunt ipsius partes iudicij; qui enim iudicis conditiones non nouit, nec ipsius iudicij naturam noscere potest. Est autem huius & aliorum sacramentorum Minister duplex, ordinarius, & delegatus, & de vtroque suę proponentur difficultates, sit tamen prius.

QVAESTIO I.

An solus Sacerdos sit huius Sacramenti Minister.

PRima est hæreticorum sententia non solum Sacerdotes, sed etiā quosuis alios homines esse huius Sacramenti ministros: quam hęresim prius tenuit Vuicleph, & alij qui postea hāc potestatē etiā ad mulieres extēderūt

Ve-

Veritas Catholica sequenti explicatur conclusione. *Soli Sacerdotes possunt esse huius Sacramenti ministri*. Vnde si aliquis in sua ordinatione characterem Sacerdotalem, non acciperet, quamuis Episcopus proferret super illum illa verba, *Accipe potestatem, quorum remiseris peccata &c.* non posset peccatum dimittere, sed deberet reordinari. An autem quando sacerdos ordinatur, duplicem accipiat Characterem, vnum qui tribuat potestatem in Corpus Domini verum, alium in misticum, de Sacramento ordinis dicetur. Conclusio posita est de fide, definita primò in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. & in alijs Concilijs & tandem in Tridentino sess. 14. cap. 6. vbi dicitur: *circa ministrum huius Sacramenti declarat sancta synodus, falsas esse, & à veritate Euangelij pœnitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines, præter Episcopos, & sacdotes, Clauium ministerium perniciosè extendunt, &c.* & can. 10. dicitur: *si quis dixerit non solos Sacerdótes esse ministros absolutionis &c. anathema sit*. Et huius ratio à priori est, quia cum hoc sacramentum sit institutum per modum iudicij, & iudicandi potestas nequeat esse in omnibus de populo, sed solum in illis, qui aliqua sunt dignitate insigniti, sequitur, quod huius sacramenti ministeriũ esse debeat penes illos, qui dignitate sunt insigniti sacerdotali. Tum quia congruũ valde erat, quod illi soli haberent potestatem in corpus Christi misticum, qui illam habebant in corpus Domini verum: vnde videmus quod etiam ipsa Episcopalis dignitas sacerdotalem supponit dignitatem.

Sed quæres primò, an sacramentalis absolutio saltem in aliquo necessitatis casu dari possit à laico? Respondetur negatiuè, cum absoluendi potestas ex necessitate characterem supponat sacerdotalem, sequitur, quod vbi talis character non supponitur, sacramentalis absolutio esse nequeat. Est tamen licita absolutio deprecatoria, sicut & confessio causa humilitatis, & D.Thomæ tempore

re erat in vsu, & eam laudat vt videre est hic quæst. 8. art. 2. ad primum, quod absolutio deprecatoria licita sit, patet; nam & moniales in Choro se mutuo deprecatoriè absoluunt in officio diuino, prima nimirum, & completorio: quod etiam confessio causa humilitatis licita sit patet, quia quod ad humilitatem, & contritionem excitandam conducit, non potest non esse honestum. Tum quia id potest aliquando fieri ad captãdum consilium, ad habendã verecundiam illam, in pœnã propriorũ peccatorum, vt plures modo prout audiui faciũt in ciuitate Neapolitana, vbi pestis adeo grassatur, & vidẽtur ibi Ionæ tempora renouata. Si tamen laicus non esset contentus absolutionem dare deprecatoriam, sed tentaret dare sacramentalem, fieret irregularis; licet aliqui non improbabiliter velint, quod nõ; ex eo, quod quilibet exercens actum ordinis quem nõ habet irregularitatem cõtrahit, non qui hoc sacramentum tentat administrare, quia huius sacramenti administratio, non est actus ordinis, sed ordinem supponit, & aliunde hæc irregularitas non exprimitur, sicut exprimitur, de clerico solemniter baptizante, sine parochi venia, cap. *si quis*, de baptismo, sed de hoc suo loco.

Sed dices, est probabilis Glossæ in cap. à *vobis*. & in cap. *Pastoralis* de sent. excõmunicat. Syl. Armillæ, Tabienæ, Panomitani, Auilæ, Valerij, Ioannis de la cruz, & aliorum plurium sententia, quos refert: & sequitur Diana de sacram resol. 133. quod laicus in mortis articulo existens cẽsuratus præsertim excommunicationis censura, possit ab alio laico absolui, quia ita de pia matre Eclesia est præsumendum, ergo etiã poterit absolui à peccatis, absolutione sacramentali.

Respondetur transeat Antecedens, & negatur consequentia, Ecclesia namque potest laico facultatem facere absoluendi à censura, cum sit ipsius iurisdictionis, & potestatis, non tamen potest hãc facultatem facere laico, cum careat charactere sacerdotali

iure

iure diuino necessario ad talem absolutionem impertinendam.

Quæres secundò an quilibet sacerdos possit, præcisa Ecclesiæ prohibitione, quoslibet accedentes, absoluere? Affirmauit hoc Armacanus lib. 11. quæst. Armenicarum cap. 4. quod probabile reputauit Durandus 4. dist. 19. q. 2. Almainus dist. 17. art. 4. & alij.

Communis, & vera Theologorum sententia oppositũ tenet, vt clare colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. vbi dicitur: *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momẽti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

Sed antequam communẽ hanc sententiam rationibus confirmemus, nota sacerdotem in sua ordinatione duas accidere potestates, seu ordinationem sacerdotalẽ adæquatè, & completè acceptam duas complecti potestates, vnam in corpus Dominus verum, consecrandi scilicet corpus, & sanguinem Domini. Alteram in corpus Domini misticum, pro remittendis baptizatorum peccatis, & hæc secunda potestas, vel est nouus Character à præcedenti distinctus, vel (quod mihi vnius videtur) est præcedentis extensio. Est autem inter has duas potestates differentia, quod cum prior sit absolutè potestas, in ordine ad sacramentum conficiẽdum, posita materia præsenti, nõ est in Ecclesiæ potestate facere, quin illam sacerdos in corpus, & sanguinem Christi conuertat, si super illam debitam proferat formam.

At vero secunda potestas cum sit in ordine ad corpus Christi misticum, iurisditionẽ completam requirit, alioqui expedita non erit, ad suum ponendum effectum; quod vt fondamentaliter percipias aduerte; potestatẽ absoluẽdi à peccatis dupliciter

considerari posse, completè scilicet, & incompletè, tunc completè consideratur, quando omnia habere intelligitur, quæ ex parte sacerdotis requiruntur, vt sit principium efficiens, & actiuum, remissionis peccatorum, seu exercendi iudiciariam potestatē, remittendi peccata, seu exercēdi illam potestatem remittendi peccata, quam in sua recepit ordinatione.

Tunc autē incompletè illa potestas remittendi peccata, consideratur, quando consideratur vt est tantum iudicialis potestas absoluendi baptizatos à suis peccatis, præscindendo ab hoc, quod hic & nunc sit potens executioni mandari. Sacerdos ergo vi suæ ordinationis hanc secundum recipit potestatem non primam. Primam tunc recipit quando sibi inferiores, vel subditi designantur; quod vno, vel altero exemplo declarabitur.

Potest namque Rex dupliciter sui populi iudices creare, primò creando, seu constituendo illos iudices pro toto regno, non tamen assignādo ciuitatem, vel prouinciam in qua suam exerceant iurisdictionem, seu iuditiariam potestatem. Secundò potest Rex iudices creare, & simul illis prouinciam assignare in qua iudiciariam exerceāt potestatem. Primo solummodo constituuntur sacerdotes iudices in sua ordinatione. Similiter quando aliquis laurea insignitur doctoratus v.g. in Theologia, Cancellarius, Pontificis auctoritate, tribuit laureando Euangeliorum librum; & dat illi facultatem prædicandi verbum Dei, & tamen adhuc id ipsum non potest præstare, nisi mittatur iuxta illud Apostoli. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? His positis ratione agamus.

Prima ratio, illud sacramētū validè non ponitur, quādo in ministro aliquid essentialiter, ad illud ponendum desideratur; sed quandiu sacerdoti non dantur subditi, aliquid essentialiter desideratur adhoc sacramentum ponendum; ergo tunc hoc sacramentum validè non ponetur. Minor probatur ex dictis, nam

Pœ-

Pœnitentiæ sacramētum poni validè non potest, nisi cōpleta absoluendi potestas ponatur; sed quandiu non dantur subditi, talis potestas non ponitur; ergo. Hæc Minor patet, quia tunc temporis solum prima datur potestas nō secunda.

Secunda ratio: Nullum iudicium siue forense ciuile, siuè canonicum validum est, vbi in iudice, vel ordinaria, vel delegata non datur iurisdictio; ergo neque in hoc interno iudicio, sententia valida erit, vbi non datur talis, vel ordinaria, vel delegata iurisdictio. Antecedēs est ab omnibus receptum. Consequentia patet ex Tridentino citato. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primnm argumentum desumitur ex vsu primitiuæ Ecclesiæ, quando licitum erat fidelibus omnibus, sibi eligere Confessarium, vt habetur cap. *placuit de pœnit* dist. 6. Iure postmodum positiuo introductū est, quod proprio Parocho fideles confiterentur, vt habetur cap. 1. 13. q. 1. & primus, qui hoc ius edidit fuit Dionysius Papa, qui circa annum 252. Ecclesiæ præfuit. Hic Pontifex Parochias diuisit, & vnicuique Parocho suā plebem commisit, & prohibuit ne quis alterius Parochię terminos, vel ius inuaderet. Et Calistus Papa I. vt habetur c. 1. 9. q. 2. statuit, vt nullus alterius Parochiam vsurparet, nec alterius parochianum iudiceret, & idem statuitur in cap. *in Dominicis* 9. q. 3 & cap. *item nullus*, & cap. 2. de Parochis: ergo signum est quemlibet Sacerdotem diuino iure, seu ex vi suæ ordinationis posse quemlibet sacramentaliter absoluere, & solū id esse vetitum Ecclesiastico iure.

Respondetur nūquam licitum fuisse quemquam absoluere in quem iurisdictio ordinaria, vel delegata non haberetur. Vnde in primitiua Ecclesia, quādo fidelium numerus erat paruus, ex eiusdē Ecclesiæ tacito consensu, quilibet Sacerdos habebat iurisdictionem saltem delegatam, in quoslibet fideles, facta autem Parochiarum diuisione, tacitus ille consensus abrasus est, & expressus requiritur, vt

ex Tridẽtino citato loco colligitur.

Secundum argumentum: Illa potestas est sufficiens in quolibet Sacerdote ad absoluendum quemlibet fidelem, quæ est sufficiens ad absoluẽdum Summum Pontificem; sed quilibet Sacerdos vi suæ ordinationis habet potestatẽ ad absoluendum Summum Pontificem; ergo etiam recipiet ad absoluendum quemlibet fidelem. Maior nota est. Minor ostenditur, nam potestas quam habet Sacerdos ad absoluendum Pontificem habere non potest ab ipso Pontifice, cum par in parem non habeat iurisdictionẽ; alioqui si Pontifex posset alicui facultatem facere, vt ab eo absoluatur, posset etiam facultatẽ facere vt excommunicetur; neque talem potestatem habet ab aliquo Concilio, cum Concilium non sit supra, sed infra Pontificem: nec vlibi talis facultas facta reperiatur.

Confirmatur hoc, quia illã potestatem recipit Sacerdos vi suæ ordinationis, quam receperunt Apostoli in sua, sed Apostoli illam recẽperũt pro tota Ecclesia; ergo & alij. Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dicitur Põtificem suam delegare facultatẽ confessario, quem eligit, cum enim Christus Dominus summo dederit Põtifici, summam super alios iurisdictionem, debuit etiam illi facultatem facere, vt suam daret facultatem suo Confessario supra se, cum & ipse iudice absoluente indigeat; vnde tenetur Pontifex suo obedire Confessario, in ijs omnibus, in quibus & alij in hoc iudicio tenentur. Ad confirmationem dico Apostolos recepisse completam in omnes fideles à Christo Domino iurisdictionem, non quidem quando in cœna ordinati fuere Sacerdotes, sed quãdo post resurrectionem dedit illis potestatem in corpus misticum, cum dixit *Accipite potestatem quorũ remiseritis peccata &c.* quia Christus Dominus illam omnem dedit Apostolis potestatem, quam modo Pontifici summo concedit; vnde dedit illis supremam iurisdictio-

ctionem in omnes fideles, respectu omnium peccatorum, imò, & in omnes Apostolos ad inuicem, sic enim tunc cõueniebat, cum mitterentur ad remittenda omnium baptizatorum peccata, sicut mittebãtur ad omnes baptizandos.

Tertium argumentum, illa potestas sufficit in quolibet Sacerdote ad absoluendum quemlibet fidelem, quæ sufficit in Sacerdote excommunicato, suspenso, & degradato, imo, & hæretico pro mortis articulo, sed hæc habetur in propria ordinatione; ergo. Itẽ illa potestas sufficit ad absoluendum quemcunque, quæ est sufficiens in eo, qui putat habere iurisdictionem, & non habet, iste enim verè absoluit. Item quę sufficit ad absoluendum à venialibus. Item quæ sufficit in Parocho habẽte dumtaxat ius coloratum ad beneficium parochiale, quod obtinet. Sed hæc potestas habetur ex vi ordinationis; ergo.

Respondetur explicando Maiorem quoad omnes casus recensitos; nam pro mortis articulo omnes Sacerdotes ab Ecclesia habent absoluendi sufficiẽtem iurisdictionem, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 7. An autem talis potestas sit absoluta, an vero solum in defectum proprij Sacerdotis potentis absoluere, aliqui affirmant, alij tamen verius negant, cum talis facultatis concessio subsidiaria sit pro tali periculo, vide Dianam tom. 2. tract. 4. Miscel. resol. 161. Similiter qui probabiliter putat, se habere iurisdictionem, vel etiam qui habet titulum coloratũ tantum, vel secundum alios etiã simul communem errorem; vel etiam, vt alij volunt, solũ errorem communem, iurisdictionẽ ab Ecclesia recipit, videatur Sanchez lib. 3. de matrim. disput. 22. nu. 14. vbi explicat L. Barbarius, in qua dicta doctrina fundatur, quod etiã nos suo loco præstabimus.

Ad illud quod de venialibus tangitur, dico tres esse de illis sententias Prima est Caietani in sũma V. absolutio, 2. quod Sacerdos potestatem recipiat ab ipso pœnitente, eo ipso quod sibi subijcitur, vt venialia peccata dimittantur,

sed

ſed hæc ſententia communiter reijcitur, quia pœnitens potestatem conferre non poteſt, quam non habet, patet autem quod pœnitens, præſertim laicus iuriſdictionem in pœnitentiæ foro non habet; ergo &c.

Secunda ſentẽtia eſt, quod quilibet Sacerdos in ſua ordinatione poteſtatem, ſeu iuriſdictionem recipiat abſoluendi à venialibus, ac ſubinde illã habeat à Chriſto; ita Paludanus, Capreolus, Canus, Ricardus, & Ledeſma, quos affert, & ſequitur Vaſquez hic q. 93. art. 1. dub. 6. quorũ ratio eſt, quia peccata venialia non ſunt materia neceſſaria confeſſionis, ac proinde credibile eſt, Chriſtum Dominum quoad illa non ſubdidiſse fideles Eccleſiæ poteſtati. Hæc ſententia valde probabilis eſt, & ſecundum hanc, noſtrarum ſtatutum Conſtitutionum p. 1. c. 6. nu. 8. quò cauetur *ne noſtri Sacerdotes ſine Generalis, vel Prouincialis, vel Prioris licentia confeſſiones audiant, & quod ſi illas audiant, ſine tali licentia reſpectiuè, tales cõfeſſiones nulle ſint, & ſi ſit aliquod priuilegium, vel conſuetudo in contrarium renunciatur*, non habet vim, quoad peccata venialia, ſecus quoad mortalia; cum facultas audiendi confeſſiones venialium, non ſit, ſecundum hanc ſententiam, priuilegium, vel conſuetudo, quibus poſſit renunciari, ſed Chriſti poteſtatis.

Tertia ſententia verior, & communior eſt, Sacerdotem poteſtatem habere abſoluẽdi à venialibus ab Eccleſia. Ratio eſt, quia vt docet Tridentinum ſeſſ. 14. c. 7. Pœnitentiæ ſacramentum eſt inſtitutum per modum iudicij, quod non exercetur niſi ab habente poteſtatem ordinariam, vel delegatã. Patet autem, quod ſimplex Sacerdos non habet poteſtatem ordinariam, cum non ſit paſtor, alioqui eſſet omnium paſtor fidelium, cum poſſet illorum omnium audire venialium confeſſiones; imò ipſi ſimplices ſacerdotes eſſent ad inuicem paſtores, & ſubditi, cũ poſſent ad inuicem confeſſiones audire. Neque habet poteſtatem delegatam, cum

hæc

hæc à sola delegetur Ecclesia, ergo. Quod dictum est de potestate absoluendi à venialibus, dici, & applicari debet ad potestatē absoluendià mortalibus alias dimissis; neque in hoc est immorandū cum nulla inter scribentes sit concertatio.

QVAESTIO II.

Quis sit minister ordinarius, quisque delegatus in Pœnitentiæ sacramento.

MInister ordinarius, qui & proprius sacerdos dicitur, ille est cui ex officio animarum cura incumbit, & est iudex in foro pœnitētiali, quod dicitur ad excludendū Episcopum electum, antequā sit sacerdos, qui licet habeat iurisdictionem; sacramentum tamen Pœnitentiæ exercere non valet vt ex se liquet. At minister delegatus qui & legitimus dicitur, licet non proprius, ille est, qui ab alio delegare valente, iurisdictionē accipit.

Circa ministrum ordinarium nota; fideles omnes sæculares tres habere proprios, siuè ordinarios huius sacramenti ministros: Papam pro vniuersa Ecclesia, Episcopū pro tota diœcesi; & Parochum pro sua parochia. Deinde Papa potest quemmaluerit sibi eligere confessarium. Familiares Papæ præter ipsum Papam habent Pœnitentiarium summum, qui est eorū proprius sacerdos, qui potest alium delegare vt familiam absoluat, & hoc intelligitur de commensalibus Papæ, nō de familiaribus, qui per orbem sunt dispersi, nisi nouo potiantur priuilegio. Episcopi, Archiepiscopi Ordinū Generales, Episcoporum Vicarij, Abbates, Prouinciales, & superiores locales, possunt sibi eligere confessorem simplicem sacerdotem vt docent omnes quos congerit Diana de dubijs regularium resol. 1.

&

& tom. 2. tract. 4. Miscel. resol. item 1. Parochi, seu Ecclesiarum curati non possunt sibi eligere, nisi ab Episcopo approbatum Cardinales nisi sint legati communi iure nō possunt sibi eligere confessorem, licet ex consuetudine id illis concedatur. Religiosi, qui non sunt prælati, non possunt sibi confessorem eligere, sed confiteri debent, vel proprio prælato, vel alteri ab eodem prælato exposito Peregrini, & viatores proprium habent ministrum nempe illum parochum vbi inueni untur Paschatis tempore, vti dixit Eugenius IV. vt testatur Caietanus in sum. V. absol. idem dicendum de vagabundis.

Quæres primò, an si quis bona fide confiteatur sacerdoti simplici peccata venialia & mortalia, maneat ab omnibus absolutus? Respondetur affirmatiuè, etiamsi simplex ille sacerdos mala fide id faceret, dummodo intendat absoluere à vienialibus à quibus potest vt supra dicebamus; & ratio est, quia ille sacerdos habet iurisdictionē, & potestatem dimittendi venialia, & sic illa dimittentur directè, & mortalia indirectè, remanebit tamen obligatio in Pœnitente reconfitendi illa mortalia vt directè dimittantur quoties id nouerit. Eadem resolutio procedit de illo Pœnitente qui bona fide confitetur reseruata apud confessarium non potētem absoluere, nam tunc remittuntur indirectè, remanebit tamen onus comparendi ante superiorem potentem absoluere.

Quæres secundò, an Episcopus, vel Parochus, vel Regularis habens facultatem delegatatam, possint absoluere proprios subditos extra diecesim. Respondetur Affirmatiue. Ratio est quia huius potestatis exercitium, non est cum strepitu iudiciali, cum illa potestas non sit contensiosa vt omnes tradunt.

Quæres tertiò, an subditus possit eligere simplicem Sacerdotem cui sua confiteatur peccata, quādo proprius Parochus est ignarus: de simplici procedit Sacerdote, quia de aliàs approbato, quando exta-

extaret, nulla est difficultas? Negat Lugo disput. 19. n. 11. Verior opinio affirmat, propter textum in cap. *placuit* 9. q. 2. & de pœnit. distinct. 6. vbi dicitur. *Placuit vt deinceps nulli Sacerdoti liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti recipere ad pœnitentiam sine consensu eius, cui se prius commisit, nisi per ignorantiam illius, cui peccans prius confessus est.* Et ratio clara est, quia alioqui Ecclesia sufficienter non prouidisset pœnitentibus in casu ignorantiæ, reddentis confessarium inhabilem ad id munus: Non placet tamen aliquorum, extensio, Theologorum, apud Suarez disput. 37. sect. 2. num. 13. nimirum non solum posse pœnitentem propter proprij pastoris ignauiã, sibi simplicẽ eligere cõfessariũ; verũ etiã quãdo proprius pastor reuelare soleret confessiones, vel quando esset excommunicatus, aut suspensus; ius enim citatum in casu solum ignorantiæ, eam concedit facultatem, ob pœnitẽtis quietem; in alijs autem cẽsetur copiam non hbere cõfessarij.

Quæres quartò, quinam possint iurisdictionem audiendæ confessionis alteri delegare? Verbo vno respondeo, omnes illos id posse, qui iurisdictionem habent ordinariã; vt Papa pro omnibus fidelibus; Episcopus, pro sua diœcesi, *Parochus pro sua parochia.* Vnde qui habent hanc delegationem à Papa vbique locorum confessiones audire possunt, absque alia Episcoporum licentia: Qui ab Episcopo, possunt id ipsum præstare in tota diœcesi, absque Parochorum venia, intellige quando talis licentia est illimitata; bene verum est, optimum esse consilium id non præstare sine Episcoporum, vel Parochorum respectiuè scientia, vt sciant quid agatur in proprio territorio erga proprias oues. Idem dicendum est de regularibus, vnde qui facultatem habet vniuersalẽ à Generali, sine alia Prouincialium, vel prælatorum inferiorum venia, omnium audire potest confessiones religiosorum, similiter, qui à Prouinciali. In mea tamen religione limitantur qui habent iu-

risdictionem à Prouinciali, vt non possint id exequi sine Priorum venia, & qui iam deputati sunt, possunt suspendi ab ijsdem Prioribus, & si facta tali suspensione confessiones audiant, licet confessiones validæ sint, possunt tamen à Prioribus puniri; nō sic qui à Generali sunt deputati, isti namque neque à Priore, neque à Prouinciali suspendi possunt.

Quæres quintò, an Parochus possit suam delegare iurisdictionem simplici Sacerdoti, vt suorum audiat confessiones Parochianorū? Certum est Parochum posse exponere alium Parochū eiusdem Diœcesis, vt est communis Parochorum mos in propriarum, præsertim Ecclesiarum, festiuitatibus, vt non semel obseruaui. Item certum est posse exponere regularem in illa diœcesi approbatum. Nonnulla difficultas est, an Parochus possit exponere parochum alterius diæcesis, & regularem, vel sæcularem in alia diœcesi approbatum. Affirmat Ioānes de la cruz q.5. dub.6. conclus.3. Henriquez lib.7. cap.12. num.4. Coninch hic disput.8. dub.7. nu.57. & alij, quia habent conditiones à Tridētino requisitas sess. 23 cap.15. vbi dicitur, *quod nullus etiam regularis sæcularium audiat confessiones, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur; & approbationem obtineat*. Cum ergo Parochus alterius diœcesis Parochiale obtineat beneficiū, & approbatus in alio Episcopatu, sit verè ab Episcopo approbatus, sequitur, posse, saltem deputati à Parocho, illius Parochianos audire, &c. Ex hoc fundamento aliqui inferrebant approbatū in vno Episcopatu posse vbique confessiones audire, sed à contraria ne recedas sētentia, præsertim quoad approbatos in vno Episcopatu, post quandam declarationem Innoc. X. in quadam causa contra Iesuitas, quam refert N. Lezzana in consulto in fauorem Iesuitarum ab ipso facto. Vide Dianam de sacram. resol.24. vbi materiam traditam diligenter examinat.

Ma-

Maior ergo difficultas est de simplici Sacerdote, an nimirum Parochus possit illum eligere pro suis Parochianis, imò etiam pro se non ratione simplicis deputationis, vt in casu præcedenti, sed ratione delegationis propriæ iurisdictionis, præscindo à prohibitionibus Conciliorum, & Pōtificum. Concedunt omnes, quod illi, qui habent solam potestatem delegatam non possint illam alteri subdelegare, nisi sit delegatus principis: vel nisi sit delegatus ad vniuersitatem causarum, vt videre est apud Sāchez lib 3. de matrim. disput. 31. vbi dicitur, quod delegatus ad vniuersitatem causarum, possit subdelegare ad vnam, vel alteram causam, non tamen ad totam causarum vniuersitatē, ex quo principio P. Diana to. 1. tract. 3. Miscel. resol. 53. cū alijs docet quod si Episcopus det Prælato regulari facultatem absoluendi à casibus reseruatis, poterit illam alteri cōfessorio subdelegare quoad vnum, vel alterum reseruatū. Quod alij extendunt etiam quando Confessarius habet facultatem absoluendi toties quoties ab aliquo reseruato, quod possit illam subdelegare vna, vel altera vice. Hoc posito, P. Coninchius hic disput. 8. dub. 4. num. 28. Lugo disput. 19. & alij dicunt non posse Parochum talem facere delegationem. Sed verior videtur sententia affirmatiua P. Ledesmæ summa tom. 1. de sacram. pœnit. cap 12. Ludouici de San Ioan Sum. de pœnit. diffic. 12. & aliorum multorum Ratio est quia omnes illi possunt suam delegare iurisdictionem, qui eam habent ordinariam, vt patet cap. *cum Episcopus* de officio ordinarij in 6. Sed Parochus, vt omnes tradunt, in suas oues iurisdictionem habet ordinariam; ergo potest illam Sacerdoti simplici delegare; non enim minus habet potestatem, seu iurisdictionem ordinariā Parochus in proprias oues, quā Episcopus in suas.

Confirmatur, quia Parochus potest simplici Sacerdoti suam delegare iurisdictionem, alia ministrandi sacramenta, vt matrimonium, Extremam vnctionem, Euchari-

ſtiam &c. ergo etiam pœnitentiam, prohibitione præciſa. Antecedens eſt notũ. Conſequentia probatur ex paritate rationis.

Reſpondet ad hoc argumentum Cardinalis de Lugo loco citato, ex doctrina quam deſumpſit ex Coninchо loco citato, quod diuerſa ſit ratio, huius, & aliorum ſacramentorum, nam in alijs ſacramentis ratio delegatur officij, non actus perſonalis, nec attenditur in illis perſonę induſtria, at vero in hoc pœnitentiæ ſacramẽto actus delegatur perſonalis, & perſonę attenditur induſtria. Sed contra. Primò, quia non minus eſt actus officij in Parocho ſubditorum audire confeſſiones, quam alia miniſtrandi ſacramenta; ergo eſt eadem vtrobique ratio. Antecedens oſtenditur, quia poteſtas, ſeu iuriſdictio in Parocho ad ſuſcipiendas ſubditorum confeſſiones, ad rationem ſequitur officij, alioqui non eſſet talis iuriſdictio in Parocho, poteſtas ordinaria, ob idque Concilium Tridentinum ſupra citatum, vult, quod eo ipſo, quod quis Parochiale obtinet beneficium, abſque alia Epiſcopi approbatione, ſubditorum valeat audire cõfeſſiones. Secundò, quia ſi nõ poſſet Parochus ſuam delegare poteſtatẽ ſimplici Sacerdoti audiendi cõfeſſiones, quia perſonæ induſtria attenditur, ſequeretur nullum delegatum, etiam Papæ, poſſe talem facere delegationem; & ſic nec Epiſcopus, nec eius Vicarius poſſet talem facere delegationem, eorum ſequẽdo ſẽtẽtiã qui dicũt Vicariũ eſſe Epiſcopi delegatũ & Epiſcopum Papæ. Tertiò, quia hucuſque nemo dixit, quod induſtria perſonæ requiratur in eo, qui habet poteſtatem ordinariam, ſed ad ſummum in eo cui fieri debet delegatio, quam perſonæ induſtriam attendere poteſt Parochus in eo cui delegationem vult facere. Quartò, quia illa doctrina videtur eſſe contra ſuum auctorem, dum admittit cum quadam limitatione Prælatũ regularem habentem facultatem a Epiſcopo abſoluendi à reſeruatis, poſſe ad caſus particulares ſubdelegare, cũ

tamen

tamen personæ industria magis attendatur in absolutione casuum reseruatorum, quam non reseruatorum.

Quæres sextò, an delegatus, vt validè absoluat, debeat habere notitiam suæ delegationis? Respondeo sufficere probabilem existimationem sufficientis potestatis. Exempli gratia quis scripsit Pontifici, vel magno Pœnitentiario, vel Episcopo respectiuè pro facultate absoluēdi à reseruato, non est necesse, quod responsum expectet in quo talis facultas continetur, sed sufficit quod probabiliter iudicet, tunc esse datam talem facultatem: est doctrina communis. Vnde regularis qui putat se habere priuilegium absoluendi ab vno casu, & re vera habet, licet illud nunquã viderit validè absoluit, & licitè, si id prudenter faciat.

Quæres septimò, an quis possit ex vsu, vel consuetudine acquire potestatem audiēdi Confessiones? Respōdetur quod si cōsuetudo fiat inscio potente facultatem facere, nunquam iurisdictio conceditur, si vero fiat sciente, & non contradicente eo, qui potest talem facultatem facere, cum possit facile contradicere, potestatem tacitè concedere censetur. Hinc soluitur dubium aliud, quod solet hic proponi de superioris ratihabitione, an sufficiat ad hoc vt quis cōfessionem audiat: communis responsio est ratihabitionem de futuro non sufficere, bene de præsenti, quando scilicet Superior videt Petrum Sacerdotem simplicem, confessiones audire, & hoc scit & videt, & potest facile impedire, & non impedit, tacitè censetur consentire, & iurisdictionem concedere.

Quæres octauò, an cessãte delegatione, dum delegatus audit confessionem, possit illam perficere? Respondetur affirmatiuè, est communis scribentium resolutio; ratio desumitur ex cap. *Gratum* & ex cap. *relatum*, de officio delegati vbi dicitur delegationē non finire morte delegantis, re non amplius integra, in casu autem præsenti, res est iam cepta, ergo.

Quæres nonò, an Sacerdos

dos dubitans de sua iurisdictione, possit pœnitentem absoluere? Respõdetur, quod si dubium sit positiuum, seu probabile, cũ vtrinque habẽtur rationes probabiles, potest absolutio impendi; ratio communis, est quia Ecclesia confert iurisdictionem pro validitate actus, non solum quando est titulus coloratus, & error communis, verum & magis quando est opinionis probabilitas, ob publicã vtilitatem. Suarez, disput. 26. sect. 6. nu. 3. Diana cum multis *de opinione probabili* to. 1. resol. 2. Si vero dubium sit negatium id non licet, nisi in casu necessitatis, quando nullus alius adesset, qui certam, vel probabilem haberet iurisdictionem.

Quæres decimò, & est casus de quo olim à quodam Episcopo fui interrogatus, nimirum, an Episcopus possit delegare alicui facultatem absoluendi ab hæresi, supposita multorum probabili sententia, quod in Bulla Cænæ, facultas à Tridentino Episcopis concessa absoluendi ab hæresi oculta non reuocetur? Respondetur Affirmatiuè, vt tradit Sanchez summa to. 1. lib. 2. cap. 11. nu. 23. post alios. Nam Concilium solum exclusit Vicarium deputatum ad omnes casus, non ad aliquem in particulari, nec exclusit alios à Vicario: quam resolutionem postea inueni in sapientissimo Patre Diana p. 3. tract. 4. miscel. resol. 92.

Hinc deduces alterius casus resolutionem, an nimirũ Regularium Superiores, si vera est sententia Bauny p. 1. moralis Theologiæ tract. 4. q. 3. quod Regularium Superiores habeant facultatem absoluendi in foro conscientiæ suos subditos, prout ex Rodriquez, & Candido cõcessit Pius V. P. Dominicanis, testatur idem Bauny, ab hæresi oculta, possint eandem facultatem alteri delegare? Respondetur quod tali sententia admissa (quæ tamen admitti non debet, propter S. C. decretum de quo Diana p. 8. tract. 2. resol. 63.) possent superiores talem facere delegationem videatur idem Diana loco citato vbi refert ex eodem Bauny, in-

dultum concessum Prælatis Congregationis S. Benedicti Valisoletani, vt annis singulis, prima die Lunæ quadragesimæ, possint omnes præfatæ Congregat. Religiosos absoluere ab omnibus peccatis, censuris, & pænis etiã in casibus, &c. Et quod Gregorius XIII. id ipsum concessit Patribus Societatis, anno 1584.

QVAESTIO III.

Quinam possint peccata reseruare: quæque peccata reseruari possint, vbi alia valde vtilia explanantur.

SVppono primò contra Lutheranos, & Caluinistas esse in Ecclesia Dei potestatem reseruandi casus, vt definit Tridentinum sess. 14. can. 7. & can. 11. & ratio clara est, quia sicut iudex Superior fori exterioris, potest sibi reseruare aliquarum causarum cognitionem, vt velit nullomodo cognosci posse à iudice inferiori, ita iudex superior fori interioris id ipsum facere potest.

Suppono secundò peccata posse simpliciter reseruari, vel ratione solius censuræ, vel ratione solius culpæ, vel ratione vtriusque. Certum est de facto omnia peccata Pontifici reseruata, esse talia ratione censuræ, an autem sint etiam reseruata ratione culpæ disputatur, aliqui namque non improbabiliter dicunt ratione solius cẽsuræ reseruari, ita quod ablata censura non maneat peccatum reseruatum; alij probabilius oppositum tenent; videatur Nauar. cap. 27. nu. 261. Caietanus in sum. V. casus. His suppositis ad primum quod in q. titulo propositum est, dico eos omnes posse sibi casus reseruare, qui ordinariam habent iurisdictionem, vt Pontifex pro tota Ecclesia, Episcopus

ſcopus pro ſua diœceſi, Parochus pro ſua parochia, quod non eſt in vſus, & Religionũ Prælati reſpectu ſuorum ſubditorum reſpectiuè, & ratio eſt, quia qui habet ordinariã iuriſdictionem, poteſt eam pro libito concedere, nempe cum aliqua limitatione, vel reſtrictione, excipiendo ſcilicet aliqua peccata. Sed hic occurit dubium de Parocho quomodo Epiſcopus poſſit caſus reſeruare reſpectu illius cum habeat iuriſdictionem ordinariam, non delegatam ab Epiſcopo, ſi nãq; Epiſcopus non dat Parocho iuriſdictionem, cum illam habeat à Pontifice, à quo eſt Parochiarum inſtitutio, non poterit illam limitare. Reſpondetur Epiſcopum ex antiqua conſuetudine à Pontefice approbata, & in Tridentino confirmata talem facere poſſe Parochis iuriſdictionis reſtrictionem.

Quoad ſecundum, eſt primum dubium de peccatis venialibus, an nimirum valeant reſeruari? Reſpondetur quod ſequendo illorum ſentẽtiam, qui dicunt poteſtatem abſoluendi à venialibus, & à mortalibus alias confeſſis recipi à Chriſto in Sacerdotis ordinatione, Eccleſia non poteſt talem reſeruationem facere; ſequẽdo vero communiorem ſententiam, quod talis poteſtas ſit ab Eccleſia, poterit talis apponi reſeruatio, & ſic licet homines peccata non teneãtur fateri venialia, ex ſuppoſitione tamen, quod illa fateri velint, deberent abſolui à potente talem facere abſolutionem; videantur ea, quæ diximus q. prima huius diſp. verſus finem.

Secundum dubium eſt, an peccatum dubium cadat ſub reſeruatione. Certũ eſt poſſe Eccleſiam peccatum dubium reſeruare; cum peccatum dubium ſit materia neceſſaria confeſſionis, ac ſubinde cadens ſub Eccleſiæ reſtrictione quoad eius abſolutionem: de facto tamen dubia peccata, nullibi reſeruata reperiũtur. Difficultas eſt, an quãdo reſeruatur aliquod peccatum abſolutè, cenſeatur reſeruatũ peccatum dubium? conueniunt omnes peccatum dubiũ poſitiuè ſub reſeruatione

non

non cadere, cum habeat vtrinque rationes probabiles, & liceat, cuique quam maluerit sequi probabilem opinionem. De dubio vero negatiuo est opinionum varietas. Nam Corduba in Regulam S. Francisci cap. 7. p. 4. quæsto 1 cas. 5. post alios dicit peccatum dubium negatiuum manere reseruatum. Verior tamen opinio oppositum tenet, quam post alios sequitur Diana de conscientia dubia resol. 4. ratio est, quia cum reseruatio sit odiosa, de solo peccato certo est intelligenda, non de dubio. Idem dicendum est quando reseruatur peccatũ aliquod, quod potest esse completum, & consumatum, & incompletum, & non consumatum, nã tunc reseruatio de solo completo, & consumato intelligitur, non de intentato, nisi in reseruatione exprimatur, vt aliquando exprimi solet. Sed quid dicendum, quando, quis ratione dubietatis, vel incõpletionis fuit absolutus ab aliquo peccato alias reseruato, comperit postea tale peccatum fuisse certum, vel completum; ac proinde verè reseruatum, debet ne comparere ante superiorem, vel absolutè fuit absolutum? Respondetur fuisse verè absolutum, ac proinde nullam esse obligationem accedendi ad Superiorem pro tali peccato tollendo, cum ipsa dubietas, & incompletio, ad talem deletionem conferat potestatẽ, & iurisdictionem, ita Lugo hic disput. 20. sect. 2. num. 32. quod probat ex Sanchez, exẽplo voti dubij alias reseruati, à quo fuit absolutus pœnitẽs ratione dubietatis ab inferiore, quod si postea comperiatur eius certitudo, adhuc manet pœnitens absolutus.

Hinc deduces alterius difficultatis resolutionem, an quando Pœnitens confitetur peccatum verè reseruatum, Confessario non valente absoluere, sed ignorat pœnitens tale peccatum esse reseruatũ, an tunc tale peccatum verè & directè dimittatur? Eadem difficultas est, quando pœnitens scit suum peccatum verè esse reseruatum, & illud cõfitetur Sacerdoti inferiori, quem putat ab eo posse ab-

soluere, an re vera maneat absolutus? Respondetur affirmatiuè, ratio est, quia Ecclesia tacitè in his, & similibus casibus sufficientem confert iurisdictionem in bonum animarum; alioqui innumeri fideles anxij remanerent de suis confessionibus: Imò aliquando grauiter deciperentur, cum sint plures Confessarij, qui casus ignorant reseruatos, & aliunde non sit proprium pœnitentium id scire; vnde siue Confessarius absoluendo peccet, siue non, pœnitens bona fide procedens validè videtur absolui, quoties tamen pœnitẽs id resciat ad superiorem sistere debet.

Tertiũ dubium, an si quis committat peccatum reseruatum, ignoret tamen eius reseruationem, absolui possit à quocunque approbato Cõfessario? Sunt de hoc dubio tres sententiæ. Prima est absolutè negatiua, quam defendit Mazuchellus de casibus reseruatis disput. 2. q. 2. difficul. 5. Merolla to. 1. disput. 1. cap. 2. difficul. 11. num. 642. & aliqui alij. Secunda sententia distinguit, dicens reseruationem aliam esse pœnalem, & aliam esse medicinalem, seu per modum legis determinantis casus, in quibus pro meliori remedio applicando, recurrendum est ad Prælatũ pro absolutione.

Peccata ergo reseruata in pœnam delicti, reseruationẽ non habent, quando reseruatio illa pœnalis ignoratur; quando vero est medicina, seu lex determinans casus medicinalis est, incurritur, etiã ab ignorantibus. Ita ferè Lugo disput. 20. sect. 2. num. 9. & infra. Sed explicandum erat quænam peccata reseruẽtur in pœnam, & quænam in medicinam; & quomodo id dignoscatur.

Tertia sententia verior, & communior inter modernos absolutè docet ignorantem reseruationem non incidere in illam, eo quod putat, omnem resaruationem esse propriè pœnam. Hanc post Nauar. in man. cap. 27. num. 80. Graffiũ de casibus reseruatis reseruatis lib. 2. cap. 40. n. 29. sequitur Pater Ioseph de San Ioan de casibus reseruatis resol. 1.

Pro-

Probatur primò, omnis casuum reseruatio est pœnalis; ergo non incurritur ab ignorantibus illam. Consequentia pro modo supponitur, & admittitur à contrarium nostræ sententiæ sentientibus. Antecedens in quo est difficultas ostenditur, supponendo tamē breuiter, quod reseruatio, vel est de re mala, quia prohibita, vt loquutio cum Monialibus, vel est de re prohibita, quia mala, vt homicidium; sed siue sit reseruatio de re mala, quia prohidita, siue de re prohibita quia mala, semper est pœnalis, ergo. Minor hæc subsumpta probatur.

Nam si reseruetur res mala quia prohibita, vt loquutio cum Monialibus, talis reseruatio, cum sit de re alias indifferente, & solum mala ex parte pœnitentis, talem prohibitionem transgredientis, non potest non esse in pœnā talis transgressionis. Si vero reseruatio sit de re prohibita quia mala, est in pœnam delicti, ergo.

Sed dices primò, quod reseruatio non est semper in pœnam delicti, vel transgressionis, sed ob bonam Ecclesiæ gubernationem, ac proinde non semper est pœnalis. Nam contra est; nam in tantum fit reseruatio ob bonam Ecclesiæ gubernationem, in quantum expedit, quod trāsgressores præceptorum diuinorum, vel Ecclesiasticorum, compareant ad Ecclesiæ Proceres, vt delicta puniantur, vel facilius retrahantur ab illorum transgressionibus, & sic primum, & potissimum, quod in reseruatione inspicitur est delictorum pœna. Adde quod ipsa comparēdi obligatio, quæ in reseruatione reseratur, est maxima delinquentium pœna, & hæc primò inspicitur saltem exequutionis via, nam via intentionis est altera pœna, nempe delicti punitio, quæ postea in bonam resultat Ecclesiæ gubernationem.

Dices secundò reseruationem non esse factam pœnitētibus, sed esse limitationem iurisdictionis Confessarij, & sic reseruationē non esse pœnam delinquentis, sed limitationem absoluentis. Nam cōtra est, quia ideo limitatur

absolutionis iurisdictio, quia pœnitens illa commisit peccata reseruata; vnde non limitatur absolutè absoluentis iurisdictio, sed ratione pœnitentis, vel per ordinē ad pœnitentem, ac proinde si pœnitens ob ignorantiā à tali pœna excusatur, absoluentis iurisdictio non limitabitur.

Probatur secundò, quia peccatum alias reseruatum, commissum ab ignorante reseruationem, est actus inuoluntarius, prout dicit reseruationis qualitatem; ergo non contrahit reseruationis rationem; Antecedens est certum, sicut enim actus, qui à parte rei duas habet malitias, si vna ignoretur, vnius solum malitiæ reus est; ita peccatū quod aliàs annexam habet reseruationem, si illa ignoretur, nō contrahetur. Consequentia ex Antecedenti clarè satis, sequi videtur.

Adde quod admissa communi doctrina, quod non solum ignorantia inuincibilis, verum etiam vincibilis, dummodo non sit affectata, & supina, & naturalis obliuio, seu actualis inconsideratio excōmunicationis, & aliarum censurarum excuset ab illarum incursione; sequitur, quod, si quis talem habet ignorātiam, vel inconsiderationem censurarum, quibus casus Pontificij sunt reseruati; poterit à quocunque Confessario absolui. Vnde Magister Serra post alios multos quos congerit Diana p. 9. tract. 6. resol. 13. dicit in par. 2. tom. 2. q. 76. art. 3. dub. 2. *ignorantia etiam mortaliter culpabilis tam facti, quam iuris communis Pontificij, quam etiam censura excusat non solum à pœna excommunicationis, sed etiam à cæteris omnibus alijs censuris, suspensione, interdicto, irregularitate, &c.* & probat ex cap. *cum animarum*, de cōstitiō 6. vbi dicitur, *vt animarum periculis obuietur, sententijs per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorātia crassa non fuerit, aut supina.* Vbi sapienter notat Serra ex Syluestro, quod dum dicitur: quorumcunque Ordinariorum simpliciter, etiam Pontifex intelligatur.

Quar-

Quartum dubium est, an qui commisit peccatum Pontifici reseruatum legitimè tamen impeditur ne personaliter Pontificem adeat, possit à quocũque absolui, eo quod eo impedimento posito, ex benigna Pontificis intentione cesset illius casus reseruatio. Respondetur negatiuè, sed vel teneri per internuncium si potest, vel per litteras, vel secundum alios tenetur adire legatum: vel etiam secundũ sententiam Bosij de iurisdict. Episc. disput. 1. dub. 3. nu. 23. post alios multos, quos ibi citat, sufficiet adire Episcopum, qui vigore facultatis generalis absoluendi impeditos cum onere se præsentandi, poterit illos absoluere, absque eo quod mittant, vel scribant Romam, quia nullibi talis reperitur obligatio: oppositum tamen practicatur, vt testatur Thesaurus in praxi de pœnis p. 1. cap. 24. amplias. 3.

Sed quid, si legitimè impeditus adire Romam, sit etiã legitimè impeditus adire Episcopum, poterit ne absolui à Parocho, vel à quocunque Confessario approbato? Negatiuè respondet Vasquez q. 91. art. 3. dub. 81. nu. 4. & dub. 9. nu. 23. nisi in articulo mortis. Oppositum videtur verius, quod post Cano, Soto, Ledesma, & alios tenet Palaus to. 4. tract. 33. disput. vnica, puncto 15. nu. 3. Suarez to. 4. disput. 30. sect. 3. nu. 10. & alij plures; & ratio est, quia facultas reseruandi casus non debet esse in destructionem animarũ, sed in bonum, esset autem in in destructionem, si semel talis impeditus non posset à legitimo confessario, & Parocho absolui, benè verum est, quod semper remanet obligatio comparendi respectiuè. Idem putat esse dicendum idem Palaus, loco citato, de eo, qui habet casum reseruatum Episcopo, quod nimirũ si non possit Episcopum adire possit absolui à Confessario approbato, cum onere vt supra.

Quintum dubium esse potest, an tempore pestis cesset casuum reseruatio, ita quod possint, casus habentes reseruatos, à quibuslibet Confes-

fessa-

sarijs absolui? Affirmat Marchinus in *Bello diuino*, part. 3. c. 3. nu. 4. quando pestis grassatur, quia tunc omnes censētur esse in periculo mortis, in quo omnes Sacerdotes etiam simplices, excommunicati &c, possunt ab omnibus casibus absoluere, idem dicitur de proximè ingressuris bellum, de nauigantibus orta procella &c. Vsus tamen videtur in contrarium, deberent tamen tunc temporis Episcopi, & suos casus reseruatos relaxare, & idem curare de Pontificibus, pro animarum consolatione, vt fecit Sanctus Carolus, quando pestis Mediolani grassabatur.

Sextum dubium, an in loco exempto cesset casuū reseruatio, vt si quis sæcularis committat peccatum sodomiæ in monasterio exempto, incidat in reseruationem? Negant aliqui, quia regularium monasteria sunt exempta solum ratione personarum ipsorum religiosorum, non sæcularium, ac proinde sæculares ibidem contra Episcoporum statuta facientes, ab eodem Episcopo puniri possunt. Alij quos refert, & sequitur Diana p. 5. tract. 9. resol. 66. appositum tenent, quia religiosorum monasteria non solum sunt exempta ratione ipsorum religiosorum sed ratione sui; ita quod ita se habeant, ac si essent extra diœcesim, sed de hac re alibi Deo dante sermo redibit.

Solum vnum, dum occurrit, aduertas velim, quod nimirum habens casum reseruatum, extra diœcesim, in qua non est talis casus reseruatus, absolui potest, etiam si consulto ibi eat, vtitur nāque iure suo.

Septimum dubium, an casuum reseruatio includat peccata præterita? affirmatiuè respondeo, nisi aliud exprimatur, & nisi reseruatio annexam habeat censuram, quę ob peccata præterita non fulminatur. Non displicet tamen aliquorum sententia, qui dicunt, peccatorum reseruationem absolutè factam, non extendi ad peccata præterita, eo quia cum sit odiosa restringi, non extendi debeat.

Dubium vltimū, an pueri ante

ante pubertatis annos, in casus incidant reseruatos? Affirmatiuè respondent aliqui apud Dianam p. 2. trac. 15, & 1. Miscel. resol. 1. Ipse tamen melius cum alijs negatiuè respondet; & ratio est, quia cum, vt supra dicebamus, reseruatio sit pœna, & pueri ante probertatis annos in alias non incidant pœnas, neque in hanc incident, vnde videmus, neque in foro externo puniri saltem pœna ordinaria si forte aliquod cōmittant delictum, vt obseruat Graffius apud eundem Dianam.

QVAESTIO IV.

An Prælati Regulares possint pro libito sibi subditorum peccata reseruare,

CErtum est, vt supra dicebamus, omnes eos sibi posse peccata reseruare, qui iurisdictionem habent ordinariam, & sic cum Regularium Prælati, sint tales, peccatorum, suorum subditorum, facere poterunt, reseruationem, sicut Pontifex pro tota Ecclesia, & Episcopus pro sua diœcesi. Et sicut Episcopus mortaliter peccat nimiam faciendo peccatorū reseruationem, cum abutatur potestate, in destructionem nimirum animarum, licet reseruatio secundum aliquos teneat; ita Prælati Regulares grauiter delinquunt, nimiam faciendo reseruationem; Ob id Clem. VIII. prudenter limitauit Prælatorum Regularium potestatem, ne plusquā vndecim casus quos in suo decreto incipiente *Sāctissimus Dominus Noster* enumerat; & quod si aliquod peccatum graue pro Religionis conseruatione reseruari deberet id fiat in Capitulo generali, vel Prouinciali matura facta discussione, & consensu. Et sic patet non posse Regulares sibi pro libito subditorum peccata reseruare.

Sed

Sed dubitabis primò, an Regulares Prælati possint aliquid præcipere, vel prohibere sub excõmunicatione reseruata? Respondetur negatiuè, ita declarauit Sac. Congregatio 7. Iulij 1617. in hæc verba. *Cùm à nonnullis Regularibus dubitare ur an in decreto fel. rec. Clem. Papæ VIII. anno 1593. 16. Maij super qualitate casuum ab eorundem Regularium superioribus reseruandorum edito, censura etiam comprahenderetur, ita vt iisdẽ superioribus absque Capituli Generalis, aut Prouincialis cõsensu, aliquibus peccatis in decreto huiusmodi non contentis excommunicationem annectere, eiusdemque absolutionem sibi reseruare liceat? S. Congregatio Cardinalium negotijs Regularium, Præpositorum, Illustrissimo Bandino referente, cẽsuras in supradicto decreto cõprahendi censuit. Romæ 17 Iulij 1617.* A. Mar Episc. Ostiẽsis, Cardinalis Gallus Et merito quidem id S. declarauit Congregatio; quia alioqui Pontificis mens illuderetur, & res ad antiquum reuocaretur statũ, si semel casus quoscunque ratione censuræ possent Regularium Prælati sibi reseruare.

Dubitabis secundò, an Regularium Prælati possint propria auctoritate sibi reseruare casus in Clem. decreto cõtentos, an vero requiratur consensus Capituli Generalis, vel Prouincialis, sicut requiritur pro alijs non contentis? P. Bordonus in Consilijs Regularium, resol. 37. q. 30. nu. 42. partem tenet affirmatiuam. Sed hæc Bordoni resolutio non videtur ad mentem Põtificis; sic enim loquitur Pontifex. *Ideo, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs, quæ sequuntur:* deinde casus enumerat, & postea subdit. *Si quod aliud præterea peccatum graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia, matura discussione, & consensu.*

Dubitabis tertio, an Prælatus

latus regularis qui casum reseruauit, incidat in casum reseruatum, si in talem casum incidat? Communis resolutio est negatiua, *cum par in parem non habeat iurisdictionem*, & multo minus, quia nullus iurisdictionem habet in se ipsum. Difficultas maior est, an superior ille, qui facultatē habet alios absoluendi, sicut dare potest facultatem alteri, vt alios absoluat, ita possit illam dare suo confessario, vt absoluat se ipsum, si forte in casum incedat reseruatum Exemplum habes in Vicario Episcopi, an possit dare facultatem suo cōfessario, vt ipsum absoluat à reseruato Episcopo. Et idē procedit de Prælato regulari respectu casuum à quibus potestate ordinaria absoluere potest, vt sunt casus in constitutionibus nostris reseruati, à quibus Prælati locales absoluere possunt. Ad quam respondeo affirmatiuè, & est communis sententia, vt videre est apud Dianam de Sacram. resol. 147. & ratio est quia Prælatus dum confert alteri potestatem delegatam absoluendi à non reseruatis, confert potestatem, vt & ipse absoluatur; ergo cum confert potestatem absoluendi à reseruatis, illam confert etiā pro se, alioqui inferioris esset conditionis alijs.

Dubitabis quartò, an Prælatus regularis (& idem est de quolibet alio) qui habet facultatem absoluendi à reseruatis, verè absoluat, quādo subditus, qui habet reseruata illi confitetur, sed propter obliuionem, illa non deponit, vel non omnia. Negat Suarez hic. disput. 31. sect.4. & Vasquez q. 92. art. dub. 1. Communior, & vera opinio affirmat, quam sequitur Gab. Adrianus, Syl. Angelus, Rosella, Nauar. Couar. Cano, & Ledesma apud Suarez, eādem sequitur Nugnus hic q. 9. art. 2. par. 2. dub. 4. Coninch. disput. 8. dub. 12. nu. 98. & alij plures, & ratio est, quia & subditus dum confitetur intēdit absolutionis beneficium recipere in omni latitudine, & Sacerdos absoluens intendit absolutionem impendere omni meliori modo; si enim Sacerdos dum ge-

generalem facit excommunicationis absolutionẽ, ab omni ea præsumitur absoluere; ita dum absolutam confert à peccatis absolutionem, eam absolutam facere præsumitur & sic censetur directè reseruationem peccotorũ oblitorum, vel non expositorum tollere; & currit non solum in habente potestatem ordinariam absoluendi à reseruatis, verum etiam in habente delegatam cũ sit eadem vtriusque ratio. Secus esset si Confessarius suam restringeret intentionem ad peccata confessa, sicut quando quis à particulari absoluit excõmunicatione, seu particularem facit alicuius excommunicationis absolutionem. Hoc idem admittunt communiter omnes, vt alias monuimus, quando facultas absoluendi data est infauorem Pœnitentis, vt iubilei tempore; Vnde si quis tempore iubilei nullã fecit confessionem, quia facto conscientiæ examine nullum adinuenit peccatũ mortale, cum tamen reseruatum haberet, poterit translacto iubilei tempore à quocunque confessario approbato ab illo peccato absolui, quia per lucrationem iubilei ad id ius acquisiuit. Idem dic si quis iubilei tempore non fuit cõfessus etiam reseruata, quæ habebat, quia confessarij copiam non habuit, dummodo alia opera exequatur. Idem dic quando confessio fuit inualida etiam aduertenter facta, licet aliqui id nolint pro tempore iubilei, quia non videtur Pontificis intentio esse de dãda tali facultate illi, qui non habet intentionem lucrandi iubileum, qualem non habet, qui consulto inualidè confitetur; secus dicendum de illo, qui consulto inualidã facit cõfessionem apud Prælatum, vt absolutionem obtineat à reseruatis, quia Prælatus cum talem ignoret subditi intentionem, absolutam facit absolutionem, ac proinde licet non sequatur peccatorum ablatio, fit tamen ablatio reseruationis illorum.

QVAE-

QVAESTIO V.

Resoluuntur aliquæ difficultates ad materiam reseruationis pertinentes.

PRima difficultas est, an Confessarius, qui peccatum commisit reseruatum, vt facultatem à Prælato obtineat, absque sui manifestatione, vt à suo absoluatur Cōfessario, possit sub hac forma talem petere facultatem. Peto facultatem vt absoluatur vnus subditus tuus; seu vnus subditus tuus facultatem petit vt absoluatur à tali reseruato. Respondetur affirmatiuè, cum enim etiam Confessarius sit subditus, in tali petitione includetur; argumento legis, *Paulus respondit* § *fin. ff. de pignoribus*, vbi dicitur, quod quando seruus ex Domini consensu, in aliquo contractu, omnia Domini bona obligauit, etiam seruus ipse obligatus censetur.

Secunda difficultas, an petens facultatem vt à reseruatis pro vna vice, vel pro hac vice absoluatur, possit absolui etiam à pecato reseruato, quod post petitam, & obtentam facultatem commissum est? Aliqui absolutè negant, alij absolutè concedunt. Verius distinguendum est, vel enim licentia data, est pro absolutione peccati determinati, vel pro absolutione à peccatis reseruatis illimitatè. Primo modo, vt patet, non extenditur, benè secūdo modo, etiamsi quis differat absolutionem, vel confessionem per aliquod tempus, vt absoluatur à committēdis. An autem licentia Prælati, vt quis absoluatur à reseruatis extendatur ad illa peccata, quę quis ob confidentiam obtinendæ absolutionis commisit, dubitant aliqui: Verius tamen dicendum est extendi; sicuti id communiter admittūt Theologi de illis, qui ob Iubilei confidentiam peccant; certum enim est, & hæc peccata

per Iubileum tolli, cum in ipso Iubileo talium peccatorum non fiat exclusio.

Hoc idem dicitur, quando ob aliquam causam in Iubileo confessio differtur, si enim quis tempore illo intermedio aliquod committat reseruatum, poterit ab eo, à quocunque Confessario approbato absolui: & ratio est, quia per Iubileum Pænitens acquisiuit ius, vt absoluatur à reseruatis per confessionem ponẽdam, per accidens autem est, quod aliud commiserit reseruatum. Idem volunt aliqui de dispẽsatione voti; sed de hoc suo loco.

Tertia difficultas, an Regulares tempore Iubilei, vt à reseruatis absoluantur, sufficiat quod confiteantur suo Prælato, vel alteri religioso de illius venia, ab Ordinario, seu ab Episcopo non approbato; an vero requiratur, quod confiteantur Confessario ab Episcopo approbato. Prima sententia est, quod requiratur, quod confessio fiat Confessario ab Episcopo approbato, ita post Suarez, & aliquos alios tenet Lugo disputio vigesima num. 143. Secunda sententia verior, & probabilior, & magis in vsu est, quod sufficiat proprio cõfiteri Prælato, etiam ab Episcopo non approbato, vel alteri religioso de venia proprij Prælati, etiamsi ab Episcopo approbatus non sit; ita communiter recentiores post Bonacinã de sacram. disp. 5. q. 7 p. 4 §. 1. nu. 14.

Probatur primò, Religiosus ante Iubilei tempus potest, & debet proprio confiteri Prelato, vel alteri religioso, de eiusdem Prælati venia; ergo etiam tempore ipso Iubilei; Antecedens ab omnibus conceditur. Consequentia probatur; quia per Iubileum non extrahitur Religiosus, ab illa, quam profitetur obseruantia; Atqui extraheretur, si semel deberet confiteri religioso ab Episcopo approbato, vel sæculari; ergo. Maior videtur nota; nam Iubileum datur in bonum animarum, non in destructionẽ; datur Iubileum vt fideles maiori cum feruore Deo deseruiant, peccatis dimissis, & pęnis illis debitis; non esset autem

tem sic, si semel Religiosus, ab illa, quam profitetur obseruantia, extraheretur. Minor ostenditur. Nam potissima Religionis obseruãtia est, quod Religiosi in Monasterijs maneant, sub obedientia, & oculis proprij Prælati, si autẽ deberent confiteri approbato ab Episcopo, locus daretur vagationis; cũ in multis Monasterijs, nullus reperiatur Cõfessarius ab Episcopo approbatus, vt contingit in illis, qui sæcularium non audiunt confessiones, vti sunt Carthusiani, & Capucini, & contingit in nostris eremis, imò dato quod esset vnus, vel alter sic approbatus, certè nimis durum esset, totam ad illum, vel illos restringere cõmunitatem, præsertim cum contingere possit, quod aliqui cum eo, repugnantiã habeant, vel confidentiam non habeant.

Probatur secundò, quia in Iubileo facultas datur, vt quis absolui possit à reserua tis, per Confessarium, ab Ordinario approbatum; sed Prælatus proprius, est religiosi Ordinarius; ergo ab eo absolui potest, vel etiam ab illo, qui eiusdem Prælati est delegatus. Minor, in qua est difficultas, ostenditur; Nam religiosus cũ sit ab Episcopo exemptus, pro proprio Ordinario, eundem Episcopum habere non potest, sed eius est proprius Ordinarius, qui est illius superior, cui subijcitur, & à quo gubernatur: Hucusque namque nemo dixit, Episcopum esse exemptorũ Ordinarium, sed subditorũ propriorum.

Sed dices cum Lugo num. 141. quod licet Ordinarij nomine Prælatus regularis intelligi aliquando possit, non tamen in Iubileo eo quod ibi dicatur, quod possit eligi Cõfessarius ab Ordinarijs locorum approbatus, nomine autem Ordinariorum locorum, soli Episcopi intelliguntur. Nam cõtra est, quia peterem à Lugo, vbi inuenit, quod nomine Ordinariorum locorum, soli Episcopi intelligantur? Nonne Regularium Prælati sunt suorum locorum exemptorum, seu Monasteriorum Ordinarij? certè sunt; ergo cum Pontifex dicat eligi posse

ſe Confeſſarium ab Ordinarijs locorum approbatum, per diſtributionẽ locutus eſt accommodam; videlicet, quod vnuſquiſque eligat Confeſſarium à proprio Ordinario approbatum, ſæcularis ab Epiſcopo, & Regularis à proprio Prælato.

Quarta Difficultas, an per Iubileum anni Sancti reuocẽtur Regularium facultates, ſi quas habent, abſoluendi à reſeruatis? Reſpondetur negatiuè, reuocantur quidem indulgentiæ, & facultates abſoluendi, cauſa indulgentiæ lucrandæ, ſed non abſolutè: ita plures, quos refert, & ſequitur Lugo, diſput. 20. num. 145.

Quinta Difficultas, an cõfeſſarius inferior poſſit abſoluere à reſeruatis, quando ſuperior abſoluendi facultatem concedere renuit, ſed vult quod ſubitus ad ſuos pedes apparet. De Regularibus nulla eſt difficultas; conceſſit namque Clem. VIII. in ſuo decreto pro regularium reſeruatione, quod ſi confeſſarius petat à Prælato veniam abſoluendi ſubditũ illius, ab aliquo reſeruato, & illã Prælatus denegat, poſſit pro vna vice confeſſarius talem Pœnitentem abſoluere. Difficultas eſt de ſæculari de qua re, aliqui quos refert, & probabile putat Diana de Sacrã. reſol. 29. putant id fieri poſſe. Sed Melior eſt contraria opinio quam ſequuntur communiter Theologi, quos longe manet refert, & ſequitur Layman lib. 1. trac. 6. c. 13. nu. 3. Nam Tridentinum ſeſſ. 14. c. 7. ſolum mortis articulum excipit, extra quem nullus poteſt in reſeruata, niſi ordinariam, vel delegatam, quoad illa, habeat facultatem.



QVAE-

QVAESTIO VI.

De Confessarij approbatione, vbi pulchræ difficultates expediuntur.

PRæter potestatem ordinariam, vel delegatam, requiritur in Confessario approbatio; vel potius vt melius dicam approbatio ab Ecclesia requiritur, vt quis habeat potestatem ordinariam, vel delegatam ad audiendas confessiones. Sunt autem duo modi approbationis: primus per Pareciæ collationem, secundus per examen, vt statuit Tridentinum sess. 23. cap. 15. de reformatione, vbi sic dicitur. *Decernit Sancta Synodus, nullum etiam regularem, posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire; nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen si illis videtur esse necessarium, alias idoneus iudicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacũque etiam immemorabili, non obstantibus.* Sed antequam dubia, quæ ex hoc Cõcilij decreto oriuntur proponantur, nota primò, quod quoad Parochos nullum requiritur examen, quia ex eo quod ad id munus assumuntur, siue per examen, & cõcursum, vt communiter obseruatur; siue sine illis, censentur idonei, eo quod præsumitur quod nullus ad illud munus assumatur, quin valde sit idoneus, licet aliquando oppositum alicubi obseruauerim, assumuntur namque aliquando ad illud periculosum munus, Sacerdotes, qui vix legere sciunt, & sic *cæci sunt, & duces cæcorum*. Nota secundò, quod ille, qui approbationem habebat ratione Parochialis beneficij, si postea renunciet, vel alio quocunque modo priuetur, illam amplius non habet approbationem, sed alia requiretur, si confessiones audire velit, ratio

tio est, quia Concilium vult, illũ esse approbatum quoad sæculares beneficiarios, qui Parochiale obtinet beneficium; & sic, si amplius non obtineat, tali non fruitur indulto.

Aliqui tamen, & non videtur improbabile id concedunt, quia talis videtur mẽs esse Concilij, nam vult Concilium Parochum examini nõ subiacere, quia iam supponitur idoneus, quam idoneitatem non amittit per Paraciæ renunciationem, si enim in regulari examen non requiritur quando alias idoneus iudicatur, idem dicendum erit de illo, qui alias idoneus fuit iudicatus per Parochialis beneficij collationem; sed à primo dicendi modo non videtur recedendum.

Nota tertiò, quod regularis priuilegiatus, seu exemptus ab Episcopi iurisdictione, non accipere ab Episcopo iurisdictionem, sed à Põtifice, posita Episcopi approbatione, vt conditione, quod non solum colligitur ex iure communi, præsertim ex cap. *Dudum*, de sepulturis, verum etiam ex citatis Tridentini verbis, vt consideranti patebit: his positis.

Quæritur primò, an regulares suorum virtute priuilegiorũ possint absoluere à casibus iure communi Episcopis reseruatis? Respondetur affirmatiuè, quod vt intelligas referam per extensum verba decreti Clement. VIII. prohibẽtis, ne regulares prætextu priuilegiorum absoluere audeant à casibus, quos Episcopi sibi reseruant, vel in posterum reseruabunt. *Nec etiam à casibus quos Ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo*. Et infra in eodem decreto habetur eiusdem Clem declaratio, quoad casus Papales in hæc verba: *Sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum compræhẽdi casus, qui in Bulla cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constit. fæl. rec. Greg. XIII. violationis clausuræ Monialiũ ad malum finem. Prouocantiũ,*

&

& pugnantium in duello. Inijcientium violentas manus in Clericos. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterũ reseruabũt. Et licet Paulus V. & Vrbanus VIII. in suis decretis absolutè prohibeãt ne regulares à casibus absoluant Episcopalibus; cum tamẽ sint præcedentis decreti cõfirmatio, de solis illis casibus Episcopalibus intelliguntur, quos sibi Episcopi reseruant, nõ de illis, qui à iuri sibi reseruantur, ita post alios Diana p. 3. tract. 2. resol. 13. & p. 8 trac. 7. Miscel. resol. 71. Addit post alios Diana loco primò citato, hoc idem dicendum esse de excõmunicationibus Episcopis reseruatis; Et de casibus Papalibus alias Pontifice reseruatis, exceptis citatis; & ab omnibus illis à quibus (quia oculti) absoluere possunt Episcopi, quia tunc cum fiant Papales à iure Episcopis reseruati, in virtute præcedẽtis decreti absoluere possunt Regulares.

Quæritur secundò, an Prælatus Regularis possit absque Episcopi approbatione, sæcularium audire confessiones? Affirmat Henriquez lib. 7. de Indulgentijs cap. 12. num. 3. vbi refert idem sensisse viros doctissimos ex Dominicanorũ familia, videlicet M Mantium, Gallum, Medinam, & Bannesium. Eandem sententiam tenet Ioannes Valerus in differentij vtriusque fori v. *nullitas*, differentia 5. num. 5. Eo fundamento quia Tridentinum vult Parochos esse ministros confessionis idoneos; atqui Regularium Prælatus est verus Parochus, suarum animarum custos, & rector; ergo.

Sed non est recedendum à communi sententia, quam post alios tenet Diana to. 1. tract. 2. miscel. resol. 46. & ratio plana est, quia Regularis Prælatura non est beneficium Parochiale, sed altior dignitas, & dato quod esset Parochus, Regularium Prælatus, ad summũ sequeretur, quod non sæcularium, sed suorum subditorum Parochus esset,

& sic, quòd posset suos subditos, non sæculares audire. Per quæ patet ad fundamentum oppositum.

Quæritur tertiò, an approbatus ab Ordinario, sed limitatè scilicet pro solis rusticis, vel pueris, vel mulieribus, vel viris, possit iubilei tempore ab omnibus eligi, tanquam verè approbatus. Negat Lugo disput.21.nu.16. post Suarez, & alios quos ibi refert, sed à solis illi eligi potest, pro quibus fuit approbatus. Sed verior, & communior sententia affirmat, quam sequitur Nugnus q.8. art.5. dub.4. Bonacina hic disput.5.q.7.p.4. §.1. num.22. Petrus Fay hic q. 8. art.5. disput.3. concl.5. ad 4. Henriquez loco citato lib.6. c.6.nu.8. Fagundez lib.7. c.2. nu.45. & alij ferè omnes de hac materia scribentes. Et ratio est, quia Iubileum debet aliquid suffragari, vel aliquid operari, dum facultatem concedit eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum; atqui nihil operaretur, si semel requireretur vniuersalis approbatio; ergo. Certum namque est, quod ille, qui est vniuersaliter approbatus, ab omnibus sine Iubilei priuilegio est eligibilis; ac proinde, cum Iubileum concedat facultatem eligēdi ab Ordinario approbatum, quæcunque sufficiet approbatio; dummodo aliunde per doctrinā idoneus sit, licet ex alijs capitibus limitatè sit approbatus, vt quia iuuenis &c. Idem dicendum quando aliquis est approbatus pro vno solum oppido, hic enim est eligibilis, per se loquendo, ab alio. Hic vnum aduerte, non esse necesse, quod approbatio detur in scriptis, sed quis statim est approbatus, ac ab Episcopo, vel ab examinatore, vel examinatoribus deputatis, idoneus censetur; vnde si cædulæ, vel scripturæ datio differatur, vt aliquando multum differtur non est expectanda, sed statim quod quis scit fuisse idoneum reputatum potest confessiones audire, & ita vidi viros doctos obseruare, nisi aliunde contrarium de Ordinarij mente constaret: & ratio est, quia Concilium simplicem

plicem requirit approbationem, non scripturam, vel per scripturam firmatam.

Queritur quartò à quo Ordinario debeat Confessarius approbari. Variæ sunt Theologorum sentētiæ. Prima docet cuiuscunque Episcopi approbationem sufficere, vt quis vbique audiat confessiones. Tum quia Tridentinum solū petit quod Cōfessarius sit ab Episcopis approbatus, nec determinat, quod ab hoc, vel ab illo determinatè; & sic, cū lex ista sit odiosa, restringi nō debet, plus quam verba sonant. Tum etiam quia assignari non potest cuius Episcopi approbatio requiratur. Si enim dicatur quod requiratur approbatio Episcopi loci vbi fit confessio, vt vult Gutierez lib. 1. can. 1. c. 27. nu. 16. contra est, quia Petrus Sacerdos Mediolani approbatus, potest ciuem Mediolanēsem hic Romæ sacramentaliter absoluere. Si dicatur quod requiratur approbatio Episcopi pœnitentis, vt voluēt plures apud Suarez disput. 28. sect. 6. nu. 5. in quod ipse Suarez valde propendit; contra est, quia alioqui Cōfessarius hic Romæ non posset extraneum confiteri, cum ab illius Episcopo non sit approbatus. Si vero dicatur Episcopū approbantem debere esse Confessarij ipsius Ordinarium, vt vult Lugo disput. 21. num. 35. post Suarez, & alios. Etiam contra est, quia ex ista sentētia sequeretur non posse Episcopum Laudensem approbare pro audiendis confessionibus Religiosum, vel etiam sæcularem hospitē, qui Cremonæ habeat domicilium, quod tamen est falsum, & contra praxim, nam concionatores, qui alibi habent domicilium approbantur frequenter vbi concionantur, vt mihi Laudæ contigit, & tamē non eram ibi conuentualis, sed hospes. Tum etiam, quia Episcopus non dicitur propriè Regularium Ordinarius, cum isti sint ab eius iurisdictione exempti, & licet subijciantur illi quoad idoneitatis testificationem, non tamen quoad iurisdictionem habendam, cum illam habeant à Pontifice, posita Episcopi approbatione. Ob has forte ra-

tiones Henriquez lib.7.de Indulgentijs cap.12 §.4.& lib.9 de pœnit cap.6. nu.7.& alij, hanc tenent sententiam. Pro eadem sententia Lugo nu.28. citat Dianam tom.1.tract.11. de Bulla cruciatę,& de sacrament. resol. 110. Sed nullibi Diana id dicit;in primo namque loco solum loquitur de electione virtute bullæ cruciatæ, vel Iubilei, vel alterius priuilegij, quod nimirum ratione istorum approbatus ab aliquo Episcopo, quis eligi possit. In secundo vero loco, loquitur de Parocho,an scilicet possit exponere approbatum ab aliquo Episcopo,& licet pro affirmatiua sententia aliquos referat, ille tamen illam non sequitur.

Quare relicta ista sentẽtia, cum contra se habeat Pontificum declarationes, præsertim Innoc.X.in causa definita contra Iesuitas, in fauorem cuiusdã Episcopi Indici, quæ videri potest in N. Lezana in consulto in fauorẽ Iesuitarũ facto. Dico 1. *Regularium approbatio ab Episcopo, necessaria non est respectu omnium pœnitentium, sed solum ad audiendas sæcularium, & laicorum confessiones, vt clarè docet Tridentinum loco citato*. Vnde Religiosi, qui priuilegium habent eligendi Confessarium, possunt eligere non approbatum, siue sæcularem, siue Regularem; ob id nos secundum nostras Constitutiones dum sumus in itinere tenemur cõfiteri apud nostros, etiam simplices Sacerdotes; & si ex nostris non habemus, possumus confiteri apud Regularem, vel sæcularem, etiã non approbatum.

Dico secundò. *Episcopum approbantem, illum esse debere, qui est Ordinarius loci, vbi quis vult audire confessiones*; & ratio est, quia non debet quis alterius oues cognoscere, nisi de illius licentia. Vnde habita postea ab hoc Episcopo licẽtia, potest illius oues vbique cognoscere, & sic, vbi eas reperit audire, & absoluere poterit. Et licet iste Episcopus nõ sit propriè Ordinarius Regulariũ, siue in eo Episcopatu habeãt domicilium, siue hospites sint, parum refert, ad hoc vt Episcopus illorũ dicatur Ordinarius, cũ hoc munus acqui-

acquirat in virtute decreti Tridentini eo ipso, quod Regulares sibi quoad idoneitatis testimonium habendum sibi subijciuntur, siue medio examine, siue solo nutu, &c.

Quæres quintò, an religiosus à suis superioribus Episcopo præsentatus pro approbatione, ad sæcularium confessiones audiendas, & iniustè reprobatus, possit confessiones excipere. Certum est posse Episcopum, Regularem nō idoneum, reprobare, id enim sibi à Tridentino citato loco conceditur. Certum etiam est Regularem præsentatum, & aliunde idoneum habere ius vt approbetur, sicut enim Parochus ex ipsa electione sua, ius habet, vt approbetur, sic religiosus, qui ex Pontificum priuilegijs est veluti Parochus delegatus (cum ab ipso Pontifice, vt Parochus habeat iurisdictionem) habet ius si idoneus sit, vt approbetur. Difficultas solum est, an si Episcopus absque iusta causa religioso idoneo deneget approbationem possit ille confessiones audire, ob iurisdictionem sibi à Pontifice concessam.

Conueniunt omnes Sacerdotes sæculares iniustè reiectos confessiones audire non posse, eo quod nullibi præsumere possunt de Pontificis voluntate, de conferenda eo casu iurisdictione. De solis ergo Regularibus præsens difficultas procedit: de qua. Prima sententia est affirmatiua quam defendit Nauar. Sum. cap. 27. nu. 264. & 265. vbi docet etiam post Tridentinū id fieri posse, sed sufficiat licentia petita, & non obtenta, eandem sententiam sequitur Diana p. 2. de dubijs Regularium resol. 24. vbi citat Cochierum, Laymanum, Finellum, Villalobum, Mirandam, Henriquez, Ioan. de la cruz, Rodriquez, Sotum, Graffium, Vegham, Cenedū, & Fagundez; & p. 6. citat Cellotium, Baunyum, Gamacheum, & Celestinum, & hanc sententiam dicunt receptam esse inter Doctores inclytæ Sorbonæ, & probant primò ex Bonifacio VIII. in extrauag. *super Cathedram*, de sepul-

ſepulturis, vbi conceditur, quod poſtquam Generalis, vel Prouincialis petierunt facultatem ab Epiſcopo ad eligendos confeſſarios, & electos præſentarunt, ſi Epiſcopus nollet eos admittere habeantur pro admiſſis. Et hoc confirmauit Clem. V. in Concilio Vienenſi, relato in Clement. *dubium* de ſepulturis; Secundò probant, quia hęc Clement. non eſt per Tridentinum reuocata, quia Tridentinum ſolum priuilegia, & conſuetudines in contrarium reuocauit, non ius commune, qualia cenſentur priuilegia, in corpore iuris inſerta, ius namque commune ſemper illeſum cenſetur, niſi expreſsè reuocetur.

Sed oppoſita ſententia ſequenda eſt, & videtur praxis Eccleſiæ, & raro contingit, quod quis illam ſequatur, vel quia Epiſcopi communiter valde benigni ſunt erga Regulares, vel quia etiamſi quis eſſet malè affectus erga illos, & iniuſtè illos approbare nollet deberent id patienter tollerare pro bono pacis. Quod ſi, vt aliquando vidi, talis excluſio in ignominiam reſultaret Religioſi, & ſubinde Religionis, ad ſuperius tribunal eſſet recurrendum, nec facilè deberet illam ſequi ſẽtentia, quia ſcandala in populo oriri poſſent, vt alicubi contingit, quia excluſus confeſſiones audiebat, & Epiſcopus ſe opponebat, etiam declarando tales confeſſiones nullas eſſe. Melius ſe geſſit quidam, qui excluſus ab examinatoribus, quia non rectè ad interrogata reſpondiſſet, eo quod illius ſententiæ illorum captum ſuperabant, qui vix vnum, vel alterum ſummiſtam viderunt; publices expoſuit thæſes de illis punctis, & in illis thæſibus, ipſos inuitabat examinatores, qui ire nolluerunt, ſed apud Epiſcopum curarunt, vt approbationis ſchedula ad ipſum mitteretur, quo facto ceſſauit rumor.

Quæres ſextò, an poſſit Epiſcopus Regularium confeſſarios approbare cum limitatione ad certum tempus v. g. per 6. menſes, vel ad annum,

annum, vel ad certas personas, vt v. g, regularis mulierum non audiat confessiones, nisi annum habeat quadragesimum, &c. Quoad sæculares non est dubium; quoad Regulares vero multi sustinét id fieri non posse, quos videre poteris apud Dianam de dubijs Regul. resol. 25. quam sententiam mordicus defendit Pater Cellotius de Hierarchia lib. 5. cap. 25.

Sed praxis Episcoporum est in contrarium, solent nãque ferè vbique licentiam ad annum limitare; sed hic dubitabit aliquis, an si Regularis anno transacto audiat Confessiones antequam licentia de nouo confirmetur confessiones sint validæ. Sequendo primam sententiam certum est, & validas, & licitas esse; at sequendo oppositam Episcoporum praxi firmatam, difficultas est nonnulla; aliquis enim dicet talem licentiç confirmationem solum requiri ab Episcopis, vt Regulares illam ostendant subiectionem, non vt nouam conferãt approbationem, vel antiquam, quæ iam finiuit cõfirment, Certè de Episcoporum benignitate id facilè prçsumi potest præsertim si bona fide procedant Regulares.

Quæres septimò, an licentia Reguluribus data ab Episcopo ad audiendas confessiones, possit ad libitum reuocari. Certum est posse reuocari à successore, vt statuit Pius V. in proprio motu; non tamen à Capitulo sede vacãte. Ludouicus Cellotius loco citato post alios quos affert, docet non posse Episcopum tales licentias reuocare, eo quod Pontifices, & Cõcilium vna contentãtur præsentatione. Alij volunt illas posse reuocare, & quando ad beneplacitum illas licentias concessere, & quando limitatè. Alij dicunt posse Episcopum validè, etiam sine iusta causa, tales licentias reuocare, non licitè, nisi iusta interueniat causa, quod magis practicatum videtur.

Quæres octauò, an religiosus ab Ordinario approbatus, sine suorum licentia Prælatorum possit sæcularium cõfessiones audire, ita quod confessiones validæ sint? Respondetur

detur affirmatiuè; ratio eſt, quia Prælati regularis præſẽtatio, non eſt conditio eſſentialis, ſed accidentalis, & ad melius eſſe, ad hoc vt poſita Ordinarij approbatione Pontifex conferat iuriſdictionem; nec Epiſcopus in tali approbatione à regulari Prælato dependet, ſed ſui iuris eſt, & poteſtatis. An autem peccet mortaliter religioſus ille, qui ſine ſuorum licentia Prælatorum, ſe Epiſcopo approbandum repreſentat. Affirmatiuè reſpondetur: ratio eſt, quia in extrauag. *ſuper cathedram* talis repreſentãdi modus pręſcribitur, & eſt communis Religionum praxis.

QVAESTIO VII.

De ſcientia quam debet habere Confeſſarius.

QVadruplicem confeſſarij ſcientiam aſſignabant Scholaſtici antiqui, vnã, quam vocabant clauem: *clauis ſcientiæ*, & hæc ſcientia, vt patet, non eſt habitus acquiſitus, vel infuſus, ſed poteſtas diſcurrendi in foro, ſeu iudicio animæ, vt per eam iudicet Confeſſarius quis debeat ad ſacramentum recipi, quiſque excludi, vel quia excommunicatus, reſtitutioni obnoxius, &c. Alteram vocabant *ſcientiam ligandi* per quam Confeſſarius ſciat monere, & obligare pœnitentem de ijs à quibus debet abſtinere; per quam ſciat quantam, & qualem pœnitentiam debeat pro peccatis confeſſis imponere. Tertia ſciẽtia vocabatur *ſcientia abſoluendi*, vt cognoſceret Cõfeſſarius abſolutionis formam; vt cognoſceret à quibus peccatis, & cenſuris abſoluere poſſet, an pœnitens ſit cẽſuratus; an caſus habeat reſeruatos, quæ cognitio reſeruatorum non eſt neceſſe, quod habeatur ab illo, qui à reſeruatis abſoluere poteſt. Hæc ſcientia non eſt neceſſe, quod ſit tãta, vt Confeſſarius ſciat omnia peccata, excommunicationes, ſuſpenſiones, circun-

circunstantias, restitutiones, quia hæc est sciẽtia eminens, quæ in paucis reperitur, imò nec requiritur mediocris per quam in promptu conclusiones habeat difficiles, sed sufficit talem habere scientiã per quam sciat, quæ communiter occurrunt in eo loco, vbi confessiones quis audit, & de alijs sciat dubitare, & possit certificari, vel per recursum ad libros, vel vt peritiores consulat. Maior tamen scientia requiritur, inquit D. Antoninus 3. par. tit. 17. cap. 16. in eo qui spontè se ingerit, quam in eo, qui ex obediẽtia id agit; quod limitat Nauar. in man. cap. 4. nu. 3. id verum esse in ordine ad illum excusandum, si in aliquo erret. Qui cognoscit se idoneum non esse, peccat si in hoc munere se ingerit, nec Prælatus id debet ei præcipere cap. *nihil* de electione, nec subditus debet acceptare, cap. *non est putanda* 1. q. 1. Si vero subditus de sua dubitaret sufficientia posset Prælato præcipienti acquiescere, cap. *quid culpatur*. Et si Prælatus putaret illum idoneũ esse, non peccaret eum exponendo argum. cap. *Apostolicæ* de cleric. exc. Quarta scientia *medica* dicebatur, per quam Confessarius ægrotantis animæ mederi sciat, cap. *omnis* S. *Sacerdos de pœnis, & remis*. vt impœnitentem emolliat, desperantem erigat, pusillanimem confortet, & cuique sua adhibeat medicamenta.

Excipiuntur duo casus in quibus Confessarius omnino ignarus, qui scilicet nescit distinguere inter lepram, & lepram, inter mortale, & veniale, &c. non peccat Confessiones excipiendo: primus est mortis articulus, tũc enim tenetur confessarius hoc sacramentum ministrare, & insufficientia illius, cedit necessitati, vt patet. Secundus casus est sufficientia Pœnitentis per quam suppletur Confessarij insufficientia, & ratio ex Philosophia desumpta esse potest, quia sicut in agente, in quo actiuitas requiritur in ordine ad subiectum, suppleri potest per eiusdem subiecti dispositionem; ita quia in Pęnitentiæ Sacramento sufficiẽtia in Confessario requisita, est vt discernat lepram à le-

pra, mortale à veniali, vt discernat peccatorum grauitatem; an sint quædam circunstantiæ mutantes speciem, in peccatis quæ confitentur; an sint peccata reseruata; an sint censuræ, &c. si horum omniũ cognitio sit in Pęnitente, cum hoc sacramẽtum in illius bonum sit institutum, & eidem pœnitenti credatur, siue pro se, siue contra se loquatur, poterit eiusdem Confessarij insufficientiam supplere; Et sic, in hoc casu nõ peccabit Episcopus ignaros approbando Confessarios pro viris doctis, qui possint eiusdem Confessarij insufficientiam supplere; nam sicut doctrina Confessarij est respectiua per ordinem scilicet ad pœnitentem, ita & approbatio. Hinc nota vnum de quo alias interrogatus fui, an nimirum Episcopi peccẽt mortaliter approbantes Confessarios rudes, & ignaros pro rusticis. Respondi cum distinctione, vel enim habet Episcopus sufficientes, vel non, si primum peccat, secus si secũdum, melius est enim rusticis rudem habere Cõfessarium, quam nullum.

Sed hic petet aliquis, an Confessarius debeat de singulis peccati, quæ confitentur iudicare, an sit mortale, an veniale, an sit huius, vel illius generis, vel speciei? &c. Respondeo negatiuè, sed sufficit, quod peccata audiat, & aliunde sciat, quæ mortalia, quæuè venialia ex genere, & species, & circunstantias cõmuniter occurrentes, & omnibus auditis, nisi aliud occurart, confitentem absoluat; secus est, quando imponenda est restitutio, prohibendus contractus, vel quid simile; tunc enim non sufficit audire, & absoluere, sed iudicare debet in particulari de tali peccato, an habeat, vel non habeat annexam talem obligationem; idem dicendum quando petitur consilium in futurum, alioqui valde onerosum esset confessiones audire, nec esset possibile, quod quis plures, & plures vno mane audiret Confessiones, si tanta exigeretur applicatio in confessario; vt omnia iudicaret, audiat ergo Confessarius Pœnitentium confessiones, & si aliud non occurrat illos

illos absoluat, & dimittat; si tamen vacet breuem habeat exhortationem secundum cuiusque indigentiam.

QVAESTIO VIII.

De Confessarij obligationibus.

PRima Cõfessarij obligatio, est sui muneris exercitatio, quam aliqui tenentur ponere ex obedientia, vt religiosi, iuxta vniuscuiusque Religionis institutum, & superioris præscriptum, de quo nihil scribendum occurrit, alij tenentur illam ponere, ex iustitia, vt Pontifex, qui primò loco ex iustitia ratione supremi Pastoris officij ad id tenetur; vt Episcopi, qui post ipsum Pontificem ex iustitia ad id ipsum tenentur, cum sint animarum Pastores licet & ille, & isti à tali ministerio exonerentur propter eorum grauissimas occupationes; & Parochi qui proximè ad hoc munus sunt deputati: alij solum tenentur ex charitate, vt omnes illi, qui curam non habẽt animarum, & ex pura delegatione audiunt confessiones, vt sunt Regulares, de quibus omnibus aliquæ occurrunt difficultates breuiter examinandæ.

Prima difficultas est, an Parochi teneantur audire suorũ confessiones parochianorum, quoties volunt confiteri, an solum aliquando.

Prima sententia est Ioannis Medinæ C. de cõfess. q. 37. Ricard. in 4. dist. 18. art. 2. q. 2. Syluest V. Confess. 1. num. 14. Armil. V. absolutio num. 28. & aliorũ, quod teneatur Parochus suorum Parochianorũ confessiones audire, solum semel in anno, & in mortis articulo.

Secunda sententia tenet, quod teneatur toties quoties petitur, hanc tenent aliqui antiqui, in sua antiquitate sepulti.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Parochus nunquam tenetur per se*

ipſum (per ſe loquendo) ſuorum audire confeſſiones ſubditorum, ſed ſufficit quod aliū ſubſtituat idoneum; vnde ſufficit, quod vel per ſe, vel per alium ſuo muneri ſatisfaciat, & hoc non ſolum in mortis articulo & ſemel in anno, verum aliquando per annū, & toties quoties ſubditus id rationabiliter petit, vt ratione feſti occurrentis, Iubilei, Indulgentiæ, vel quia aliqua habet peccata, quæ ipſum grauant, & valde durum eſſet non poſſe illa deponere, niſi Paſchatis tempore, &c. Dixi per ſe loquendo, quia per accidens Parochus per ſe ipſum, ſubditorum cōfeſſiones excipere debet, quia ſcilicet nullus alius eſt, qui ſubſtitui poſſit, vel ſi aliunde expediret, quod Parochus ipſe, ſubditi confeſſionem exciperet. Et ratio eſt, quia Parochus tenetur ex officio ſacramenta ſuis ſubditis adminiſtrare, ſecūdum eam rationem, ſecundum quam Chriſtus Dominus ea inſtituit; atq; Chriſtus Dominus hoc ſacramentum inſtituit, non ſolum vt eo vtamur, quando ad id obligamur, verum etiā quoties prudenter indicamus illud nobis fore profuturum. Hæc quæ de Parocho diximus, intelligi proportionaliter debent de Regulari Prælato reſpectu ſuorum ſubditorum. Notat, & benè Nugnus q.8.art.4.dub 3.quod non ſēper Parochus peccat mortaliter quando non vult audire ſui ſubditi confeſſionem, etiā rationabiliter illam petentis, cum in hoc dari poſſit materiæ paruitas, quia licet confeſſio reſpectu præcepti annui ſit materia grauis, ſufficiens ad grauem inducendam obligationem, tamen reſpectu obligationis Parochi, non ita cenſenda eſt: per quæ patet, non benè intuliſſe Bonacinā diſput.6.q.7.p.4.§.2.num.23. ex ratione Nugni ſequi, non eſſe peccatum mortale non confiteri ſemel in anno, ſi ſemel confeſſio non eſt materia grauis, nā vt dictum eſt, vna, & eadem materia reſpectu diuerſorum, poteſt eſſe grauis, & leuis, vt patet de miſſa quę reſpectu præcepti Eccleſiaſtici, eſt materia grauis, reſpectu tamen præcepti alicuius vniuerſitatis, vel Religionis de audienda illa in diebus feriali-

rialibus, est materia leuis, & sic, licet Regula nostra talem missæ præcipiat auditionem, non tamen materia grauis reputatur, quia auditio vnius missæ in ordine etiam ad cultum Dei, quem alijs multis modis colit Religio, res parua videtur; non sic auditio vnius Missæ, solis festis diebus, in quibus alius non præscribitur cultus, res enim grauis censetur; plus enim est, plurisque æstimatur trãsgressio præcepti raro obligantis, quã quotidie.

Sed obijcies primò, in fauorem primæ sententiæ, quia præceptũ quo Parochus obligatur subditorũ audire confessiones, est affirmatiuum; ergo tantum obligat necessitatis tempore; quando scilicet subditus ipse, ad illius præcepti obseruantiam adstringitur. Antecedens certum videtur. Consequentia ostenditur, quia præcepta affirmatiua cum non obligent pro semper, pro determinato tempore debent obligare, hoc autem aliud esse non potest, nisi illud, quo subditus ad illius obseruantiam tenetur; ergo.

Respondetur negando cõsequentiam, licet enim tale præceptum affirmatiuum sit, est tamen ordinatum in bonum, & vtilitatem pœnitẽtis, ac proinde, quando talis vtilitatis ratio, in pœnitente currit, & ius habet hoc sacramẽtum petendi, & Parochus illud administrare tenetur. Parochus ergo tenetur hoc sacramẽtum administrare quoties subditi currit vtilitas; vnde obligatio Parochi non solũ oritur ex obligatione subditi, verum etiam ex eius vtilitate.

Obijcies secundò, quia si Parochus, eo quia est suorum Pastor animarum, tenetur illas huius sacramenti pabulo pascere, etiam Pontifex, & Episcopi ad id tenerentur; atqui hoc videtur incongruũ; ergo nec Parochus ad id tenebitur, nisi necessitatis, vel obligationis tempore? Respõdetur ex dictis, quod nimirum Pontifices Parochiarum fecerunt diuisiones, vt deputarent ministros idoneos, qui illorũ, & Episcoporum vices supplerent; quod si daretur casus in

quo

quo expediens esset, quod & illi confessiones audire deberent, ad ipsum obligarentur.

Secunda difficultas, an Regulares teneantur aliquando ex charitate confessiones audire. In duobus conueniunt omnes Theologi, quod in extrema proximi necessitate huius sacramenti recipiendi, & etiam in graui necessitate, nō particulari, sed communi, seu totius communitatis, & non sunt illi, qui ex iustitia tenentur, vel si sint, cum sint Pastores quidem, sed mercenarij, & non veri pastores administrare nolunt, teneantur Regulares ex charitate hoc sacramētum ministrare. Tunc autem proximus est in extrema huius sacramenti necessitate, quando taliter se habet, quod si illud non conferatur, damnabitur, vt si quis sit morti proximus, & ignoret inuincibiliter, se non posse saluari, nisi per confessionem, vel etiā quia nihil vnquam de contritionis remedio audiuit., vel quia sic fuit ab aliquo hæretico deceptus, &c. Et in hoc casu nullum est dubium, quin Cōfessarius Regularis teneatur ad illi subueniendū, quando non est ille, vel non vult, qui ex iustitia subuenire tenetur: vnicuiq; namq; Deus mandauit de proximo suo, & charitatis præceptum, tunc temporis omnes adstringit. Grauis vero necessitas communis, vel totius communitatis tunc est, quando v.g. pestis grassatur, & Parochi, qui ex iustitia tenentur non sunt, vel vel si sint ob mortis timorem se retrahunt, ab huius sacramenti administratione, cum tamen teneantur pro fratribus, vel melius dicā, pro ouibus, animabus ponere; ne tot fideles sine hoc sacramento moriantur; ex charitate tunc tenētur Regulares, & alij omnes qui curam non habent animarum. Et ratio est, quia licet hęc necessitas sit tantum grauis, tamen, quia est communis, particulari bono præponderat. In his duobus conueniunt omnes; solum aliqualis difficultas est, an regulares teneantur cōfessiones audire in particularibus huius sacramenti necessitatibus, solum

lum modo grauibus; vt quādo obligat huius sacramenti susceptio, siue ex diuino, siue ex humano precepto & nō est Parochus, qui possit, vel velit audire: & aliunde, qui in tali reperitur necessitate se ipsum iuuare potest; an inquam teneantur tunc temporis regulares confessiones audire. Affirmant Valentia, Lorca, Suarez, & alij apud Lugum disp. 22. num. 11. etiam cum vitæ periculo. Verior sententia distinguit, si possit Regularis sine graui incommodo succurrere illi, sic in tali necessitate constituto, id debet ex charitate præstare: secus non; & ratio est, quia dum proximus est in periculo, & ab illo per semetipsum potest se liberare, non indiget absolutè mea ope, & sic non teneor cum tāto meo incommodo illi subuenire. Sed plenior huius materiæ resolutio, ex ijs quæ dicenda sunt in tract. de Charitate dependet, ideo nunc sistimus, & ad alias Confessarij obligationes properamus.

Secunda Confessarij obligatio est, interrogandi Pœnitentem, contra aliquos qui dixerunt, confessarium, talē nō habere obligationem: sed solum teneri Pœnitentē audire, & absoluere; cuius rei rationem assignabant, quia cum Confessarius sit in hoc foro iudex non fiscalis, & hoc sacramentū iudiciū sit in quo Pœnitens est sui accusator, & testis, & sibi creditur, siuè pro se, siuè contra se loquatur, sequitur debere confessarium stare dicto Pœnitentis & sic ipsum audire, & auditū absoluere. Verum oppositū, est sequendum cum sit communis Cōfessariorum praxis, & fidelium sensus: tum quia cōfessarij obligatio est, vt verum & perfectum ponatur sacramentum, ac proinde curare debet: vt qui sibi confitetur integrè confiteatur, alioqui nō esset fideles dispensatur mysteriorum Dei. Si ergo Confessarius aduertat in aliquo aliquem defectum, vt contingit in rudioribus, illum emendare tenetur, Pœnitētem examinando circa ea peccata, quæ videt probabiliter commisisse. Aduertant tamen confessarij, vt in hac re prudenter valde se gerant,

& caueant ne Pœnitens, ex eorum interrogationibus merito offendatur. Ob hoc interrogandi non sunt, Pænitẽtes benè instituti, honesti, & maximè litterati, in quibus nulla probabilis suspicio esse potest de insufficiẽtia confessionis, vel examinis. Cautissimus sit, circa res inhonestas, & maxime cum mulieribus, cum satius sit, aliquid non ita perfectè percipere, quam vel leuem suspicionem illis inijcere. Caueat ne doceat Pœnitentem suis interrogationibus ea peccata, quæ prius ignorabat, & ita illi præbeat occasionẽ cõmittendi illa. Rudes non dimittat, vt examen faciant cõscientiæ, sed eos, vt poterit, adiuuet, quia vel non reuertentur; vel loco examinis coronam, vel quid simile recitabunt, cum altius non ascẽdant, sic docente experientia.

An Confessarius possit Pœnitentem absoluere, quem scit aliquod commisse peccatum, & illud in confessione reticere? alibi diximus, debere absoluere, quia existimare potest Pœnitentem ex ignorantia inuincibili putare, illud non teneri fateri: si tamen nec hoc præsumere posset, sed mala fide illud reticere, deberet illum dimittere.

Tertia Confessarij obligatio est docendi Pœnitentem; de qua re aliqui distingũt dicentes, quod si Pœnitentis ignorantia sit iuris diuini cõfessarius illum monere tenetur; si vero sit ignorantia inuincibilis facti, vel iuris humani, nec alterius damnum sequitur, nec est spes emendæ, sed timor, ne Pœnitens scandalizetur, non tenetur monere, ita Adrianus quodlibeto 5. art. 2. Lædesma de Pænit dub. 13. Nauar. sum. cap. 22. nu. 83. Et Couar. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 10. nu. 15. Alij nimium fimbrias laxando dicunt, id ipsum verum habere in ignorantia etiam vincibili iuris humani extra tamen confessionem, vt si in itinere cõstitutus videam socium ex vincibili ignorantia diuinum non recitare officiũ, non teneor illum admonere. Huius tamen rei veri-

tas

tas sequentibus dictis explicabitur.

Dico 1. *quoties ignorantia est vincibilis, & culpabilis lethaliter, cuiuscunque iuris, vel facti non potest Confessarius dissimulare, quin Pœnitentem moneat, quamuis admonitio non sit profutura, & scandalũ Pœnitentis sequatur*; ratio est, quia cum ea ignorantia sit mortalis si non amoneatur sacramentum administrabitur in mortali existenti sciẽter. quod non est licitum. Idẽ dicendum, quando Pœnitẽs consciẽtiam habet erroneã mortaliter. Dico 2. *si Pœnitens ignorantia laboret inuincibili cuiuscunque iuris, vel facti, & est spes probabilis, quod monitio sit profutura, & nullum sequitur alteri damnum, nec scandalum, tenetur confessarius Pœnitentem admonere: secus quando nulla speratur vtilitas*. Idem dicendum, quando Pœnitens habet ignorantiam inuincibilẽ, quæ in alterius damnum redundat, tamen ex monitione nulla sequetur vtilitas, nulla est monitionis obligatio.

Sed hic quæret primò aliquis, quid facere debeat Cõfessarius, quando videt Pœnitentem Iudicem, non condemnare reum, quem condemnare tenetur? nam si nõ moneat suæ non satisfacit obligationi, si moneat incurrere videtur irregularitatem consulendo, vel hortando, vel monendo, vt reum occidat. Respondetur debere admonere, quia nulla incurritur irregularitas, vt enim post Vasquez, quem refert, & sequitur Turrianus de Cẽsuris lib. 9. disput. 66. dub. 3. dicunt omnes fere Moderni, irregularitas ex defectu lenitatis à personis priuatis non incurritur, sed solum à iustitiæ ministris. Hæc tamen proceduntq́; quando iudex de sua obligatione vincibilem lethaliter haberet ignorantiam, vel etiam crassam; secus quando inuincibilem, & aliũde nullum aliud sequeretur damnum, quam reo ipsi; si namque damnum sequeretur communitati, vel scandalum publicum, Rei damnum non esset sufficiens ad excusandũ iudicem inuincibili ignorantia laborantem. Idem ferè

decidendum eſt, quando Cõfeſſarius audit reum nolẽtem iudici crimen ſuum fateri; nã ſi illum hortetur ad crimen fatendum, ob quam confeſſionem ſit morte damnandus, non fit Confeſſarius irregularis ob dictam rationem. Si tamen Confeſſarius videat reũ bona fide nolle fateri crimen, quia putat ad id non obligari, debet diſſimulare, præſertim cum ſit probabilis multorum ſententia, reum non teneri crimen fateri cum vitæ periculo, vel membrorum mutilationis. Quod ſi detur caſus quo Confeſſarius iudicet reũ teneri crimen fateri, & aliunde videt difficile eſſe reum ad id inducere; poterit confeſſionem differre quoaduſq; ſit factũ rei examen, & tunc poterit ipſum abſoluere, cum iam monendi occaſio ceſſauerit.

Quæret quis ſecundò, an Confeſſarius ſequi teneatur pœnitentis opinionem contra propriam? Aliqui volunt nullum Confeſſarium ad id obligari, ſiue proprius ſit, ſiue alienus, ita Conradus, Antoninus, Angelus, & Sylueſter apud Sanchz lib. 1. decal. c. 9. nu. 27. Alij volunt ſolum Confeſſarium proprium obligari, ita aliqui poſt Medinam C. *de confeſſ. dimidiata iteranda* §. *ſequitur iam.* Alij dicũt vtrumque Cõfeſſarium teneri. Suarez hic diſput. 35. ſect. 5. & alij plures, quos congerit Diana tom. 1. de opinione probab. reſol. 11.

Mihi media via incedendum videtur: Confeſſor proprius tenetur abſoluere pœnitẽtem ſecundum ſuam probabilem opinionem, & hoc toties quoties rationabiliter accedit; at vero Confeſſor alienus ſolum tenetur audita confeſſione, quia ille tunc, ius per confeſſionem acquiſiuit, vt abſoluatur, cum ſit in bono ſtatu, ſecundum ſuam probabilem opinionem; at poterit ille Confeſſarius alienus talem pœnitentem monere, quod non amplius accedat cum illa opinione, quia illum non abſoluet; cum enim iſte Confeſſarius nullam habeat obligationem illum audiẽdi, iure vtitur ſuo, ſi nolit ipſum audire, dum talem ſequitur opinionem.

Quar-

Quarta Cōfeſſarij obligatio eſt, vt ſuppleat confeſſionis defectum, vel defectus, ſi quem, vel quos commiſiſſet, pro quo nota ex Nugno q.8. art.4.dub.vltimo, quod tripliciter contingere poteſt Confeſſarium errare in Sacramēti Pœnitentiæ adminiſtratione. Primò ſi defectum committat circa ſacramenti valorem, vt ſi fecerit ſacramētum nullum, quia nullam habeat iuriſdictionem, vel quia abſoluit pęnitentem indiſpoſitum, vel non habuit abſoluendi intentionem. Secundò ſi commiſit defectum in damnum tertij, vel ipſius pœnitentis, quia non obligauit pœnitentem ad reſtitutionem faciendam, quam facere tenebatur; vel quia ipſum pœnitentem obligauit ad reſtitutionem faciendam, quam facerè non tenebatur. Tertiò ſi commiſit defectum ſine alterius pręiudicio, ſed contra confeſſionis integritatem, vt ſi non interrogauit numerum peccatorum mortalium, ſpecies, circunſtantias mutantes ſpeciē; ſi non examinauit de aliqua obligatione, vel præcepto, de quo examinare debebat, &c.

Si Confeſſarius errauit faciendo ſacramentum nullum dicunt D. Antoninus, Syluest: & Nauar. apud Suarez diſput. 31. ſect.6.nu.5. & Ioannes Valerus in differ. vtriuſque fori, v.Pœnit. differ.7. nu.2. quod Confeſſarius ad nihil teneatur, ſed ſolum quod doleat de culpa ſi quam commiſit: & rationem aſſignāt, quia illa peccata in ſequenti confeſſione indirectè remittentur, & aliūde Confeſſarius non poteſt ſine graui honoris, & famæ detrimento pœnitentem monere. Procedit hæc ſententia extra mortis articulum, quia in eo tenetur Confeſſarius pœnitentem monere; etiam cum graui ipſius damno, vt omnes volunt. Alij volunt teneri Confeſſarium pœnitētem monere, vel aliquo modo inducere, vt nouam faciat confeſſionem, & in ea faciat illum ſe accuſare de peccatis in præcedenti confeſſione depoſitis. Suarez loco citato, & alij ſatis communiter. Hæc ſecunda ſententia mihi placet, quando Confeſſarius ex culpa lata nullam fecit cōfeſſio-

nem; si autem bona fide processit prima placet sententia. Sicut enim in materia iustitiæ, si quis alium culpabiliter infamauit, tenetur cũ æquali damno, famam resarcire; qui verò inculpabiliter non tenetur cum suo damno; ita in hoc casu, qui culpabiliter nullum fecit sacramentum, tenetur etiam cum suo detrimento illud, vt ita dicam, reficere, non sic, qui inculpabiliter.

Si Confessarius errauit cõmittendo defectum in damnũ tertij, vel pœnitentis, si id fecit mala fide, positiuè dicendo v.g. non teneris restituere, cũ pœnitens verè teneretur; tenetur talem errorem auferre, alioqui ipse ad restitutionem obligabitur. Ratio est, quia Confessarius est causa positiua damni tertij. Si id fecit bona fide, vel ex ignorantia inuincibili ad neutrum tenetur, cum suo graui incommodo. Quod si positiuè talem restitutionis ignorãtiam non causauit in pœnitente, sed omisiuè, etiamsi id fecerit ex ignorantia vincibili non tenetur ipse restituere, tenetur tamen sine graui incommodo pœnitentem monere. Ratio est, quia Confessarij obligatio, solum est in ordine ad spiritualia, non in ordine ad temporalia pœnitentis bona, vel aliorum & sic nisi aliunde in illorum damnum, aliquẽ habeat influxum ad nihil tenetur; vnde si Confessarius in suo munere sit negligens, non contra iustitiam, sed cõtra religionem delinquit. Quod autem tenetur monere si commodè potest, patet, quia id est sui muneris; faciliter tamen excusabitur, ob verecundiam nimiam, ob difficultatem, &c.

Maior difficultas est, quando Confessarius audit pœnitentis confessionem, & aduertit illius obligationem de restitutione facienda, & tamen nec positiuè dicit, quod illam non faciat, sed consulto tacet. P. Suarez apud Nugnum loco citato, dicit Confessarium ad nihil obligari; ipse verò Nugnus affirmat, quia si Confessarius dum loqui tenebatur taceat, virtualiter dicit illum non teneri, & hoc verius videtur, Præsertim quando pœnitens ex modo confitendi virtualiter, Confessarij iudicium

cium exposcit, vt si dicat *nescio an talem rem restituere tenear*, & Confessarius tacet.

Si vero confessarius errauit circa solam confessionis integritatem, vt quia numerum mortalium non petijt, &c. ad nihil tenetur; quando enim error in tertij damnum non redundat, & confessio est valida, etiamsi error fuerit sciẽter commissus, Confessarius ad solam pœnitentiam agendam tenetur: ita Nugnus, Reginaldus, & alij apud Dianã tom. 1. tract. 1. miscell. resol 7. Incommodum enim & tædiũ loquendi cum pœnitente de eius confessione, ab integritate materiali cõfessionis excusat. Benè verum est, quod si postea pœnitens ad aliam redeat confessionem, in illa præteritæ confessionis defectus suppleri debent, non tantum pro præteritæ confessionis integritate, quam pro præsentis complemento, & perfectione; ad complementum namque præsentis confessionis spectat, quod peccata in præcedenti confessione relicta, in præsenti subijciantur.

DISPVTATIO DECIMA

De sacro confessionis Sigillo.

Confessionis sigillum dicitur id debitum, vel vinculum quo Confessarij ligantur, ne ea reuelent, quæ in confessione audierunt, vt docet Angelicus in 4. dist. 22. q. 3. ar. 1. quæstiunc. 3. Sicut nãque id quod materiali sigillo munitum est, tectum, ac tutum est, vt habetur in L. 1. §. *fin.* ff. quem. test. apert. ita & debitũ, quo Confessarius celare, & tegere tenetur ea, quæ in confessione

à pœ-

Prima sententia est Vasquez. q. 93. art, 4. dub. 1. nu. 10. Caninch. disput. 9. dub. 2. nu. 4. vbi affert Henriquez sed malè, quia oppositum sentit; qui dicunt a deo strictam Sigilli confessionis obligationem oriri ex præcepto naturali diuino positiuo.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Adeo stricta sigilli confessionis obligatio, oritur ex præcepto naturali diuino, non positiuo.* Hanc sequuntur Theologi omnes, illis duobus exceptis, qui pro prima contentia sunt citati videatur Suarez hic sect. 1. nu. 10. Lugo disput. 23. nu. 7. & alij.

Quod Sigilli Confessionis obligatio, sit iuris naturalis. Probatur quia naturæ iure, ea proximo debemus, quæ nobis fieri volumus, *dist. 1. in prin.* Atqui nos volumus nostra peccata adeo stricto tegi secreto, quod in nullo casu pandantur; ergo naturæ iure idem proximo nostro præstare debemus, vnde sicut contra naturæ legem peccat, qui alicuius secretum in eius dedecus reuelat, etiam si id vitium naturæ sit, vel morale: ita à fortiori peccabit contra naturæ ius, qui peccatum in confessione depositum, pandit.

Quod autem sit iuris diuini. Probatur eleganti Diui Thomæ testimonio 4. dist. 21 q. 3. art. 1. & hic q. 11. art. 1. vbi sic loquitur: *In Sacramentis, ea quæ exterius geruntur sunt signa rerum, quæ interius contingunt: & ideo confessio, qua quis Sacerdoti se subijcit, signum est interioris, qua quis Deo subijcitur: Deus autem peccatum illius, qui se sibi subijcit per Pœnitentiã, tegit. Vnde & hoc oportet in sacramento Pœnitentiæ significari: & ideo de necessitate Sacramenti est, quod quis per cõfessionem celet, & tanquam violatur sacramenti peccat; qui Confessionem reuelat. Et præter hoc sunt aliæ vtilitates huius celationis, quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur, & simplicius etiã peccata confitentur.* Hæc D. Thomas. Ex quo testimonio sic sequentem formamus rationem. Deus tegit peccata dimissa taliter, quod in nullo

lo casu ea reuelat; ergo & Sacerdos id ipsum facere debet, dum media confessione loco Dei, Pœnitentis peccata dimittit. Antecedens patet ex multis Sacræ Scripturę locis: ex illo *In quacunque hora ingemuerit peccator, peccatorum illius non recordabor amplius*. Si enim Deus non recordatur peccatorum dimissorum, quomodo poterit ea reuelare? Et ex illo Psal. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata*. Consequentia patet, nam per hoc Sacramentum assimilari debet Sacerdos Deo, ac proinde sicut Deus in nullo casu peccata reuelat, nec Sacerdo reuelare debet, alioqui id quod exterius in Sacramentis geritur, non esset signum illius, quod interius genitur, seu externa peccatorum dimissio quam facit Sacerdos, illius, nempe interioris, quam facit Deus, signũ non esset. Si ergo hoc Sacramentum, ex Christi institutione, habet inducere obligationem in Cõfessario, quod in nullo casu peccata reuelet audita, vt sit signum illius, peccatorum, dimissionis, quã facit Deus, signum hoc erit iuris diuini, cum sequatur ex naturam rei supernaturalis, nempe Sacramenti.

Probatur secundò, nã qui aliquid instituit, censetur illud instituere cum omnibus illis conditionibus, sine quibus cõsistere nequit. cap. *Praeterea*; de offic. deleg. imò, & cum illis omnibus, sine quibus commodè fieri non potest *L. pen. de 7 susfru.* Atqui confessio est à Christo instituta; ergo cum omnibus illis conditionibus instituta esse debet, sine quibus commodè fieri non posset; sed confessio à nullo fieret, imò omnibus odiosa, & exosa esset, nisi sũmè secreta esset; ergo ex Christi Domini institutione id habere debet.

Sed dices, ex hac ratione sequi videtur; quod adeo stricta confessionis obligatio, nõ de iure naturali diuino sit, sed de iure naturali diuino positiuo; ergo non videtur concludere, sequela ostenditur; nam id quod à causa habetur efficienti, non oritur ex principijs intrinsecis rei, sed extrinsecis; ergo si talis stricta con-

fessionis obligatio est ex Christi institutione, à causa erit efficiente, ac proinde à principio extrinseco, & non ex intrinseca huius sacramenti natura. Respondetur namque, quod aliud est, aliquid esse tale ex Christi institutione, & aliud est esse tale, ex sui natura, supposita Christi institutione. Pœnitentiæ sacramentum, non affert talem sigilli obligationem primo modo, sed secundo, licet enim Christus Dominus potuerit hoc sacramentum instituere, vt publicè fieret, cum sit Dominus famæ, hoc tamen non fecit, licet permiserit id fieri posse; de facto tamen prout positiuè illud præcepit, taliter instituit, vt ex eius ratione, talis sigilli obligatio nasceretur. Instituit enim ad modum præceptorum naturalium negatiuorum perfectorum, quæ strictam afferunt sui obseruãtiam, vt mox subijciemus.

Quæret aliquis, an sigilli præceptum sit affirmatiuum, an negatiuum? Respondetur esse negatiuum perfectum: pro quo nota præcepta naturalia in duplici esse differentia, alia imperfecta, & alia perfecta; imperfecta dicuntur illa, quæ in sui materia, vel circunstantijs, aliquam patiũtur mutationem, ratione cuius desinunt esse formaliter de eo obiecto, & versari in illa formaliter materia, & dicuntur quidem obligare semper, & pro semper, & ad semper, prout sunt de illa formaliter materia, vel prout eorum obiecta talibus vestiuntur circũstantijs, non aliter. Exemplum habes in secreto purè naturali, quod habet obligare sẽper, & pro semper, & ad semper, prout est de sua materia formaliter, vel prout eius obiectum est taliter circunstantionatum, prout nimirum est ita circunstantionatum, quod sit in proximi bonum, secus si oppositum contingat; vnde si ex tali secreto sequitur proximi malum, siue temporale, siue spirituale; siue particulare, siue commune, non obligat. Idem patet in præcepto naturali *Non occides*, quod tenet, & obligat ne homicidiũ priuata fiat auctoritate, non publica, non in propriam defensionem, cum moderamine in-

inculpatæ tutelæ. Idē dic in præcepto de re aliena nō accipienda, quod in casu necessitatis non obligat, cum in eo casu res aliena non censeatur, sed propria.

Præcepta iuris naturalis perfecta illa sunt, quæ nullam patiuntur variationem, seu mutationem in propria materia, nec circunstantia, aut conditione, ratione cuius habere possint honestatis variationem; vt est mendacium, quod nullo vnquam casu potest esse licitum; vt est pollutio voluntaria, quæ nullo casu licita esse potest, & alia huius generis cetera, quorum omnium ratio est, commune bonum, quod respiciunt; si namque imaginabilis esset casus, in quo licitum esset mentiri, mutua hominum deprauaretur communicatio, & contractus, quia posset semper quis suspicari, fortè ille mihi mentitur, quia fortè putat in hoc casu id esse sibi licitum; & si semel pollutio esset in aliquo casu licita, daretur occasio talem, vel similem casum fingēdi, contra commune bonū prolis. Christus ergo Dominus potuit confessionis sigillū facere, quod primi esset præcepti, tamē ob commune bonum totius Ecclesiæ, voluit esse secundi, quod nimirum nullus sit casus in quo licitum sit tale sigillum frāgere, alioqui commune Ecclesiæ, & fidelium bonum, quod ex confessione habetur, destrueretur; retraherentur namque fideles à confessione facienda, si semel posset dari casus, in quo Sacerdos posset eorum peccata confessa manifestare.

Sed obijcies primò, confessionis secretū potest esse boni communis destructiuum; ergo tunc temporis non obligabit. Consequentia certa videtur, quia nullum ius obseruari debet, cum ex eo cōmunis boni destructio oritur, præponderat namque commune bonum, bono particulari cuiuscunque iuris. Antecedens ostenditur, si enim quis confiteatur delictum aliquod, quod in commune reipublicæ damnum vergit, vt esset proditio, hæresis infectio, &c. tunc cōfitentur peccata communis boni destructiua; ergo.

Confirmatur, quia confessionis sigillum, est in pœnitẽtis fauorem; ergo in eius fauorem frangi poterit; vt ad manifestãdam eius innocentiam, ad ipsum excusandum, vt si quis furtum in necessitate factum confiteatur, & audiat Sacerdos ab alijs taxari, vt verum, & proprium furtũ, poterit rem vt vt est, manifestare.

Respondetur quod etiamsi cõfessionis secretum in damnum redundet reipublicæ, nõ tamen est frangendũ, eo quia talis fractio in damnum maius, & superius redundat, nẽpe in damnum spirituale Ecclesiæ, fidelium, & sacramenti, est enim sigillum maximũ Sacramenti bonum, cum eo medio facilius exerceatur, frequẽtetur, &c. Per quæ patet ad Confirmationem; nam licet verum sit, confessionis sigillum, etiam in bonum pœnitentis redundare, non tamẽ iste est eius titulus adequatus, sed etiam alij dicti maioris considerationis, & sic quãdiu illi manet, vt semper manent, nunquã poterit, quouis posito pœnitentis bono, frãgi.

Obijcies secundò, quia in Concilio Carthaginensi, & refertur causa *6*.q.2. can. *placuit*, supponitur quod Episcopus possit reuelare crimen, sibi in confessione depositum; ergo non est intrinsecè illicitum, sed solum humano iure prohibitum, vt prohibetur *cap. p. nult. de pæn. in 6*. & *cap. omnis de Pænit.* & alibi.

Respondetur falsum esse in dicto loco supponi Episcopũ posse reuelare peccatum sibi in confessione depositum, sed solum Episcopum posse in aliquo casu reuelare secretũ, vel delictum, quod solus ipse nouit, quando id expediret bono publico, vel ad impediendum tertij damnum.

Hic interrogabit aliquis; quot peccata committat, qui Confessionis frangit sigillum Conueniunt omnes semper interuenire peccatum grauissimum contra religionem, ob grandem irreuerentiam huic illatam Sacramento. Difficultas est, an etiam interueniat peccatum iniustitiæ, contra ius naturale secreti, quod violatur. Ad quod dico, quod si res, quæ manifesta-

tur

tur est parui momēti, vt peccatum veniale, tunc est peccatū graue irreligiositatis, & leue iniustitiæ, quia frangitur naturale secretum, in releui Si vero peccatum, quod manifestatur est mortale, tunc distinguendum, puto velenim peccatum, quod propalatur alias potuisset propalari, quia redundabat in damnum boni communis, vel particularis, & tunc dico eius fractionem continere solam sacrilegij malitiam, non iniustitiæ contra secretū naturale, quod respectu huius non ligat; vel peccatum, quod propalatur non redundat in damnum boni communis, vel particularis, & tunc talis propalatio est contra iustitiam. Hoc secundū admittit Lugo disput. vigesima tertia num. 16. non primum, quia, ille qui rem accipit sub secreto, obligat se ad illam non reuelandam, quam diu non fuerit necesse eam reuelare; atqui confessarium nulla necessitas obligat ad reuelandū ergo tenetur ratione pacti implicit non reuelare. Sed hæc Lugonis doctrina displcet. Primò, quia esse videtur cōtra eundem auctorem; nam ex illa sequæretur, quod peccaret mortaliter Confessarius contra iustitiam, reuelando peccatum veniale; si enim ratione pacti se obligauit Cōfessarius ad non reuelandum, & hoc currat etiam in veniali etiam in reuelatione illius culpa grauis erit. contra pactum. Et si respondeat hoc pactum cum sit de veniali esse de re leui, non illud; cūtra est, quia licet illud peccatum, quod alias propalandum esset, si aliud vinculum præter naturale non curreret, secundū se grauissima res sit tamē in ordine ad ocultationē, nec est res grauissima, nec grauis, nec leuis, cum nullo modo esset ocultandum, imò potius esset obligatio propalandi si aliud vinculum non adesset, vnde in ordine ad ocultationem, veniale peccatum est res magis grauis, quā peccatum mortale, quod vergit in damnum publicum. Secundò quia pactum vt sit iustum, & legitimum non potest esse vinculum inquitatis, esset autem vinculum ini-

qui-

quitatis, si quis præciso vinculo superiori, se obligaret ad seruandum secretum rei vergentis in damnum publicum, vel priuatum tertij.

Ex quibus patet non esse vniuersaliter verã doctrinam Antonini Dianæ p. 5. tract. 11. resol. 2. quod in fractione sigilli Confessionis duplex sẽper malitia intercedat vna contra religionem, quam etiã nos admittimus, alteram cõtra virtutem iustitiæ infusam quam nõ admittimus in omni reuelatione, nã iustitia infusa & acquisita solum in motiuo, non in materia diuersificantur, ac proinde, vbi iustitiæ acquisitæ materia nõ saluatur, nec infusæ saluabitur; vnde cum vti diximus, non semper homo per secreti confessionis reuelationẽ peccet contra iustitiam acquisitam, quia non semper eius materia grauis saluatur, sequitur, quod neque contra infusam, tunc temporis peccabit. Adde quod contra iustitiam infusam non peccatur nisi quis directè faciat contra eius motiuum, quod est seruare iustũ ex Charitatis motiuo; atqui, qui sigillum frangit non semper intendit non facere iustum contra motiuũ supernaturale Charitatis, sed ex alijs motiuis inferioribus, nimirum ob lucrum, ob inuidiam, ob odium &c. ergo non semper contra iustitiam infusam peccatur Confessionis sigillum frangendo.

QVAESTIO II.

Quænam personæ confessionis sigillo obligentur.

IN omni sententia certum est confessarium ipsum confessionis sigillo obligari, cum pro ipso præcipuè eius præceptum latum sit; de Pœnitente etiam certum videtur huic sigillo non obligari, cum nullibi talis reperiatur obligatio,

gatio; vnde cum sit famæ suę dominus, potest per se loquendo, sua peccata manifestare; an autem loqui possit Pœnitens de ijs quæ sibi dicuntur à Confessore, dico non semper loqui posse, cum possit interdum fieri, vt ex aliquo titulo ad illa reticenda obligetur, vt ex virtute prudentię, ne se præbeat alijs ridiculum, talia narrando, vel ne minuat estimationem, quam alij habent de confessario, vel quia re vera cadunt, & dicūtur sub secreto naturali: de alijs ergo solum personis sunt difficultates proponendæ, & dissoluendæ.

Prima difficultas est, an interpręes, vel internuncius sub confessionis sigillo, ad peccata reticenda teneatur. Prima sententia est affirmatiua, quā post Suarez, Vasquez, & alios quosdam, extra scholam Diui Thomæ, sequitur Lugo disp. 23. nu. 21.

Nostra sententia sequenti explicatur cōclusione. *Interpres tenetur quidem peccata, quæ audit fidelitatis vel secreti naturalis titulo, & quidem arctissimo celare, non tamen proprio titulo sigilli sacramentalis confessionis*. Hanc sententiā sequuntur nobiliores Thomistæ, vt Caietanus in Sum. V. *Confessio*, conditione vndecima. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. conclusione 4. Ioannes de la cruz nobilissimus Dominicanæ familiæ Theologus in directo. par. 2. *de Sacram. Confess.* q. 3. dub. 7. cōcl. 1. & alij plures. Dixi in conclusione obligari interpretem strictissimo fidelitatis titulo, vel alio, quia cum hic obligationis titulus sit medium quid, inter purum titulum naturalem, & sacramentalem, debet ab vtroque aliquid participare, à naturali, secreti rationem, à Sacramentali indissolubilitatem.

Probatur conclusio primò. Interpres eam tantum habet obligationem seruandi secretum circa peccata quæ audit, quam habet ipse Pœnitens; Atqui Pœnitens, non stringitur Confessionis sigillo, vt diximus; ergo neque interpres Probatur Maior, quia interpres in tali confessione, quæ per ipsum fit, vices gerit Pęnitentis, & non se tenet ex

par.

parte Confessarij, quia nullũ Cõfessarij munus exercet, sed pœnitentis, supplendo scilicet illius defectum, subiciendo peccata in tali idiomate, vt à Confessario intelligãtur, quod ab ipso pœnitente præstari non potest; vnde interpres est pœnitentis morale instrumentum, & veluti canale, per quod peccata transeũt ad Confessarium; ergo si interpres ex parte pœnitentis se tenet, veluti illius instrumentum, & non ex parte Cõfessarij, confessionis sigillo nõ ligabitur, sicuti nec pœnitẽs ipse ligatur.

Probatur secundò. Nemo tenetur sacramentaliter per interpretẽ confiteri, nec Christus Dominus, nec Ecclesia ad id vnquam obligauit, ergo sigilli confessionis obligatio ad interpretem non extenditur. Antecedens ab omnibus conceditur. Consequentia probatur, quia ad id extendi non potest obligatio eorum, quæ ad confessionem consequuntur, ad quod non extenditur ipsius confessionis obligatio, ergo si obligatio confitendi per interpretem nulla est, etiam nulla erit obligatio eorum, quæ ad confessionem consequuntur, vt est eiusdem confessionis sigillum. Respondet Lugo num. 23. hoc argumentum non probare, quia etiam Christus non obligauit ad venialia confitenda, & tamen si confiteantur sub arcto confessionis sigillo à confessario custodiri debent. Sed contra, quia hic nõ loquimur de confessario, supposuimus namque ex communi omniũ sententia, confessarium teneri custodire sigillum omnium peccatorum, quæ à pœnitente dicuntur, cum pro ipso potissimè sigillum præcipiatur. Sed loquimur de persona ex parte confessarij non se tenẽte, sed ex parte pœnitentis; & de hoc currit argumentum. Oppositæ partis fundamentũ non refero, quia in falso fundatur principio, quod nimirũ interpres eo ipso quod confessionis sigillo non tenetur, poterit saltem in aliquo casu peccata audita manifestare, hoc enim non dicimus, quia licet dicamus interpretẽ confessionis sigillo nõ ligari, ligatur tamẽ alio indissolubili explicato,

Se-

Secunda difficultas, an Cōsiliarius, quem Confessor cōsulit ad sciēdum, quid debeat in aliquo casu facere, ad confessionis sigillum teneatur, ita quod si cum alijs de illo peccato de quo fuit consultus verba faciat, tanquam sigilli fractor puniri possit? Affirmat Lugo num. 25. post alios. Negāt Nugnus, Onuphrius, Megala, & alij quos refert, & sequitur Diana tom. 1. tract. 1. miscell. resol. 14. Mihi distinctione vtendum videtur, si Confessarius cōsiliarium adiuit ex pœnitentis venia. non tenetur consiliarius ad secretum ratione sigilli confessionis, sed alijs titulis, de quibus supra, & ratio est, quia eo casu illa notitia non habetur ex vi confessionis, sed ab ipso pœnitente, licentiam, vel cōsensum dante, de tali colloqutione, dum enim pœnitens dat Confessario licentiam alloquendi virum doctum, diuersam notitiam dare censetur à sacramentali, nempe notitiam loquendi extra sacramentum. Si vero Confessarius consiliarium consulat sine tali pœnitentis venia, tenetur consiliarius illud secretum custodire titulo sacramentalis sigilli, & ratio est, quia tunc, talis notitia, quam habet consiliarius ortum habet à confessione, ac proinde transit cum suo onere cap. *Sacerdos*, de pœnit. dist. 6. & cap. *ex litteris*, de pignoribus. Idē quod diximus de consiliario, dicendū est de Prelato, quando ab eo licentia petitur pro reseruato, si enim id fiat de pœnitentis venia, Prælati notitia non est sacramentalis, secus si non fiat.

Tertia difficultas, an ille cui confessarius peccatū manifestauit ad sigillum teneatur? Respondetur affirmatiuè; ratio clara ex dictis, quia talis notitia à confessione originē habet, & sic cum suo onere transit. Idem dicendum de illo qui casu, vel industria pœnitentis peccata audiuit, dum confitetur; quia talis notitia ex sola confessione procedit, & sic cum onere suo transit.

Quarta difficultas, an ille qui fingens se Sacerdotē confessionem audit, ad sigillum teneatur? Affirmant aliqui vt Suarez, & Vasquez quos refert.

fert, & sequitur Lugo nu.41. Verius, & probabilius negat Sotus apud Vasquez, Toletus & Onuphrius apud Dianam p.5.tract.11.resol.15. quia cū illa confessio non sit sacramētalis, sacramentalē inducere non potest obligationem. Idē dicendum quando quis scienter laico confitetur, vel causa humilitatis, vel quia putat esse validam confessionem laico factam. Et ratio est, quia ad confessionis sigillum duo requiruntur. Primum, vt fiat confessio apud habentem auctoritatem, alioqui non confessio, sed simplex peccatorum, vel suorum erit narratio factorum. Secundum vt fiat à pœnitente animo percipiēdi sacramentū, vt tradit Onuphrius opusc. de sigillo sect. 3. q.vnica dub. 4. Vnde, si quis accedat ad Sacerdotē, & fingat se confiteri, non orietur in Sacerdote sigilli obligatio.

Quinta difficultas, an ille, qui inuenit cartā in qua scripta sunt peccata, ad sigillum teneatur? Respondetur negatiuè, nam illa notitia non habetur ex confessione, cum illa scriptura non sit confessio, vt patet; tenetur tamen inuentor illa peccata non manifestare, vt ex se liquet.

Sexta difficultas, an Confessarius ipse, teneatur ad cōfessionis sigillum, quando non potest defectū, quem in confessione audienda commisit, suo Cōfessario explicare, nisi peccatum illud de quo defectus commissus fuit, reuelet in confessione? Sotus in 4.dist. 14. q 4. art.5. Sa *v. confessor.* Gab. in 4 dist.21.q.1. art.3. dub.1. dixerunt licitum esse Sacerdoti talem reuelationē facere, quādo id necessarium est ad faciendam integram confessionem. Sed oppositum prorsus tenendum est cum communi Theologorum sensu, vt videre est apud Dianā loco supra citato, resol.9. quia obligatio seruandi secreti cōfessionis strictior, & maior est, quā sit obligatio integræ ponendæ confessionis; nam ab integritate confessionis plures casus excusāt, vt suo loco vidimus, at verò sigilli confessionis fractio in nullo casu licet, vt dictum est.

QVAE-

QVAESTIO III.

Ex qua confessione oriatur sigilli obligatio: vbi etiam quae nam sit eiusdem sigilli materia.

PRimum citius expediemus, vt longius in secũdo maneamus. Pro primi puncti propositi intelligentia nota, duplicem pœnitentis distingui posse confessionem, vnam sacramentalem, non sacramentalem alteram. Sacramentalis in duas alias subdiuiditur, in sacramentalẽ scilicet perfectam, & imperfectã, seu inchoatam. Sacramentalis perfecta tunc est, quando pœnitens sua confitetur peccata sacerdoti legitimo, à quo veram recipit absolutionem, & fit verum sacramẽtum. Inchoata tunc est, quando pœnitens verè sua cõfitetur peccata Sacerdoti in ordine ad eorum recipiendam absolutionem, tamen id non fit, vel ex eiusdem pœnitentis indispositione, puta ob carentiam doloris, vel propositi, vel quia habet occasionem proximã, quam non vult relinquere, vel ob aliam similem causam; vel ex parte Confessarij, qui, vel non habet reseruati iurisdictionem; vel non habet facultatem absoluendi à censura, qua pęnitẽs innodatur, &c. Confessio non sacramentalis tunc est, quãdo licet vero fiat Sacerdoti, non tamen animo recipiendi absolutionem, sed alliciẽdi ipsum Confessarium ad aliquod peccatum committendum, vel quid simile], vel quando fit Laico &c. De quibus confessionibus breuiter dico, sigilli obligationem oriri ex sacramentali confessione tam perfecta quam imperfecta, seu inchoata, nõ tamen ex non sacramentali. Ita D. Thomas hic q 11. art. 1. ad primum, & omnes eius discipuli. Ob idque idem D. Thomas art 2. ad 2. notat, quod quando aliquis dicit aliquid alteri sub secreto, isto modo, *dico tibi, hoc sub sigillo confessionis,*

nis, nulla oriatur sigilli confessionis obligatio, sed solum vinculum naturalis sigilli, seu secreti, quia tunc temporis nulla intercedit sacramentalis confessio. Et hæc de primo puncto, in q titulo proposito.

Quoad secundum prius ea ponenda sunt, in quibus nulla est inter Theologos difficultas; deinde difficultates proponentur. Conueniunt ergo Theologi, peccata mortalia, siue in particulari, siue in genere, in sacramētali cōfessione, siue perfecta, siue inchoata, deposita sub eiusdē confessionis sigillo cadere. Vnde nō potest Sacerdos vllo vnquā casu dicere peccatum confitentis mortale determinatum; *nec ille confessus est peccata mortalia*, vel *materiam grauem deposuit*; vel vt ab aliquo imprudente audiui: *audiui talis confessionem in qua erat materia bona*, vel etiam, *ille certè habebat materiam absolutionis*, cum capitis inclinatione, quia eo dicendi modo, denotat illū talem grauem, imò grauissimam habuisse confessionis materiam. Conueniunt etiā Theologi non posse manifestari peccata venialia in particulari, quia hoc odiosā redderet venialium confessionē, posse tamen manifestari venialia in communi dicendo, *ille confessus est peccata venialia*, eo namque ipso quod iste fuit confessus, & confessio sine venialialibus saltem consistere nequeat, sequitur ea posse in genere manifestari, non tamen potest fieri pœnitentium comparatio, vt quod, *iste plura, ille pauciora confessus est: iste grauiuscula, leuiuscula ille*. Hinc deducitur illius casus resolutio, an nimirum frāgat sigillum confessionis, qui dicit: *Petrus suis minutissimis peccatis scrupulosè meum obtūdit caput*. Nam hic nulla est sigilli fractio, cū nullum promat veniale in particulari; abstinēdum tamen est ab huiusmodi loqutionibus, quia innuunt talē esse scrupulosū, quod pęnitens nō bene audit.

Nec potest Confessarius dicere pœnitentiam, quam imposuit, nisi sit valude leuis, alioqui ingereret suspicionē, vel peccatorum mortalium, vel saltem plurium venialiū grauiorum. Hinc etiam deduci-

ducitur, non frangere sigillũ Confessarium, qui reuelat Pœnitentis virtutes, extasim, & alia dona Dei, quia nullam habent cum peccatis connexionem, nec talis manifestatio confessionem reddit odiosam. Potest tamen Pœnitẽs Confessarium obligare sub naturali præcepto ad ea reticenda. Quod si d aretur casus, quod talium virtutum narratio, facta fuisset ad explicandum peccatum, non posset confessarius illas manifestare.

Item conueniunt Theologi, peccatorum obiecta, & circunstantias esse sigilli materiam, quia istorum manifestatio, non minus redderet odiosã Confessionẽ, quã manifestatio peccatorũ vt patet.

His positis Prima difficultas est, an peccatum committendum sit materia sigilli confessiones. v. g. quis confitetur se odio habuisse inimicum, quem vult occidere, vel de quo habet propositum illum occidendi, & Confessarius conatur auertare Pœnitentem à tali proposito, & cum non faciat, sic Pœnitentem vt indispositum sine absolutione dimittit: dubitatur, an possit confessarius illud homicidium futurum reuelare monendo occidendum, &c. Huius difficultatis resolutio dependet ex hoc, an talis Confessio cum tali proposito committendi aliquod peccatum v. g. homicidium, furtum, adulterium, &c. sit Sacramentalis saltem inchoata, an non; si sit sacramentalis, ex illa orietur sigilli obligatio, & sic Confessarius non poterit tali vti scientia, si vero Sacramentalis nõ sit, tale peccatum futurum sub confessionis sigillo non cadet. Certum omnino est (ita quod oppositum sit erroneum vt tradit D. Thomas 4. dist. 21. q. 3. art. 1. q. 1. ad primum) quod potest stare confessio sacramentalis cum proposito nõ emendandi peccata in Confessione deposita, cũ confessio sit dolorosa peccatotum depositio, ante propositum habita, potest enim quis non solum confiteri, sed etiam dolere de peccatis cõmissis, & non habere propositum, saltem expræssum, futuræ emendationis: dixi saltem expræssum, quia si dolor esset vniuersalis, virtuale pro-

po-

positum futuræ emendationis contineret; cum ergo propositum sit ipsa Confessione posterius, potest dari confessio Sacramentalis sine proposito futuræ emendationis. An autem stare possit confessio sacramentalis, cum formali proposito peccandi mortaliter, ita quod possit quis habere propositum firmum occidendi inimicum, & cum eo ad confessarium accedere ad peccata quæ commisit confitenda, retinendo propositum committendi futura? Mihi videtur quod non; non enim video quomodo stare possit voluntas recipiendi peccatorum aliquorum absolutionẽ, & non aliorũ: cũ enim propositum occidendi inimicum sit peccatum mortale, & de hoc non doleat; si enim de eo doleret propositum non conseruaret, cum dolor propositum virtuale non peccandi includat, quod propositum non peccandi, stare non potest, cum proposito formali peccandi vt patet; quod enim est virtualiter tale, id facit, quod facit id, quod est formaliter tale, vt tradunt Philosophi. Si ergo non potest stare confessio sacramentalis cum formali proposito peccandi in futurum, sequitur, quod si quis peccatum futurum confiteatur, illud sub confessionis sigillo non cadet, si propositũ formale peccandi habeat, secus si illud non habeat.

Secunda difficultas, an defectus naturales, vel acquisiti Pœnitentis, cadant sub cõfessionis sigillo? Si tales defectus fuerunt in confessione manifestati ad explicandum peccatum, vt si quis dicat, *ego recepi beneficium absque dispẽsatione ex defectu nataliũ &c*, tunc nullo modo sunt manifestandi, quippe cum cadant sub Confessionis sigillo. Si vero ipse confessarius tales cognouit defectus ex modo quo Pœnitens confitetur, taliter quod nullam habeant cum peccatis connexionem, sub Confessionis sigillo non cadunt, nullo tamen modo debent manifestari. Primò ratione secreti naturalis; Secundò, quia communiter maiorem ruborem habent Pœnitentes ex talium defectuum manifestatione, quam pecca-

catorum. Tertiò quia pusilli scandalizarentur putātes omnia cadere sub sigillo, quæ in confessione noscuntur. Hinc infert Ioan. de la cruz in direct. p. 2. de Sacram. Pænit. q. 6. dub. 2. concl. 2. quod peccatum complicis, quod Pœnitens sine vlla necessitate, & absque ratione connexionis cum proprijs peccatis manifestauit, non cadat sub sigillo; quia tale peccatum materialiter se habet ad Pęnitentis confessionem; vnde inquit ille, pro bono communi poterit manifestari, sicut alia secreta naturalia.

Tertia difficultas, an peccata publica possint reuelari? est publicum Petrum commisisse homicidium: mihi cō fitetur; an possim dicere *Petrus confessus est mihi suum homicidium*? idem dic de meretrice publica, an possim dicere de illa *audiui suas fornicationes, &c.* Affirmat Medina q. *de his quæ à Confessore celanda sunt*. Sed contrarium est sustinēdum cum alijs omnibus Theologis, quia re vera peccatum in confessione auditum manifestatur, & est per accidens quod aliunde sciatur. An autem confessarius loqui possit de peccatis, quæ aliunde nouerat, dico quod sic; ad tollendam tamē omnem suspicionem, quod scientia vtatur confessionis, optimum consilium est, vt dicat vnde audiuit. Similiter loqui potest Confessarius de auditis in confessione, dummodo periculum nō sit, quod in pœnitētis suspicionem veniri possit. Vnde in prædicationibus licet reprehendere peccata, quæ in confessione audiuntur, licet imprudentia esset dicere ea audita fuisse in confessione; imò cauendū, ne in præsentia eorum, qui talia peccata confessi sunt, dicantur, quia timerent suas confessiones publicari. Hinc malè faciunt Confessarij dicentes, in tali ciuitate, vel loco, peccata grauia committuntur, quia licet tunc nō sit sigilli fractio cum non dicantur peccata pœnitentis, sed ciuitatis, vel oppidi tamen, illius loci incolæ grauiter offenduntur, præsertim quando locus est exiguus, & sic omnino abstinendum est, eo vel

maximè,

maximè, quia simplices offenduntur, putantes ea peccata reuelari, contra cap. *nihil cum scandalo*, de præscript. & cap. *cum ab omni*, de vita, & honest cler.

Quarta difficultas, an fiat confessionis reuelatio, si pœnitēti post confessionem, publicam imponat confessarius pœnitentiam? Dixi post confessionem, quia publico peccatori, antequam ipsum audiat, imponere potest aliquid, per quod publicè constet, eũ mutasse vitam, vt sic admissus ad confessionem, admitti etiã possit ad communionem, præsertim publicam, quam non facit Ecclesia publico peccatori, nisi de eius mutatione ipsi constet? Respondetur affirmatiuè, quia licet in cap. 1. de *Pœn. & rem.* statuatur quod pro publicis peccatis, publica imponatur penitentia; non tamen de pœnitentia sacramētali intelligitur, vt notat Diuus Thomas 4. dist. 14. q. 1. art. 5. Vnde malè faciunt Cōfessarij illi, qui pœnitentibus ieiunia iniungunt, quæ sine aliorum scientia fieri nō possunt, sic enim in suspicionem veniunt grauium peccatorũ. Idem dic de alijs pœnitētijs, quæ fieri nō possunt sine aliorum notitia, hæ enim imponi non debent, etiam pro publicis peccatis, nam etiam pro istis secreta imponi debet pęnitentia.

Quinta difficultas, an Confessarius sit sigilli confessionis fractor, si renuat dare schedulam pœnitenti, quem non absoluit? P. Diana p. 5. trac. 11. resol. 22. tres refert sententias. Henrici, & Salmant. Doctorum, primam, liberũ esse Sacerdoti dare, vel non dare. Secundam Coninchi affirmatiuam. Tertium Bonacinæ negatiuam. Mihi secunda sētentia verior videtur, quia nō dando schedulam datur manifestè intelligi talem Pœnitentem talia habere peccata, quæ ab illo Confessario tolli nō possunt nec tunc mentitur confessarius dando Confessionis schedulam, quia re vera ille confessus est, sed non absolutus.

Sexta difficultas, an Confessarius frangat sigillum, si famulum dimittat, quem ex confessione depræhendit esse furem?

furem? Respondetur affirmatiuè, secus si aliunde id sciat, nec potest accipere prætextū adeo speciosum, quin famulus suspicetur talem dimissionem ex confessione sua, habere ortum.

Septima difficultas, an Cōfessarius frangat sigillum, si dicat de aliquo; *illum non absolui?* Si confessio sit generalis, quæ solet esse longa, etiam si de solis sit venialibus, vt contingit in viris perfectis, puto sigillum non frangi, si dicat, *non absolui, quia facit generalē confessionem*, in qua absolutio, ad vltimam vicem, qua perficitur, impenditur. Si vero cōfessio non sit generalis, & non explicet Confessarius titulum omni suspicione nudum, videtur fractor sigilli, vt post plures tenet Diana loco citato resol. 42.

Octaua difficultas, an in fractione sigilli dari possit culpa venialis ex leuitate materiæ? Dixi ex leuitate materiæ, quia ratione inaduertentiæ id omnino certum est; cū possit aliquis ex pura inaduertentia peccatum confessum, etiam graue, manifestare. De sola ergo materiæ leuitate præsens procedit difficultas. Aliqui dicunt esse solum veniale, quando quis reuelat alterius veniale, absq; eo quod dicat illud scire in confessione, quia tunc temporis, leuem infert pœnitenti iniuriam. Sed non placet, quia quidquid sit, an iniuria pœnitenti illata, sit leuis, non tamen iniuria illata sacramento. Cardin. de Lugo admittit nu. 71. disp. 23. peccatū veniale ex leuitate materiæ, quando res, quæ narratur est talis, vt sit solum periculum tenue ingerendi suspicionem alicuis & benè: quando namq; est periculum euidens suspicionis ingerendæ, est peccatum mortale, quādo nullum, neque est veniale: quādo vero leue, veniale erit, ex materiæ paruitate.

Sed hic inquiret primò aliquis, an Confessarij testimonium de licentia pœnitentis habitum, prosit in foro externo, vt eiusdem pœnitentis emendatio probetur? v.g. publica meretrix confessionem fecit apud regularem, qui testificatur Parocho nolenti illi Eucharistiæ sacramētum ad-

nistrare, vel nolenti ipsã mortuã in sacro sepelire, an nimirũ tale testimoniũ sit sufficiẽs, & Parochus teneatur illi credere? Aliqui id negant, cum enim illa sit publica meretrix, publicaque peccatrix, nõ potest ei Eucharistia v.g. administrari, nisi Ecclesiæ publicè constet de illius emendatione; atqui Confessarij solius dictum, publicam non facit attestationẽ, ergo. Nihilominus oppositum est verius, & vidi vbique practicatum; non solum quando Parochus talẽ habet attestationem à Confessario, qui talem habuit à pœnitente licentiam, verum etiam sine illa; Vnde pia mater Ecclesia solo Confessarij dicto contentatur, quando de publico peccatore, saltem coram testibus, dicit illum fuisse emendatum, per confessionẽ, quam sibi fecit. Sic publici vsurarij in loco sacro sepeliũtur, qui ex Confessarij dicto, per confessionem, sunt emendati. Sic, qui in duello lethaliter vulnerantur, & confitentur, & absoluuntur, ex solo Cõfessarij dicto in loco sacro sepelliuntur, &c.

Quæret aliquis secundò, an excusari possint Parochi, qui in hebdomada sancta, vt multos expediant pueros, simul multorum audiunt confessiones, & absoluũt, quando sunt doli capaces, & sufficientem exponunt materiam? Respondet Nauar. *Sum.* cap. 8. nu. 13. & cap. *Sacerdos* nu. 110. id nullo modo fieri posse; est enim cõtra cap. *omnis vtriusque sexus*, vbi præcipitur, quod *solus soli confiteatur*. Tum quia, illi pueri audientes ad inuicem peccata, possunt faciliter illa manifestare: & etiam, quia vtuntur hoc sacramento ad iocum, & risum; iocari autem in re graui, graue peccatum est, *arg. L. minimè C. de Episc. aud.* & glos. in cap. *cum decorem*, de vit. & honest. cler. vbi ad ioca vtentes Monachorũ vestibus grauiter castigãtur. & ob hoc docet D. Thom. 22. q. 165. ar. 2. ad primum, nõ licere trahere scripturam ad iocum. Et Cõcilium Tridẽt. sess. 4. c. vltimo fin. vult tales per Episcopos posse coerceri, qui nimirũ sacra vtuntur scriptura ad scurrilia, vana, superstitiosa, &c.

QVAE-

QVAESTIO IV.

An Confessarius possit loqui cum Pœnitente, de auditis in confessione.

NOn potest loqui sine eiusdem Pœnitẽtis licentia, patet ex hucusque dictis; an autem de pœnitentis licentia: negauit Alẽsis, Scotus, Almaynus, Aureolus, & alij, apud Dianam de sigillo confess. resol. 10. Vera tamen, & cõmunis sententia ex Confessariorum vsu confirmata, affirmat. ita D.Tho. 4. dist. 21. q. 3. art. 3. & alij plures, quos congerit Diana loco citato. Ratio communis est, quia licet sigilli secretum sit iuris diuini naturalis, ob bonum Ecclesię, & huius sacramenti introductum, tamen hoc totum factum est in pœnitentis fauorem, cui renunciando, omnia ad antiquum redeunt statum; quod autem pœnitens possit huic iuri renunciare, liquet, cum sit suæ dominus famæ, ob quam conseruandam, tam stricta sigilli inducta est obligatio, per quæ patet ad fundamentum sententię contrariæ, quod nimirum cum sigilli obligatio sit de iure diuino, & pœnitens non possit in hoc iure dispensare; neque in sigillo dispensare poterit; patet inquam, ad hoc fundamẽtum, quia pœnitens non dispensat in iure diuino, sed cessat ius diuinum ob materiæ cessationem, seu ob licentiam datam loquendi de auditis; materia namque sigilli sunt pęnitentis peccata apud Cõfessarium deposita, sine venia loquendi de illis. Hæc tamen licentia licet non debeat esse in scriptis, debet tamen esse formalis, & expressa, & nullo modo sufficit præsumpta, interpretatiua, vel virtualis. Imò debet esse omnino libera, & spontanea, non vi, dolo, aut iniuria, aut timore extorta, aut per metum; vel per importunitatem. Vnde Diana loco citato ex alijs optimè notat,

quod magistri Nouitiorum, & alij superiores, valde cauere debent in ijs licentijs extorquendis, quia sola præsentia, vel auctoritas, etiam sine minis, & vultuum inuersionibus metum inducit reuerentialem; & sic tales licentiæ nullæ sunt; quanto magis id verum erit, si Magister Nouitiorum minetur nouitio expulsionem, &c. Vnde merito ab omnibus repræhenditur Iacobus de Grassijs part. 1. lib. 1. c. 23. num. 14. vbi dicit quod quando peccati reuelatio in bonum cederet pœnitentis, tunc sigilli fractio licita esset, quia adesset tacitus pœnitentis consensus, qui tũc temporis est; cum, vt patet, omnino requiratur expressus. Imò, etiãsi daretur casus, quod pœnitens teneretur Cõfessario petenti, vt loquatur de auditis, ob commissum errorem tollendum, licentiam dare, & renueret, non posset Confessarius eo inuito loqui, sed deberet talem errorem permittere, & illum sub silentio premere; vnde merito dolet Diana resol. 18. P. Suarez hãc docuisse sententiam, cum re vera sit fractio sigilli, quoties pœnitentis non adest consensus.

Sed queres primò, an Confessarius absque pœnitentis venia, possit loqui de auditis in confessione, statim finita cõfessione? Affimat Lugo nu. 123. Tãnerus disp. 6. q. 9. dub. 6. nu. 132. & alij: rationẽ assignant, quia quandiu pœnitẽs non discessit, censetur idem forum, vel iudicium morale perseuerare. Confirmat Lugo exemplo, quia si Confessarius data absolutione imponat pro satisfactione pœnitenti tria ieiunia, & statim pœnitenti compatiens, illa, in aliquid leuius mutet, non frangit sigillum, & tamen est data absolutio; ergo signum est illud iudicium non finire per absolutionem, sed durare per aliquod tempus post, ac proinde poterit eo tempore loqui de auditis sine pœnitentis venia, cum adhuc idem iudicium continueturu.

Sed magis placet sententia P. Dianæ post Fagundez. p. 2. l. 6. cap. 4 nu 33. quod nimirum data absolutione, & satisfactione imposita, etiamsi pœni-

pœnitens adhuc maneat genuflexus non liceat amplius de auditis loqui, sine pœnitẽtis venia. Ratio videtur omnino clara, quia data absolutione, & imposita satisfactione, sacramentum est completum, tum essentialiter, tum integraliter; ergo non potest amplius de eo loqui confessarius. Antecedens videtur euidens. Consequentia liquet, quia Confessarius loqui potest cum pœnitente, quandiu illud iudicium, vel forũ pœnitentiale durat; atqui non amplius durat, cum nihil illius sit, nec essentiale, nec integrale; ergo.

Nec valet recurrere ad durationem moralem, quia cum hæc prudentis iudicio mensuretur, posset quis illam extendere ad horam post datã absolutionem, & satisfactionem. Nec Lugonis exemplũ quicquam valet, cum satisfactionis mutatio fieri possit, etiam post menses, & annos, vt infra dicetur, & ipse admittit; aliud namque est satisfactionem mutari posse, & aliud est, quod ideo satisfactio mutari possit, quia sacramentum nondum est moraliter finitũ, primum verum, secundum erroneum; cum ex eo sequeretur sacramentum nunquã essentialiter perfici cum semper satisfactio possit mutari.

Quæres secundò, an Confessarius in confessione possit memoriam refricare peccatorum in præcedenti, vel præcedentibus confessionibus auditorum? Affirmat Lugo num. 127. quia Sacerdos ad benè curandum Pœnitentem debet etiam peccata præterita considerare, quæ vel sunt circunstantiæ præsentium, vel indicant vehementem passionem, aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum Pœnitentis statum. Sed hæc Lugonis sententia etiam si videatur multum concedere confessarijs, onus tamen importabile illis imponit, quod nimirum deberent curare, suorum Pœnitentium peccata, alias confessa, memoria retinere, cum possint esse præsentium circunstantiæ, vel aliquid simile consideratione dignum ad Pœnitentis statum dignoscendum. Vnde sententia

negans

quod magistri Nouitiorum, & alij superiores, valde cauere debent in ijs licentijs extorquendis, quia sola præsentia, vel auctoritas, etiam sine minis, & vultuum inuersionibus metum inducit reuerentialem; & sic tales licentiæ nullæ sunt; quanto magis id verum erit, si Magister Nouitiorum minetur nouitio expulsionem, &c. Vnde merito ab omnibus repræhenditur Iacobus de Graffijs part. 1. lib. 1. c. 23. num. 14. vbi dicit quod quando peccati reuelatio in bonum cederet pœnitentis, tunc sigilli fractio licita esset, quia adesset tacitus pœnitentis consensus, qui tũc temporis est; cum, vt patet, omnino requiratur expressus. Imò, etiãsi daretur casus, quod pœnitens teneretur Cõfessario petenti, vt loquatur de auditis, ob commissum errorem tollendum, licentiam dare, & renueret, non posset Confessarius eo inuito loqui, sed deberet talem errorem permittere, & illum sub silentio pręmere; vnde merito dolet Diana resol. 18. P. Suarez hãc docuisse sententiam, cum re vera sit fractio sigilli, quoties pœnitentis non adest consensus.

Sed quęres primò, an Confessarius absque pœnitentis venia, possit loqui de auditis in confessione, statim finita cõfessione? Affirmat Lugo nu. 123. Tãnerus disp. 6. q. 9. dub. 6. nu. 132. & alij: rationẽ assignant, quia quandiu pœnitẽs non discessit, censetur idem forum, vel iudicium morale perseuerare. Confirmat Lugo exemplo, quia si Confessarius data absolutione imponat pro satisfactione pœnitenti tria ieiunia, & statim pœnitenti compatiens, illa, in aliquid leuius mutet, non frangit sigillum, & tamen est data absolutio; ergo signum est illud iudicium non finire per absolutionem, sed durare per aliquod tempus post, ac proinde poterit eo tempore loqui de auditis sine pœnitentis venia, cum adhuc idem iudicium continuetur.

Sed magis placet sententia P. Dianæ post Fagundez. p. 2. l. 6. cap. 4 nu 33. quod nimirum data absolutionẽ, & satisfactione imposita, etiamsi pœni-

pœnitens adhuc maneat genuflexus non liceat amplius de auditis loqui, sine pœnitẽtis venia. Ratio videtur omnino clara, quia data absolutione, & imposita satisfactione, sacramentum est completum, tum essentialiter, tum integraliter; ergo non potest amplius de eo loqui confessarius. Antecedens videtur euidens. Consequentia liquet, quia Confessarius loqui potest cum pœnitente, quandiu illud iudicium, vel forũ pœnitentiale durat; atqui non amplius durat, cum nihil illius sit, nec essentiale, nec integrale; ergo.

Nec valet recurrere ad durationem moralem, quia cum hæc prudentis iudicio mensuretur, posset quis illam extendere ad horam post datã absolutionem, & satisfactionem. Nec Lugonis exemplũ quicquam valet, cum satisfactionis mutatio fieri possit, etiam post menses, & annos, vt infra dicetur, & ipse admittit; aliud namque est satisfactionem mutari posse, & aliud est, quod ideo satisfactio mutari possit, quia sacramentum nondum est moraliter finitũ, primum verum, secundum erroneum, cum ex eo sequeretur sacramentum nunquã essentialiter perfici cum semper satisfactio possit mutari.

Quæres secundò, an Confessarius in confessione possit memoriam refricare peccatorum in præcedenti, vel præcedentibus confessionibus auditorum? Affirm. Lugo num. 127. quia Sacerdos ad benè curandum Pœnitentem debet etiam peccata præterita considerare, quæ vel sunt circunstantiæ præsentium, vel indicant vehementem passionem, aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum Pœnitentis statum. Sed hæc Lugonis sententia etiam si videatur multum concedere confessarijs, onus tamen importabile illis imponit, quod nimirum deberent curare, suorum Pœnitentium peccata, alias confessa, memoria retinere, cum possint esse præsentium circunstantiæ, vel aliquid simile consideratione dignum ad Pœnitentis statum dignoscendum. Vnde sententia

negans

quod magistri Nouitiorum, & alij superiores, valde cauere debent in ijs licentijs extorquendis, quia sola præsentia, vel auctoritas, etiam sine minis, & vultuum inuersionibus metum inducit reuerentialem; & sic tales licentiæ nullæ sunt; quanto magis id verum erit, si Magister Nouitiorum minetur nouitio expulsionem, &c. Vnde merito ab omnibus repræhenditur Iacobus de Grassijs part. 1. lib. 1. c. 23. num. 14. vbi dicit quod quando peccati reuelatio in bonum cederet pœnitentis, tunc sigilli fractio licita esset, quia adesset tacitus pœnitentis consensus, qui tūc temporis est; cum, vt patet, omnino requiratur expressus. Imò, etiāsi daretur casus, quod pœnitens teneretur Cōfessario petenti, vt loquatur de auditis, ob commissum errorem tollendum, licentiam dare, & renueret, non posset Confessarius eo inuito loqui, sed deberet talem errorem permittere, & illum sub silentio premere; vnde merito dolet Diana resol. 18. P. Suarez hāc docuisse sententiam, cum re vera sit fractio sigilli, quoties pœnitentis non adest consensus.

Sed quęres primò, an Confessarius absque pœnitentis venia, possit loqui de auditis in confessione, statim finita cōfessione? Affimat Lugo nu. 123. Tānerus disp. 6. q 9. dub. 6. nu. 132. & alij: rationē assignant, quia quandiu pœnitēs non discessit, censetur idem forum, vel iudicium morale perseuerare. Confirmat Lugo exemplo, quia si Confessarius data absolutione imponat pro satisfactione pœnitenti tria ieiunia, & statim pœnitenti compatiens, illa, in aliquid leuius mutet, non frangit sigillum, & tamen est data absolutio; ergo signum est illud iudicium non finire per absolutionem, sed durare per aliquod tempus post, ac proinde poterit eo tempore loqui de auditis sine pœnitentis venia, cum adhuc idem iudicium continuetur.

Sed magis placet sententia P. Dianæ post Fagundez. p. 2. l. 6. cap. 4. nu 33. quod nimirum data absolutione, & satisfactione imposita, etiamsi pœni-

pœnitens adhuc maneat genuflexus non liceat amplius de auditis loqui, sine pœnitẽtis venia. Ratio videtur omnino clara, quia data absolutione, & imposita satisfactione, sacramentum est complctum, tum essentialiter, tum integraliter; ergo non potest amplius de eo loqui confessarius. Antecedens videtur euidens. Consequentia liquet, quia Confessarius loqui potest cum pœnitente, quandiu illud iudicium, vel forũ pœnitentiale durat; atqui non amplius durat, cum nihil illius sit, nec essentiale, nec integrale; ergo.

Nec valet recurrere ad durationem moralem, quia cum hæc prudentis iudicio mensuretur, posset quis illam extendere ad horam post datã absolutionem, & satisfactionem. Nec Lugonis exemplũ quicquam valet, cum satisfactionis mutatio fieri possit, etiam post menses, & annos, vt infra dicetur, & ipse admittit; aliud namque est satisfactionem mutari posse, & aliud est, quod ideo satisfactio mutari possit, quia sacramentum nondum est moraliter finitũ, primum verum, secundum erroneum; cum ex eo sequeretur sacramentum nunquã essentialiter perfici cum semper satisfactio possit mutari.

Quæres secundò, an Confessarius in confessione possit memoriam refricare peccatorum in præcedenti, vel præcedentibus confessionibus auditorum? Affirmat Lugo num. 117. quia Sacerdos ad benè curandum Pœnitentem debet etiam peccata præterita considerare, quæ vel sunt circunstantiæ præsentium, vel indicant vehementem passionem, aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum Pœnitentis statum. Sed hæc Lugonis sententia etiam si videatur multum concedere confessarijs, onus tamen importabile illis imponit, quod nimirum deberent curare, suorum Pœnitentium peccata, alias confessa, memoria retinere, cum possint esse præsentium circunstantiæ, vel aliquid simile consideratione dignum ad Pœnitentis statum dignoscendum. Vnde sententia

negans

quod magistri Nouitiorum, & alij superiores, valde cauere debent in ijs licentijs extorquendis, quia sola præsentia, vel auctoritas, etiam sine minis, & vultuum inuersionibus metum inducit reuerentialem; & sic tales licentiæ nullæ sunt; quanto magis id verum erit, si Magister Nouitiorum minetur nouitio expulsionem, &c. Vnde merito ab omnibus repræhenditur Iacobus de Graffijs part. 1. lib. 1. c. 23. num. 14. vbi dicit quod quando peccati reuelatio in bonum cederet pœnitentis, tunc sigilli fractio licita esset, quia adesset tacitus pœnitentis consensus, qui tūc temporis est; cum, vt patet, omnino requiratur expressus. Imò, etiāsi daretur casus, quod pœnitens teneretur Cōfessario petenti, vt loquatur de auditis, ob commissum errorem tollendum, licentiam dare, & renueret, non posset Confessarius eo inuito loqui, sed deberet talem errorem permittere, & illum sub silentio prēmere; vnde merito dolet Diana resol. 18. P. Suarez hāc docuisse sententiam, cum re vera sit fractio sigilli, quoties pœnitentis non adest consensus.

Sed quęres primò, an Confessarius absque pœnitentis venia, possit loqui de auditis in confessione, statim finita cōfessione? Affimat Lugo nu. 123. Tānerus disp. 6. q. 9. dub. 6. nu. 132. & alij: rationē assignant, quia quandiu pœnitēs non discessit, censetur idem forum, vel iudicium morale perseuerare. Confirmat Lugo exemplo, quia si Confessarius data absolutione imponat pro satisfactione pœnitenti tria ieiunia, & statim pœnitenti compatiens, illa, in aliquid leuius mutet, non frangit sigillum, & tamen est data absolutio; ergo signum est illud iudicium non finire per absolutionem, sed durare per aliquod tempus post, ac proinde poterit eo tempore loqui de auditis sine pœnitentis venia, cum adhuc idem iudicium continuetur.

Sed magis placet sententia P. Dianæ post Fagundez. p. 2. l. 6. cap. 4. nu 33. quod nimirum data absolutionē, & satisfactione imposita, etiamsi pœni-

pœnitens adhuc maneat genuflexus non liceat amplius de auditis loqui, sine pœnitẽtis venia. Ratio videtur omnino clara, quia data absolutione, & imposita satisfactione, sacramentum est completum, tum essentialiter, tum integraliter; ergo non potest amplius de eo loqui confessarius. Antecedens videtur euidens. Consequentia liquet, quia Confessarius loqui potest cum pœnitente, quandiu illud iudicium, vel forũ pœnitentiale durat; atqui non amplius durat, cum nihil illius sit, nec essentiale, nec integrale; ergo.

Nec valet recurrere ad durationem moralem, quia cum hæc prudentis iudicio mensuretur, posset quis illam extendere ad horam post datã absolutionem, & satisfactionem. Nec Lugonis exemplũ quicquam valet, cum satisfactionis mutatio fieri possit, etiam post menses, & annos, vt infra dicetur, & ipse admittit; aliud namque est satisfactionem mutari posse, & aliud est, quod ideo satisfactio mutari possit, quia sacramentum nondum est moraliter finitũ, primum verum, secundum erroneum; cum ex eo sequeretur sacramentum nunquã essentialiter perfici cum semper satisfactio possit mutari.

Quæres secundò, an Confessarius in confessione possit memoriam refricare peccatorum in præcedenti, vel præcedentibus confessionibus auditorum? Affirm. Lugo num. 127. quia Sacerdos ad benè curandum Pœnitentem debet etiam peccata præterita considerare, quæ vel sunt circunstantiæ præsentium, vel indicant vehementem passionem, aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum Pœnitentis statum. Sed hæc Lugonis sententia etiam si videatur multum concedere confessarijs, onus tamen importabile illis imponit, quod nimirum deberent curare, suorum Pœnitentium peccata, alias confessa, memoria retinere, cum possint esse præsentium circunstantiæ, vel aliquid simile consideratione dignum ad Pœnitentis statum dignoscendum. Vnde sententia

negans

nistrare, vel nolenti ipsã mortuã in sacro sepelire, an nimirũ tale testimoniũ sit sufficiẽs, & Parochus teneatur illi credere? Aliqui id negant, cum enim illa sit publica meretrix, publicaque peccatrix, nõ potest ei Eucharistia v.g. administrari, nisi Ecclesiæ publicè constet de illius emendatione; atqui Confessarij solius dictum, publicam non facit attestationẽ, ergo. Nihilominus oppositum est verius, & vidi vbique practicatum; non solum quando Parochus talẽ habet attestationem à Confessario, qui talem habuit à pœnitente licentiam, verum etiam sine illa; Vnde pia mater Ecclesia solo Confessarij dicto contentatur, quando de publico peccatore, saltem coram testibus, dicit illum fuisse emendatum, per confessionẽ, quam sibi fecit. Sic publici vsurarij in loco sacro sepeliũtur, qui ex Confessarij dicto, per confessionem, sunt emendati. Sic, qui in duello lethaliter vulnerantur, & confitentur, & absoluuntur, ex solo Cõfessarij dicto in loco sacro sepelliuntur, &c.

Quæret aliquis secundò; an excusari possint Parochi, qui in hebdomada sancta, vt multos expediant pueros, simul multorum audiunt confessiones, & absoluũt, quando sunt doli capaces, & sufficientem exponunt materiam? Respondet Nauar. *Sum.* cap. 8. nu. 13. & cap. *Sacerdos* nu. 110. id nullo modo fieri posse; est enim cõtra cap. *omnis vtriusque sexus*, vbi præcipitur, quod *solus soli confiteatur*. Tum quia, illi pueri audientes ad inuicem peccata, possunt faciliter illa manifestare: & etiam, quia vtuntur hoc sacramento ad iocum, & risum; iocari autem in re graui, graue peccatum est; *arg. L. minimè C. de Episc. aud.* & glos. in cap. *cum decorem*, de vit. & honest. cler. vbi ad ioca vtentes Monachorũ vestibus grauiter castigãtur. & ob hoc docet D. Thom. 22. q. 165. ar. 2. ad primum, nõ licere trahere scripturam ad iocum. Et Cõcilium Tridẽt. sess 4. c. vltimo fin. vult tales per Episcopos posse coerceri, qui nimirũ sacra vtuntur scriptura ad scurrilia, vana, superstitiosa, &c.

QVAE-

QVAESTIO IV.

An Confessarius possit loqui cum Pœnitente, de auditis in confessione.

NOn potest loqui sine eiusdem Pœnitētis licentia, patet ex hucusque dictis; an autem de pœnitentis licentia: negauit Alēsis, Scotus, Almaynus, Aureolus, & alij, apud Dianam de sigillo confess. resol. 10. Vera tamen, & cōmunis sententia ex Confessariorum vsu confirmata, affirmat. ita D. Tho. 4. dist. 21. q. 3. art. 3. & alij plures, quos congerit Diana loco citato. Ratio communis est, quia licet sigilli secretum sit iuris diuini naturalis, ob bonum Ecclesię, & huius sacramenti introductum, tamen hoc totum factum est in pœnitentis fauorem, cui renunciando, omnia ad antiquum redeunt statum; quod autem pœnitens possit huic iuri renunciare, liquet, cum sit suæ dominus famæ, ob quam conseruandam, tam stricta sigilli inducta est obligatio, per quæ patet ad fundamentum sententię contrariæ, quod nimirum cum sigilli obligatio sit de iure diuino, & pœnitens non possit in hoc iure dispensare; neque in sigillo dispensare poterit; patet inquam, ad hoc fundamētum, quia pœnitens non dispensat in iure diuino, sed cessat ius diuinum ob materiæ cessationem, seu ob licentiam datam loquendi de auditis; materia namque sigilli sunt pęnitentis peccata apud Cōfessarium deposita, sine venia loquendi de illis. Hæc tamen licentia licet non debeat esse in scriptis, debet tamen esse formalis, & expressa, & nullo modo sufficit præsumpta, interpretatiua, vel virtualis. Imò debet esse omnino libera, & spontanea, non vi, dolo, aut iniuria, aut timore extorta, aut per metum; vel per importunitatem. Vnde Diana loco citato ex alijs optimè notat,

quod magistri Nouitiorum, & alij superiores, valde cauere debent in ijs licentijs extorquendis, quia sola præsentia, vel auctoritas, etiam sine minis, & vultuum inuersionibus metum inducit reuerentialem, & sic tales licentiæ nullæ sunt; quanto magis id verum erit, si Magister Nouitiorum minetur nouitio expulsionem, &c. Vnde merito ab omnibus repræhenditur Iacobus de Graffijs part. 1. lib. 1. c. 23. num. 14. vbi dicit quod quando peccati reuelatio in bonum cederet pœnitentis, tunc sigilli fractio licita esset, quia adesset tacitus pœnitentis consensus, qui tūc temporis est; cum, vt patet, omnino requiratur expressus. Imò, etiāsi daretur casus, quod pœnitens teneretur Cōfessario petenti, vt loquatur de auditis, ob commissum errorem tollendum, licentiam dare, & renueret, non posset Confessarius eo inuito loqui, sed deberet talem errorem permittere, & illum sub silentio premere; vnde merito dolet Diana resol. 18. P. Suarez hāc docuisse sententiam, cum re vera sit fractio sigilli, quoties pœnitentis non adest consensus.

Sed quæres primò, an Confessarius absque pœnitentis venia, possit loqui de auditis in confessione, statim finita cōfessione? Affirmat Lugo nu. 123. Tānerus disp. 6. q. 9. dub. 6. nu. 132. & alij: rationē assignant, quia quandiu pœnitēs non discessit, censetur idem forum, vel iudicium morale perseuerare. Confirmat Lugo exemplo, quia si Confessarius data absolutione imponat pro satisfactione pœnitenti tria ieiunia, & statim pœnitenti compatiens, illa, in aliquid leuius mutet, non frangit sigillum, & tamen est data absolutio; ergo signum est illud iudicium non finire per absolutionem, sed durare per aliquod tempus post, ac proinde poterit eo tempore loqui de auditis sine pœnitentis venia, cum adhuc idem iudicium continuetur.

Sed magis placet sententia P. Dianæ post Fagundez. p. 2. l. 6. cap. 4 nu 33. quod nimirum data absolutionē, & satisfactione imposita, etiamsi pœni-

pœnitens adhuc maneat genuflexus non liceat amplius de auditis loqui, sine pœnitẽtis venia. Ratio videtur omnino clara, quia data absolutione, & imposita satisfactione, sacramentum est completum, tum essentialiter, tum integraliter; ergo non potest amplius de eo loqui confessarius. Antecedens videtur euidens. Consequentia liquet, quia Confessarius loqui potest cum pœnitente, quandiu illud iudicium, vel forũ pœnitentiale durat; atqui non amplius durat, cum nihil illius sit, nec essentiale, nec integrale; ergo.

Nec valet recurrere ad durationem moralem, quia cum hæc prudentis iudicio mensuretur, posset quis illam extendere ad horam post datã absolutionem, & satisfactionem. Nec Lugonis exemplũ quicquam valet, cum satisfactionis mutatio fieri possit, etiam post menses, & annos, vt infra dicetur, & ipse admittit; aliud namque est satisfactionem mutari posse, & aliud est, quod ideo satisfactio mutari possit, quia sacramentum nondum est moraliter finitũ, primum verum, secundum erroneum; cum ex eo sequeretur sacramentum nunquã essentialiter perfici cum semper satisfactio possit mutari.

Quæres secundò, an Confessarius in confessione possit memoriam refricare peccatorum in præcedenti, vel præcedentibus confessionibus auditorum? Affirmat Lugo num. 127. quia Sacerdos ad benè curandum Pœnitentem debet etiam peccata præterita considerare, quæ vel sunt circunstantiæ præsentium, vel indicant vehementem passionem, aut aliquid aliud considerationem dignum ad melius cognoscendum Pœnitentis statum. Sed hæc Lugonis sententia etiam si videatur multum concedere confessarijs, onus tamen importabile illis imponit, quod nimirum deberent curare, suorum Pœnitentium peccata, alias confessa, memoria retinere, cum possint esse præsentium circunstantiæ, vel aliquid simile consideratione dignum ad Pœnitentis statum dignoscendum. Vnde sententia

negans

negans, quam post Fagundez sequitur Diana resol. 20. est sequenda, & sic dico non posse Confessarium loqui cũ pœnitente in cõfessione præsenti, de auditis in confessionibus antecedentibus, nisi de illis tantum peccatis, quæ pœnitens tangit, si fortè aliquod tãgat, de alijs vero nullo modo, nisi ex venia eiusdẽ pœnitentis. Et ratio est, quia pœnitens vellet omnia peccata sua de Confessarij memoria esse deleta, & erubescit, quando illa denuo audit.

Queres tertiò quas pœnas incurrat Sacerdos ob sigilli Confessionis fractionem? Respondetur duplicem incurrere. Prima est perpetua depositio; Secunda est perpetua & ignominiosa peregrinatio cap. *Sacerdos*, *de pœnit. dist.6.* quæ secunda pœna in cap. *omnis vtriusque sexus*, *de pœnit. & remis*. Commutatur in perpetuam, in aliquod monasterium, inclusionem, modo autem mittuntur hic Romæ ad Ergastulum. Istæ pœnæ non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ, per iudicis sententiam imponendæ. Non pertinet hoc delictum ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, sed Ordinarij, quando est mera sigilli fractio, secus si errorem aliquem contineret, vt si reuelans dixisset licitã esse sigilli reuelationem, vel malè sentiret de Ecclesiæ Sacramentis, vel quid simile. Probatur hoc delictum per testes singulares, ob eius qualitatẽ, & etiam, quia vix alio modo probari posset. Ad quem autem pertineat probandi onus, variæ sunt scribentium sententiæ, quæ videri possunt apud Dianam loco citato resol. 52. Rationabilius tamen videtur, quod si Pœnitens Sacerdotem accuset de sigilli fractione, & Sacerdos neget, probandi onus ad Pœnitentem spectabit.

Si vero de reuelato crimine constet & Sacerdos dicat se reuelasse ex Pœnitentis licentia ad ipsum Sacerdotem probandi onus spectabit.

QVAE-

QVAESTIO V.

Vtrum Confessarius vti possit confessionis notitia ad externum regimen, siue communitatis, siue rei priuatae, siue etiam ipsius Confessarij.

SEnsus tituli est, an si quis subditus, siue Regularis, siue saecularis apud proprium respectiuè confiteatur superiorem, apud quem ante confessionem bonam habebat opinionem, quam ex Cõfessione amittit, cum ex illa peruersus cognoscatur, & inhabilis, & indignus, vt ad officia, vel dignitates promoueatur, possit talis superior vti scientia habita, & talem non promouere? Similiter confessarius regularis, qui alium regularem ex Cõfessione cognouit, aliquo officio, vel dignitate indignum, possit votum denegare secretum, in aliqua electione, vti contingit in Capitulis Conuentualibus, Prouincialibus, & Generalibus? Item quia euenire potest quod Confessarius ex Sacramentali Confessione cognoscat, malũ aliquod sibi imminere, an ad illud malum grande subterfugiẽdũ confessionis scientia, vti possit, &c. Sed vt distinctè procedamus, singulas difficultates sigillatim proponamus. Prima sit, an Praelatus, vel Superior, vti possit Confessionis scientia ad externam subditorum gubernationem; & confossarius ad denegandum suffragium.

Prima sententia est affirmatiua, dummodo ex tali vsu nulla reuelationis oriatur suspicio, vel peccati Poenitentis, directa, vel indirecta manifestatio; hanc tenent innumeri, quos refert Sanchez lib. 3. de Matrim. disput. 16. Et quidẽ hęc sententia quoad Regularium Superiores, sequi

nullo

nullo modo potest, post decretum Clem. VIII. editum anno 1594. 26. Maij, vbi huius notitiæ vsum his verbis prohibuit. *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarij, qui postea ad superioritatis gradū fuerint promoti, caueant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerūt, ad exteriorem gubernationem vtantur, &c. Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandamus*. vbi, vt vides, hoc decretum de solis loquitur superioribus regularium, non de alijs superioribus sęcularibus; nec loquitur de sacerdotibus particularibus in ordine ad deneganda v. g. suffragia. sed Theologorum reliquit disputationibus: de quibus.

Nostra sententia, est *nullo modo licere Superioribus sæcularibus vt Episcopis &c. vti Confessionis notitia in ordine ad externam gubernationem; nec confessarijs in ordine ad suffragium denegandum, & vniuersaliter, non solum in illis casibus, in quibus esset periculum frangendi sigillum, verum etiā in ijs, in quibus id esset confusioni, ac pudori Pœnitenti*. Hanc sententiam acriter defendit M. Bannes 2.2. q. 33. art. 8. Sanchez vbi supra, & omnes ferè moderni.

Probatur primò quia ideo tam arcta huius sigilli inducta est obligatio, vt peccatorum notitia, nullo modo ad forum externum, & externā notitiam deducatur, si enim daretur casus in quo talis peccatorum confessorum notitia, ad aliorum cognitionē deduci posset, fieret hoc Sacramentum odiosum, formidabile, & nimis onerosum. Sed hoc fieret, si scirent Pœnitentes, quod eorum Superiores, vel Confessarij possent ex notitia in confessione parta, illos priuare officijs, Ordinibus, mutare ad alia loca, sibi suffragia denegare ad cōmunes honores, & commoda &c. ergo talis vsus nullo modo licet. Sed dices, talem vsum non licere, quando Pęnitens posset dignoscere id facere Superiorem vel confessarium ex Confessionis notitia, secus quando nullo mo-

do

do poteſt ſubditus id ſuſpicari. Nam contra eſt, quia ad hoc vt hoc Sacramentũ reddatur onerosũm non eſt neceſſe, quod ſubditus ſuſpicetur, tali officio à Superiore priuari, Confeſſionis occaſione; Sed ſufficit, quod ſciat id fieri poſſe; nam ſi Pœnitens ante confeſſionem ſciret Prælatum vel Confeſſarium poſſe vti ſuæ confeſſionis notitia, in ordine ad priuandum ipſum officio, quod poſſidet, à tali confeſsione retraheretur, etiãſi poſtea neſciat fuiſſe à tali officio amotum confeſſionis occaſione, vel alio prætextu. Sufficit ergo vt cõfeſſio odioſa reddatur, quod ſciat pœnitens, Confeſſarium poſſe aliquando ipſum lædere in honore, fortuna, fama, officijs, muneribus, &c. quia licet modo, quia amicus, confidat, poſtea tamen inimicus effectus, ipſum lædere poterit. Vnde Confeſſarius nihil agere poteſt, non ſolum ex quo alij veniant in cognitionem peccati alterius, ſed neque, ex quo ipſe Pœnitens, ſiue antecedenter ad confeſſionem, ſiue poſt illam, poſſit illud ſuſpicari.

Probator ſecundò, quia ſi ſemel poſſet Confeſſarius vti ſcientia parta ex confeſſione, deſtrueretur ipſius confeſſionis bonum; atqui id nullo modo licet; ergo neque licebit tali notitia vti.

Maior probatur. Nam cõfeſsionis bonum in hoc conſiſtit, quod homines fidenter ad illam accedant, & ad illã reſpiciant, tanquam ad eorũ ſolatium, per quod ſibi peccata remittantur. & famæ eorum conſulatur; atqui non eſſet ſic, ſi ſemel poſſet Confeſſarius vti ſcientia parta ex confeſsione in ordine ad id de quo pœnitens contriſtaretur; ergo.

Minor oſtenditur, quia honor, & religio huius ſacramẽti læderetur, cum homines confidentius ad illud non accederent; nec illud peccatores haberent ſolatium; ergo.

Obijciunt primò, quia Cõfeſſarius habet ius ad dandũ ſuffragium cui maluerit; ergo etiamſi pœnitens ſibi confiteatur, adhuc poterit dare, vel non dare pœnitenti ſuffragium.

Respondetur nostram resolutionem nō fundari in aliquo iure pœnitētis ad suffragium ratione confessionis, alioqui maxima aperiretur via fraudibus, cum posset aliquis confiteri electoribus, vt sic suffragia non denegarentur; sed fundatur in hoc, quod pœnitens ex sacramento securitatem habeat, quæ det illi confidentiam explicandi sincerè omnia peccata; vnde videmus, quod quando pœnitentes verecundantur, vel difficultatem patiuntur in confitendis peccatis, vel in explicandis eorum circunstantijs, ingenerant Confessarij confidentiam ex securitate, quod nunquam nec directè, nec indirectè manifestabuntur; & sic, quod non timeant, quia nullum subest periculum ex tali peccatorum manifestatione; quod delusorium esset, si semel opposita sentētia vera esset.

Obijciunt secundò, quia Confessarius vtitur confessionis notitia in ordine ad alios casus; ergo etiam vti poterit in ordine ad externā gubernationem, & suffragij denegationem. Antecedens ostēditur. Nemo namque negare potest Confessarium ex confessione reddi cautiorem ad similia pericula vitanda; audit pœnitentem peccasse cum Berta, quia solus mansit in cubiculo, inde Confessarius fit cautus, & proponit nunquam velle manere cum aliqua fœmina solus, ne & ipse similiter cadat. Discunt Confessarij ciuium mores, & discunt quomodo debeant cum illis conuersari. Similiter negabit nemo, non posse Prælatum rigorē deponere, si sciat ex subditi confessione se nimis rigidum esse; item si sciat se nimis laxum? Respondetur non omnem scientiæ confessionis vsum illicitum esse, sed illum per quem confessio difficilis, & odiosa reddatur, secus si non reddatur, vnde videmus Confessarios affici nimis erga illos pœnitentes, qui maxima cum confidentia propriam pandunt conscientiam; & tamen nemo dicit, tales Confessarios peccare, cum tamen illam confidentiā habuerint ex confessionis notitia. Hinc infertur esse con-

tra

tra sigillum si Cõfessarius extra confessionem pœnitenti exprobret, si vultum seueriorem ostendat, si minus gratè loquatur, &c.

Sed quæres primò, an confessionis notitia deseruire possit ad aliquid pro foro externo, vt si casu, vel malitia talis notitia parta sit? Respondetur nihil deseruire, taliter quod omnia acta ex illa facta, cassa, & irrita sint. Couar. 4. p. 2, c. 8. §. 12. nu. 10. & alij communiter.

Quæres secundò, quid debeat facere Sacerdos, quãdo ex confessarij confessione cognoscit illum non esse Sacerdotem, an possit illi non amplius confiteri? Respondetur affirmatiuè, quia ex illo notitiæ vsu, confessio non redditur odiosa, si tamen casus daretur, quod odiosa redderetur, vt si resultaret aliqua reuelatio indirecta, vel dedecus, ex eo quod illum relinquat, non posset illum relinquere; deberet tamen alium secreto adire à quo absolutionem impetraret.

Quæres tertiò, an Cõfessarius possit vti cõfessionis notitia ad vitandum imminens periculum? V. g. scit confessarius in siluam cum socijs ingressus, ab vno sociorum, qui confitetur se cum alijs conuenisse de illo occidẽdo &c. vel scit sibi insidias in tali loco parari, per quem solitus est transire; vel scit venenum positum esse in vino, quo debet celebrare; an nimirum possit fugere, vel per talem locũ nõ transire, vel missam non celebrare, &c. Respondetur posse Confessarium in illis casibus mortem vitare, quoties absq; vlla confessionis manifestatione id facere potest, secus si ex tali mortis vitatione, confessionis manifestatio sequatur; tunc enim potius debet mortem sustinere, quam confessionis sigillum violare.

Quæres quartò, an Cõfessarius possit vitare excõmunicatum vitandum, quando id nouit ex confessione? Respondetur negatiuè, si ex tali vitatione oriatur fractionis sigilli suspicio, secus si nulla oriatur, res facilis est, ideo sisto. Et hæc de confessionis sigillo,

DISPVTATIO VNDECIMA

De satisfactione in communi.

Est satisfactio in genere actio qua is qui alterū læsit, tantum facit, quantum sat est ad offensam compensandam. Vnde differt satisfactio à restitutione. quia restitutio est iniuriæ cessatio, non iniuriæ factæ resercitio; qui namque rem alienā inuito retinet Domino, tam diu iniuriam irrogat, quam diu res illa detinetur: deinde restitutio damnum re ipsa respicit illatū, satisfactio personam iniuria affectum, etiam si damnum nullum patiatur. Vnde nil Deo restitui potest, cum damnum nullum patiatur, illi tamen satisfit, si iniuria afficiatur; Et sic restitutio in rebus, satisfactio in actionibus versatur.

Satisfactio alia est æqualitatis absolutæ, & perfectæ; alia imperfectæ, quæ in pacto vel donatione, vel partis offensæ acceptatione fundatur. In satisfactione duplex inæqualitas est recompensanda altera ad iustitiam pertinens, altera ad amicitiā, vt docet Angelicus in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. qui enim alterum lædit iustitiam simul, & amicitiam violat, & licet cōtingere possit, quod vna actione vtrique satisfiat obligationi, aliquando tamen oppositum contingit, vt cum quis à iudice cōpræhensus tantum pænæ subire tenetur quantum iniuria in alterum illata requirit, & tamen amicitia inter illos nō reformatur, cum inter inuitos esse nequeat.

Non sic respectu Dei, vnū namque non resercitur sine altero, cum non possit homo Deo satisfacere sine acceptatione, & hec sine amicia esse nequeat. De-

Definiunt Theologi satisfactionem in communi, *quod sit voluntaria peccatorum castigatio in se ipso suscepta*; seu *voluntaria offensæ per peccatū Deo illatæ compēsatio, cum proposito non peccandi de cetero*; ponitur *cum proposito non peccandi de cetero*, quia satisfactio, nō solum habet resercire præteritam culpam, sed etiā pro futuris vitandis cautelam adhibere; quia vt rectè notauit Philosophus 2. Ethic. Pœnæ sunt medicinæ non solum curatiuæ mali præsentis, sed & præseruatiuæ futuri. Aliter definit satisfactionem D. Ansel. lib. cur Deus homo scilicet: *Satisfacere est Deo debitum honorem impendere*: dicit debitum, non vtcumq; quia sic, omnes homines debent Deum honorare, sed debitum ratione culpæ.

Satisfactio est duplex, alia, quæ est actus virtutis Pœnitentiæ, de qua in præsenti disputatione erit sermo; altera, quæ est pars integralis sacramenti Pœnitentiæ, de qua disputatione sequenti dicetur: & quia hæc supponit illam, sicut Pœnitentiæ Sacramentum, supponit Pœnitentiam virtutem, ideo prius de illa quā de ista disputabitur. Vnde fit.

QVAESTIO I.

Quænam ad condignam requirantur satisfactionem.

QVatuor sunt de quibus homo Deo debet satisfacere: Primum est culpa mortalis, si quam commisit; Secundum pœna æterna illi respondens; Tertiū culpa venialis; Quartum pœna temporalis, quæ quandoque culpa remissa remanet persoluenda, de quibus aliqua, ex alibi dictis, sunt supponenda antequam quæstionis titulo occuramus, cum ad illum rectè intelligendum necessaria videantur.

Suppono primò, purum ho-

hominem non posse de condigno satisfacere pro culpa mortali; cum enim peccati mortalis malitia sit absolutè infinita, & omnis nostra satisfactio absolutè finita sit, sequitur, non posse esse de cōdigno, & ad æqualitatem satisfactoria. Tum quia, culpa, quæ nulla pęna absolutè finita, potest de condigno puniri, absolutè pœnam meretur infinitam; huiusmodi est mortale peccatum; ergo. Minor ostenditur, quia alias damnati finito tempore possent sufficienter pro suis peccatis puniri, & sic malè, pœna punietur æterna in inferno. Idem dicendum est de pœna æterna, quæ peccato mortali debetur; cum enim hæc pœna sit infinita, infinitam requiret satisfactionem, quam nos exhibere non possumus; satisfacimus tamen de congruo, tā pro culpa mortali, quam pro pœna æterna illi correspondente per contritionem, per quam licet non exhibeamus satisfactionem ad æqualitatē, talem tamē exhibemus, qualem exhibere possumus, & qualem decet diuinam bonitatem à nobis exhigere, quaque contenta est. An autem contritio ex natura rei culpā, & pœnam æternam habeat remittere, an vero ex diuina largitate, supra explicuimus.

Suppono secundò, hominē posse pro culpa veniali de cōdigno, & ad æqualitatem satisfacere, & idem dicendum est de pœna illi correspondēte. Et ratio est, quia veniale, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, est simpliciter finitum, ac proinde pro illo satisfieri poterit; per quos autē actus deleatur, & illi satisfiat, supra docuimus.

Suppono tertiò, quod remissa culpa, tum mortali, tum veniali, potest aliquid pœnæ temporalis remanere: ita definit Trident. sess. 14. can. 12. vbi dicitur: *si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse; anathema sit*. Quod etiam ex sacra Scriptura probari potest, 1. namq; Regū 12. legitur, quod postquam Dauid adulterij, & homicidij veniam

niam

niã impetrauit, adhuc in morte filij punitus est. Idem probatur ex facto, quod Num. 14. habetur, nimirum, quod postquã populus ob murmurationis peccatum veniã impetrauit, adhuc punitus est, vt terram non ingrederetur promissam; id ipsum probari potest sexcentis ex alijs, sacræ Scripturæ locis. Idem verbis rotundis docet D. Chrisost. hom. 6. *de Pœnit.* D. Aug. lib. 2. *de peccatorum merit.* cap. 33. & 34.

Suppono quartò, posse hominem pro pœna temporali peccati, relicta, peccato ipso dimisso, posse de condigno satisfacere, colligitur clarè ex Tridentino sess. citata 13. vbi absolutè definit nos posse pro pœnis temporalibus satisfacere. Hoc docet D. Thomas 4. dist. 15. q. 1. art. 2. quæstiu. 1. Ricard. ibidem art. 1. quæst. 2. D. Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 20. & communiter moderni. Verum tamen est intermisceri aliquid misericordiæ. Primò quia Deus gratis vires concedit ad tales satisfactiones ponendas. Secundò quia opera nostra satisfaciendi vim habent ex meritis Christi; vt docet Tridentinum sess. citata cap. 8. An autem tali condignitate supposita teneatur Deus illã acceptare, an vero etiam in hoc intercedat misericordia, verius videtur non teneri; cum enim non sit de rigore iustitiæ, licet sit modo explicato condigna, non tenetur illã acceptare, & sic etiam in hoc misericordia intercedit. His suppositis quæritur, quęnam conditiones requirantur ad satisfactionem ponendam pro pœnis peccatis debitis.

Respondetur conditiones ad satisfaciendum requisitas esse in triplici genere; aliæ enim se tenent ex parte satisfacientis, aliæ ex parte operis per quod satisfactio ponitur; & aliæ ex parte personæ cui sit satisfactio; quas oportet breuiter explicare. Ex parte satisfacientis, requiritur primò vt sit in gratia; ita D. Thomas in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. quæstiun. 2. & alij plures quos refert, & sequitur Lugo disp. 24. nu. 25. & licet pro contraria sententia Scotus & alij asferantur, communiter tamen inter-

interpretantur, quod non de satisfactione propriè dicta loquantur, sed de satispassione; est autem differentia inter satisfactionem, & satispassioně, quod hæc à iudice infligitur, illa spontè assumitur; colligitur clarè hæc cōditio ex Tridentino sess. 14. cap. 8. Nec deest sufficiens ratio, quia sicut ad meritum, gratiæ status requiritur, ita ad satisfactionem, quæ licet meritum non sit, naturam tamen meriti immittatur; quod ad meritum gratiæ status requiratur, admittunt omnes, & nos probauimus in tractatu de merito, & ratio plana est, quia dum homo manet inimicus, non placet Deo, ac subinde non potest condignè mereri; quod autem satisfactio meriti naturam immittetur patet, quia sicut inimici opera à Deo nō acceptantur ad præmium, ita non possunt esse accepta ad ipsum placandum pro pœna peccatis debita. Vnde opera facta in mortali sicut non reuiuiscunt (gratia accepta) ad meritum, ita non reuiuiscunt ad satisfactionem. Nec placet quod aliqui Scoti discipuli dicunt, quod opera facta in mortali, licet non sint satisfactoria pro ipso operante, sint tamen satisfactoria pro existentibus in Purgatorio. Hoc inquam non placet, quia opera nostra non aliter sunt satisfactoria pro animabus purgantibus, nisi quatenus sūt satisfactoria respectu nostri, cum nos satisfactionem nobis correspondentem illis applicemus. Aliam rationem tetigimus pro hac conditione, quia cum nostra satisfactio nō sit de rigore iustitię, diuina interuenire debet acceptatio; hæc autem amicum respicit, non inimicum. Nec etiā placet quod alij dicunt, nimirum quod reuiuiscant illa opera satisfactoria, quę effectum relinquunt, vt eleemosyna quę attenuat substantiam, & ieiunium corpus. Syl. V. satisfactio. Capreol. dist. 15. quia sēper verificatur, quod sint opera mortua, ac proinde reuiuiscere non poterunt.

Sed quæres primò, an satisfactionis valor ex maiori satisfacientis gratia crescat? Respondetur affirmatiuè, sicut enim meritum ex maiori meren-

merentis crescit dignitate, seu gratia; ita & satisfactio, vt patet de meritis, & satisfactionibus Christi, quæ ex dignitate suppositi maximum sumpserunt valorem, imò infinitum. Crescit autē dictus valor ex gratia quam homo habet, & quādo ieiunare v.g. proponit, & quando reipsa ieiunat, siue quando ieiunādi voluntas ad ieiunium vsque continuatur, siue non; quando enim ieiunandi voluntas efficax est, & per ipsam non stetit, quin ieiunium poneretur suum habet valorem de quo postea.

Quæres secundò, an si quis in mortali existens ieiunare proponat, & postea in gratia ieiunet, per tale ieiunium satisfaciat? Certum est, quod si noua superueniat voluntas ieiunandi, postquam homo est in gratia, quod tale ieiunium sit satisfactorium, cum in virtute voluntatis hominis iusti procedat, seu cum procedat ab homine iusto; Si vero noua nō superaddatur voluntas, sed in virtute illius habitæ in mortali ponatur, dicit Lugo supra nu. 30. quod non sit satisfactorium; rationem assignat, quia tale ieiunium non ab homine iusto ponitur, sed à peccatore, nec dignificari potest sine noua voluntate, à gratia; quæ de nouo ponitur. Sed hoc semper mihi falsum est visum, & in tractatu de merito fusè hoc impugnari, ratio potissima est, quia cum gratia totum dignificet hominem, & illum gratum Deo constituat, & omnia opera illius dignificabit, & in finem ordinabit supernaturalem, nisi spōtè ab eodem homine retrahantur; certè ridiculum esset dicere, gratiam dignificare animā cum omnibus potentijs eius, & non dignificare actus ab ijs procedentibus, quando aliunde non deturpantur; sed de hoc loco citato.

Requiritur secūdò ex parte satisfacientis, quod sit viator, sicut hoc idem ad meritū exigitur; aliàs animæ in Purgatorio existentes cum feruētissimos, & frequentissimos eliciant charitatis, contritionis, & aliarum virtutū actus, citò pro maximis pœnis satisfacerent; est quidem satispassio post hanc vitam, cum

tantum à iudice puniantur, quantum merentur, non tamẽ satisfactio, cum illæ pœnæ nõ sint ab illis assumptæ, sed à iudice inflictæ; vnde se habẽt ille animæ, sicut rei qui puniuntur à iudice &c.

Conditiones ex parte operis sunt. Prima quod opus sit bonum, & honestum, patet, quia Deus placari non potest per opus malum cum sibi displiceat. Secunda quod sit liberum, & volũtarium, vel per modum actus eliciti, vel imperati, vel saltem per modum obiecti voliti; nam satisfactio vt distinguitur à satispassione debet esse opus humanum, ac proinde humano modo positum, & sic voluntariè. Hinc sequitur, quod pœnæ extrinsecæ nobis inflictæ, vel casu accidentes, vt sic præcisè, satisfactoriæ non sunt, nisi in Deum aliquo modo referantur, cum enim istæ a principio Intrinseco non procedant nõ possunt ab eo dignificari; vt modo contra Lugum dicebatur, sed vt dignificentur debent in Deum aliquo modo liberè referri, vt illas propter Deum liberè acceptãdo, patienter sustinẽdo &c. per quæ, talem afflictionem, vel pœnã quodammodo facimus nostram, taliter vt dicere possimus, nos per eas nostra punire peccata. An autem opus debeat esse afflictiuum, seu pœnosum, cum specialem habeat difficultatem, specialem illi dabimus quæstionem.

Tertiam addunt aliqui cõditionem, vt opus sit satisfactorium, nimirum, quod esse debeat opus supererogationis, ita quod per opus necessarium præcepti necessitate, satisfacere non possimus. Sed hoc vanũ est, sicut enim per opera præcepta mereri possumus, ita & satisfacere: tum quia multa ob id nobis mandantur, vt ieiunium, & huius generis multa.

Hinc deduces longe vtilius esse, hìc pro peccatis satisfacere, quam hoc pro Purgatorio reseruare; tum quia facilius, tum quia hìc cum merito fit, secus in Purgatorio, vbi nòn est meritum, nec satisfactio vt dictum est, sed tantũ satispassio, in qua patientis dignitas non respicitur, sed solũ pœnæ cum debito æqualitas.

Ex parte Dei vna sola requiritur conditio, eius nimirũ promissio remissionis pœnæ. sub operis conditione. Hoc namque ipso, quod quis superioris alicuius præceptum transgreditur, ipse acquirit ius infligendi certam pœnã peccato illo correspondentem, quã remittere nõ tenetur, nisi promissio adsit, sed potest velle reum pœnam taxatam, vel quam peccatum meretur subire; ita idem de Deo dicendum est; videantur quæ diximus in tractatu de merito; vbi conditionem hãc satis fusè ostendimus.

QVAESTIO II:

An opus satisfactorium debeat esse pœnale.

OMnino certũ est, opus pænale conuenientissimum esse ad satisfactionem ponendam, id namque frequenter scriptura, & Patres docent; imò & verus Dei amor, animusque verè pœnitens, ad illud inclinat, taliter quod, vix aut Charitas, aut pęnitentia possit esse perfecta, quæ ad talia opera pœnalia non inclinet eum, qui sibi persuadet aliquas pœnas sibi restare persoluẽdas. Charitas namque sicut inclinat ad peccati detestationem, ita ad eiusdem peccati punitionem, ex hoc enim quod Charitas inclinat ad detestandum peccata, inclinat etiam ad detestandum nos ipsos, quatenus illorum sumus auctores, quod per satisfactionem exequimur.

Nota deinde, quod vt docet Aristoteles 8. Ethic. & cũ eo philosophi omnes, bonum est triplex, honestum, vtile, & delectabile; malum vero duplex, culpæ, & pænæ. Malum culpæ, bono opponitur honesto: malum vero pænæ vtili, & delectabili; vnde malum pænæ, bonum h[illegible]nestũ esse potest, cum v[illegible] lectabili opponat[illegible]

que eleemosinæ, est malum pænæ, quia vtili bono opponitur, pecunia namque quæ in eleemosinam datur, vtile bonum est. Ieiunium malū pænæ est, quia delectabili bono opponitur, cum cibi potusque frequentia bonum delectabile sit. Si ergo malum pænæ honostum bonum esse potest, ita econtra bonum honestum, malum pænæ esse poterit; licet enim virtutis actus, qui est bonum honestum, secundum se delectabilis maximè sit, vt docet Philosophus 3. Ethic. cum sit rationi conformis, vt tamen sensualitati contradicit, pænalis est; benè verum est, dari aliqua virtutum opera; quæ si materialiter considerentur pænalia non sunt, benè tamen prout fiunt cum moderatione, & in virtutum specie constituuntur, vt comedere cibos delicatos, & alia huius generis cetera, & hæc virtutum opera vocātur solum secundum quid pænalia, simpliciter vero delectabilia. An autem, vt hoc obiter dicatur, possint hæc virtutum opera imponi à Confessario pro satisfactione, dico communiter id non fieri, si tamen id fieret prout pænalia sunt, seu prout cum moderatione fiūt & in virtutum specie constituuntur], admitti posset. His positis de proposita quæstione tres sententiæ reperiuntur.

Prima sentia est, hominem posse Deo satisfacere per omnia opera de condigno gloriæ meritoria, & si laboriosa, & pænalia non sint. Ita Scotus 4. dist. 15. q. 1. Gab. ibidem art. 1. & alij quos refert, ac sequitur Vasquez hic q. 94. art. 1. dub. 5.

Secunda sententia docet per omnia opera satisfieri, siue pænalia sint; siue pænalia non sint, dummodo sint opera consilij; non præcepti. Sed hæc sententia manet exclusa ex dictis q. præcedenti, quatenus diximus etiam per opera præcepti nos & mereri, & satisfacere posse.

Tertia sententia est solum satisfieri per illa opera gloriæ meritoria, quæ pænialia sunt. Ita Suarez disput. 31. sect. 6. post Durandum, Bonau. & Alensem, quos ibi citat.

Nostra

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Omne opus bonum, & gloriæ meritorium, est etiam satisfactorium, eo quod nullũ datur opus bonum, quod pœnale non sit.* Hæc conclusio est communis, & eam sequitur, & optimè probat Nugnus q, 15. art. 1. difficul. 1. Pro quo nota, quod licet meritum, & satisfactio in eodem opere reperiantur ex diuerso tamen sumuntur motiuo, quæ motiua semper simul eunt, & simul reperiũtur, ex diuerso equidem motiuo meritum, & satisfactio desumuntur, quia meritum, & eiũs condignitas in æquitate fundatur, quæ postulat, quod operis bonitas præmietur, vt homines ad benè, & sanctè operandum alliciantur: at vero satisfactionis cõdignitas in illa æquitate fundatur, quæ exigit, vt qui se voluntariè castigauit, & pœnam laudabiliter sustinuit, iterum pati non cogatur, ne afflicto superaddatur afflictio. Hoc posito, prima conclusionis pars rationibus probatur.

Prima ratio. Illi operi cõcedenda est condignitas ad pœnæ temporali remissionem cui cõceditur condignitas ad gloriam, ad gratiam, & augmentum illius; atqui omni operi bono condignitas ad gratiam, & gloriam conceditur: ergo etiam concedi debet cõdignitas ad satisfaciẽdum, Maior probatur. Primò, quia si sola opera pœnalia essent satisfactoria (dato quod daretur aliquod opus bonum, & meritorium, quod pœnale non esset) sequæretur tanto magis opera esse satisfactoria, quo magis pœnalia; atqui hoc est falsum, etiãsi ab aduersarijs concedatur; ergo. Minor ostenditur; nam actus ardentissimæ, & tenerrimæ erga Deum dilectionis, qui plerumque ab homine vberrima præueniente gratia excitato, concipitur, diuque suauissimè continuatur, nulla interueniente pœna, vel si aliqua multo minor, quam sit suauitas, & quam sit in vnico ieiunio, & tamen nemo dicet quod magis satisfaciat homo per vnicum ieiunium, in quo multam sensit pœnam, & nullam suauitatem, quam per actum illum dilectionis

viri

viri sanctissimi, in quo nullam vel leuem sustinet pænam, & grandem suauitatem; ob idq; dicunt communiter Theologi, quod illi qui à Christo Domino iustificati fuere per dilectionis actum, vt Magdalena, & culpæ, & pænæ totalem receperunt remissionem.

Secundò, quia omne opus meritorium cedit in honorē, & obsequium Dei, & est suo modo diuinæ reconciliatiuū amicitiæ; ergo erit etiam satisfactorium. Consequentia ostenditur; quia, id quod est diuinæ reconciliatiuum amicitię & in Dei cedit honorem, & obsequium vtile omnino erit ad restaurandam Dei lęsam auctoritatem; ergo erit satisfactorium. Tertiò, quia videmus viros perfectos, qui magno spiritus feruore ferūtur in Deum, & heroicis actibus suas edomuerunt passiones, opera facere laboriosissima, promptitudine, & facilitate magna; & tamen nullus cordatus dicet illos minus satisfacere, quam viri tepidi, qui eadem opera cum maxima faciunt difficultate; dicendum ergo quod sicut perfecti viri tunc temporis magis merentur, quod etiam magis satisfaciant, ac subinde, quod meritum, & satisfactio simul eant, & simul maneant; alioqui, si ex sola pœnalitate satisfactio sumeretur, vbi minor pœnalitas esset, ibi minor esset satisfactio, ac proinde deterioris essent conditionis viri sancti, qui cum nulla pœnalitate, vel minima, opera faciunt laboriosa, quam sint viri imperfecti qui cum maxima pęnalitate, & difficultete opera faciun t laboriosa.

Secūda ratio. Quoties gratia Infunditur, vel augetur, toties aliqua pœna remittitur; Atqui gratia augetur per omnia opera meritoria; ergo per illa omnia, pœna aliqua remitti debet. Maior licet concedatur communiter, sic tamen breuiter probari potest, quia non videtur rationi consonum, quod quis magis, ac magis, & intimius ad alterius acceptetur amicitiam, & sibi non condonentur pœnæ peccatis, seu offensis prius commissis, debitæ; sicut enim tunc temporis peccata remittun-

tuntur venialia quoad culpā, quare etiam non remittentur quoad pœnam?

Secunda cōclusionis pars, quod nullum detur opus bonum quod pœnale non sit, breuiter ostenditur; à priori siquidem, & à posteriori. A priori, quia de ratione actus boni, virtuosi,& subinde meritorij est, quod fiat conformiter ad rationem rectam;atqui in hoc semper aliqua intercedit difficultas;ergo. Maior clara est, & ab omnibus conceditur. Minor probatur. nam sensualitas rationi perpetuò insidiatur, illi semper resistit, ob id dicebat Apostolus: *Non quod volo hoc facio, sed quod nolo, hoc ago: & sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& trahentem me in legem peccati.* Quis enim sine difficultate, medium rationis habet, in virtutum actibus?bonum ex integra causa, & malum ex quocunque defectu: bonum debet esse vsquequaque bene circonstātionatum; & quis est, qui sine difficultate integram boni causam ponat, omnes habeat illius circunstantias? &c.

A posteriori etiam probatur,quia vt aduertit Nugnus nullum bonum est minus pęnale, quam cibos comedere delicatos, & optima potare vina. & tamen vt in singulari sit opus bonum, & virtutis actus, & meritorium, maximā annexā habet difficultatem, vt enim benè fiat non solum in bonum debet ordinari finem, sed debet cum tali moderatione fieri, quod neque sit excessus, neque defectus, sed omnino rationi conformis, & omninò benè circunstantionatus; *& hoc opus hic labor est*. Soluuntur argumēta in contrarium.

Primum argumentum est desumptum ex eleganti Diui Thomę testimonio ar.1.q.15. supplem. vbi ita fatur: *Satisfactio respectum habet, & ad præteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, & etiam ad futuram culpam à qua per eam præseruamur,& quantum ad vtrunque exigit, quod satisfactio per opera pœnalia fiat. Recompensatio*

satio enim offensa importat adequationem, quam oportet esse eius qui offendit, ad eum in quem offensa commissa est: adequatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionẽ, ab vno qui plus habet iusto, & additionem alterius cui subtractum est aliquid. Vnde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur de peccante per satisfactionem, quod in honorẽ Dei cedit. Opus autem bonum ex hoc, quod est huius, non subtraxit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Et ideo ad hoc quod opus sit satisfactorium oportet quod sit bonum, & in honorem Dei, & pœnale, vt aliquid peccatori subtrahatur. Vbi vt vides, vult Doctor sanctus, quod ad hoc vt opus sit satisfactorium debeat esse pęnale, vt aliquid in Dei honorẽ peccatori subtrahatur; per opus autem bonum vt sic, nihil subtrehitur cum per illud homo perficiatur; subtrahitur autem per opus pœnale, quia, vt supra dicebamus, bono vtili, & delectabili opponitur, & sic qui opus pœnale ponit, vtili bono, vel delectabili priuatur.

Respondet Mæratius disp. 37. de pœnit. sect. 4. nu. 8. per hæc verba *Tertium* (intellige argumentum quod contra se proponit) *ex ipso S. Doctore citato art. 4. quæstiuncula prima in corpore, vbi expresiè docet, & probat, ad satisfactionẽ exigi, vt fiat per opera pœnalia. Respondeo docere quidem, & probare, sed probationem inefficacem esse: vt enim efficax esset, oporteret satisfactionem exhibendam Deo ab homine, esse ex sola stricta iustitia, & quidem commutatiua, cum tamen non sit ex ea saltem sola, omnium consensu.* Sed malè loquitur Mæratius. & parum reuerenter: quod enim docet Angelicus, & hic, & alibi verum est, & rationes eius, semper efficaces sunt, si rectè intelligantur. Quod autem D. Thomas optimè doceat opus satisfactorium pœnale esse debere, patet ex dictis pro nostra conclusione, cum enim omne opus bonum pęnale sit, licet bonitatis, & pęnalitatis ratio ex diuersis sumatur capitibus, sequitur, quod

quod cum omne opus bonũ sit pœnale, sit etiã satisfactorium, non qua bonitatem dicit, sed qua pœnalitatem, ob idque sanctus Doctor aduertenter dixit, quod *opus bonũ ex hoc quod est huius, nihil subtrabat ab operante*, ac proinde non sit secundum hanc rationem pœnale, licet secundum alias rationes, pœnale esse debeat, vt probatum est.

Quod autem D. Thomæ ratio sit efficax, & optimè probet opus bonum esse debere satisfactorium, non qua bonum est, vt vult Mæretius, sed qua pœnale est, patet, quia satisfactio aliquam punitionis rationem habere debet, vt tollat, & casset rationem delectationis, quæ in cõuersione ad creaturam habita fuit; hæc autem punitionis ratio, non in alio consistere potest, quam in subtractione à D. Thoma posita. Ob id dicitur in Apoc. *quantum se delectauit, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*.

Nec verum est, quod dicit auctor ille, quod adhoc vt D. Thomæ ratio efficax esset, deberet esse satisfactio ex sola stricta iustitia. Hoc inquã non est verum, nam satisfactio ex Sancto Doctore debet quidem ponere adequationẽ quantum fieri potest, sed nõ omni modam, vnde dum dicit doctor sanctus quod satisfactio debeat ponere adequationem, intelligi debet cum grano solis, nimirum illam, quã purus homo ponere potest; Adde quod D. Thomas in illis verbis docere vult id quod nos supra docuimus, nimirum, quod possit homo satisfacere Deo ad æqualitatem pro pœna temporali, quę finita, & limitata est, quippe quæ, delectationi, quæ in conuersione ad creaturam captata est correspondeat, nõ tamen de toto iustitiæ rigore, cum semper misericordia ex parte Dei interueniat. Ex quibus patet solutio ad argumentum, vult enim D. Thomas omne opus bonum esse satisfactorium, non qua bonum est, sed qua pœnale est, ita Nugnus loco citato.

Secundum argumentum. Reatus pœnæ temporalis stare potest cũ opere bono; ergo

non omne opus bonum est satisfactorium, & per consequens non omne pęnale erit? Respondetur faciliter, quod ideo reatus pœnæ temporalis stare potest cum opere bono, quia non omne opus bonum totam delet pœnam temporalem, sed ad mensuram bonitatis, & pœnalitatis.

Sed quæres primò, an ad satisfactionem ponendam requiratur intentio satisfaciendi; loquimur de satisfactione ex opere operantis, nam quænam intentio requiratur ad satisfactionem ex opere operato, quæ ex indulgentijs, & sacramentis habetur, infra dicetur? Respondetur cum Nugno q. 12. art. 1. difficult. 1. quod non requiratur formalis satisfaciendi intentio, sed sufficiat virtualis, quæ continetur in voluntate placendi Deo, & in quacunque volũtate volendi bene facere, in eo qui est in gratia; cum enim satisfactio rationem meriti sequatur, eadem intẽtio, quæ ad meritum ponendum requiritur, sufficiet etiam pro satisfactione ponenda; non enim satisfactio fundatur in contractu, & intentione soluendi, sed in illa æquitate quam supra explicuimus.

Sed dices, quia satisfactio est actus iustitiæ vindicatiuæ, qua quis punit in se ipso, quod sua peccata merentur; atqui actus iustitiæ vindicatiuæ sine intentione nõ datur, sicuti nec debiti solutio; ergo. Respondetur negando Antecedens, vt enim supra notauimus, satisfactio est actus pęnitentiæ, non iustitiæ, cum respiciat deletionem offensæ, modo supra explicato. Ad illud de solutione debiti, aliqui non improbabiliter volunt, quod nulla requiratur intentio; vnde si quis centum debeat Petro, & sine intentione soluendi, & extinguendi debitum, illa centum soluat, debitum extinguatur; sed de hoc suo loco.

Quæres secundò, an possimus aliter, quam per condignam satisfactionem liberari à pœna peccatis debita, vt per impetrationem, vel satisfactionem congruam, vt excludatur satisfactio ex opere operato, quæ fit per indulgẽtias, & sacramenta; in hac namque

namque disputatione de satisfactione ex opere operantis est sermo.

Respondetur affirmatiuè. Probatur primò, quia vt est communis Ecclesiæ,& fideliũ sensus,nostris orationibus, & precibus impetrare possumus defunctis liberationem à pœnis, quas in purgatorio patiũtur, ita enim orat Ecclesia, & petit illarum animarum liberationem per intercessionem B. V. M. & Sanctorum; ergo etiã id poterit quis pro se ipso impetrare; facilius namq; est impetrare pro se,quã pro alijs.

Sed dices primò cum Suario disput.37.sect.10. cui oppositum magis placet, quod non videtur consonum diuinæ iustitiæ, vt peccata maneant impunita, atqui manerent, si per solam impetrationem,pœnæ illis debitæ cassarentur; ergo? Respondetur talia peccata nõ manere impunita, cum tunc temporis, licet non applicentur, vel orantis, vel impetrantis satisfactiones, possunt tamen applicari in virtute talis orationis, vel impetrationis satisfactiones Christi, & Sanctorum; vnde sicut impunita nõ manent peccata, quæ per indulgentias, & sacramenta cassantur; ita neque, quæ per impetrationem remittuntur.

Dices secundò, non potest homo per solã, & nudam impetrationem obtinere à Deo peccatorum suorum quoad culpam remissionem; ergo neque quoad pœnam. Consequentia tenet ex paritate rationis. Antecedens patet; nam peccatorum remissio quoad culpam, nõ fit per impetrationem, sed per contritionem,& sacramenta, modo alibi dicto? Respondetur Antecedens supponere falsum, nimirum, quod in peccatore esse possit propria impetratio, cum hæc solum in iustis esse possit, vt omnes docent, & nos ostendimus in tractat. de merito. *Peccatores namque Deus non exaudit.* Deinde dato quod in peccatore impetratio simpliciter esse possit, adhuc neganda est consequẽtia, quia vt Cõcilia, & Patres clamant, culpæ remissio, non aliter fit extra sacramenta, quam per contritionem perfectam, & dilectionem,& ratio

tio est, quia solùm per hæc, homo ad Deum conuertitur, & à creatura auertitur; patet autem quod per impetrationem hæc non ponantur, ac proinde per illam fieri non poterit culpæ remissio.

Dices tertiò, nō potest homo iustus sibi impetrare augmentum gratiæ;ergo neque poterit sibi impetrare pœnæ remissionem. Antecedens est certum,cum gratia, & gloria bonis respondeat operibus, & dentur secundum meritorum, & non aliter, mensurā; Consequentia videtur bona ex paritate rationis? Respondetur dato Antecedenti, negando consequentiam. Ratio discriminis est, quia gratia, gloriæ mensuratur, gloria ex diuina ordinatione ex meritis datur, cum per modum coronæ detur, vt dicit Apostolus, *in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex*; & sic cū detur gloria, vt præmium bonorū operum, iuxta mensuram illorum dari debet; cum hoc sit præmiorum proprium,vt æqualitas in illis seruetur, & si præmians hoc non faceret, non esset rectus bonorum communium distributor. Cum ergo gloria sit bonum quoddam commune, iuxta subditorum merita distribui debet; alioqui ius subditorum,nempe iustorum, ad bonum illud commune violaretur. At vero cum subditi nullum habeant ius ad pœnas, commissis delictis correspondentes,cum non sit bonum commune, quod à subditis inspiciatur, & ad quod ius proportionalis distributionis habeant, sed totū ius sit in principe,sibi à republica communicatum, ad punienda subditorum delicta, sequitur quod princeps, qui liberalis esse debet,vt subditorum corda in se conuertere valeat, poterit in his pœnis dispensare,& aliquando reos relaxare; vnde videmus aliquando, ob communem lætitiam, aperiri carceres, & reos omnes impunitos dimitti. Hoc maiori ratione currit in Deo, vt ex se liquet, & vt dicebamus, cum delicta non maneant impunita, sed Christi, & Sanctorum satisfactiones applicentur.

QVAE.

QVAESTIO III.

An pœna temporalis, quæ peccato dimisso, aliquando remanet, remaneat ex natura rei, an ex diuina voluntate.

PRrima ſententia eſt Scoti in 4. diſt. 22. q. 1. vbi docet peccato mortali, nullã aliam pœnam correſpondere niſi æternam, quæ dum remittiturquo ad culpam, Deus ſua voluntate commutat pœnam æternam in temporalẽ, quæ poſtea caſſari debet, vel in hac vita. vel in Purgatorio Hãc ſententiam ſequitur Lugo quatenus illam multis locis inſinuat.

Noſtra ſententia ſequenti explicatur concluſione. *Pœna temporalis quæ remanet ex peccato, [deleta culpa, non remanet ex diuina voluntate cõmutante pœnam æternam in temporalem, ſed ex natura rei.* Hæc concluſio eſt communis Thomiſtarum ſententia poſt D. Thomam, & illam ſequũtur omnes ferè moderni.

Probatur primò ex doctrina D. Thomæ, quam pluribus in locis habet, & explicat, nimirum, quod in peccato ſunt duo, auerſio à Deo bono infinito, & maximo, & conuerſio ad creaturam; auerſioni vtpote infinitæ damni pœna æterna correſpondet. Conuerſioni vero, cum finita ſit, pœna ſenſus reſpondet finita; & ſolum infinita eſt per accidens, quatenus cum pœna damni coniungitur; quando damni pœna per iuſtificationem tollitur, pœna ſenſus finita aliquando remanet, luenda vel in hac vita, vel in Purgatorio: gratia nãq; per quã homo iuſtificatur, cum ſit vera cũ Deo amicitia, & ius tribuat ad gloriam, cum ſit illius exordium, non poteſt ſtare cum peccato, nec quoad culpam, nec quoad pœnã æternam, hæc namque ius omne ad gloriam aufert, cum ſit ius ad pœnam æternam:

at vero cum pœna temporali stare potest, vt ex se liquet.

Sed Mæratius disput. 34. sect. 2. num. 8. licet nostram sequitur sententiam, dicit tamen, quod licet aliqui dicāt nullam posse pro ea assignari rationem, & nullum argumētum, ipse tamen vnum affert satis efficax; *postquam*, inquit, *aliud quod ex D. Thomæ doctrina referri solet, & refutari, retulero*: hæc illæ; postea relata D. Thomæ tradita doctrina objicit aliqua contra eandem. Sed non possum nō mirari, qua ratione dicat Mæratius, quod D. Thomæ argumentum referri soleat, & refutetur, cum cōmunis Theologorum schola tale argumētum amplectatur; & nihil sit magis tritum in scholis, quam quod peccatum habeat auersionem à Deo, & conuersionē ad creaturam?

Sed arguit ille, quia auersio, & conuersio non reperiūtur in omni peccato actuali; ergo D. Thomæ argumētum nullum est; Consequentia tenet, cum enim pœna temporalis cassanda post peccatum, quod culpam dimissum, & quoad pœnam æternam in omni peccato reperiatur, signum est, quod à conuersione non procedat, si semel dari potest peccatum, quod cōuersionem ad creaturam non habeat. Antecedens probat, quia in odio Dei nulla est cōuersio ad creaturam, cum sit conuersio, & tendentia in Deum odio habendo illum, seu volendo illi malum. Similiter nulla reperitur conuersio in peccato omissionis actus debiti, ergo D. Thomæ doctrina est nulla.

Sed quis non videt huius argumenti pinguedinē. Vult hoc argumentum, quod pœna sensus temporalis in peccato, desumatur ab obiecto immediatè inspecto, seu specificante, ab hoc enim præcisè non desumitur, sed per ordinem ad creaturam illam, quæ in peccatore vltimi finis rationem habet, & est ipse peccans, vt doctè probant N. Salm. in 1.2. Et sic cum omne peccatum, & ipsum Dei odiū, & omissio quæcunque peccaminosa grauiter, non habeat, nec habere possit Deum pro vltimo fine, habebit creatu-

ram,

ram, & per ordinem ad illam temporalis pœna desumetur, & hæc erit maior, vel minor, secundum quod medio obiecto specificante, magis, vel minus ad finẽ vltimum creatum acceditur, in eoque deliciatur. Sed de hoc suo loco.

Probatur secundò ratione. Nam facta peccati remissione quoad culpam, & pœnam æternam, nulla alia remanere potest pœna luenda, nisi homo ratione peccati commissi illa dignus sit, atqui nõ potest homo esse dignus pœna illa temporali, nisi ratione conuersionis peccati, seu reatus, qui remanet ex conuersione ad creaturam; ergo ratione huius debet temporalis pœna remanere, ac subinde ex natura rei. Maior patet; dissonum namque valde rationi est, quod culpa dimissa quoad culpam, & pœnã æternam, restet adhuc pœna luẽda, vel in hac, vel in alia vita absque eo quod homo tali pœna dignus sit: nullus namque iudex pœnam aliquam alicui infligit, nisi probetur, & iudicetur reus; quod enim quis pœna dignus iudicetur, non pendet ex alterius volũtate, sed ex delicto commisso; si enim nullus per extrinsecã alterius voluntatem fieri potest dignus præmio, sed hoc fit ex ipso bono opere facto; ita nullus ex extrinseca alterius voluntate fieri potest pęna aliqua reus, sed ex opere malo. Minor clara est, cum enim temporalis pœna auersioni non respondeat, cum hæc sit æterna, nil aliud restat cui respondere potest, nisi cõuersio. Nec valet recurrere ad commutationem pœnæ æternæ in temporalem, quia cum gratiæ natura sit, pœnã æternam destruere, vt dicebatur, nõ potest in temporalem commutari; id namque quod in aliud commutatur, destructum supponi nõ debet: quod autem gratiæ natura sit, pœnam destruere æternam, patet, quia gratia ex sui natura habet destruere totum id cũ quo formalem habet repugnantiam; atqui eam habet cum reatu pęnæ æternæ; ergo. Pœna namque æterna omnimodam ponit diuinæ visionis desperationem; gratia vero spem illius ponit; pœna æter-

na

na est priuatio iuris nunquam videndi Deum, gratia vero est ius ipsum videndi: est gratia dignitas gloriæ, est pœna æterna huius dignitatis carẽtia. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est. Quoniã reipublicæ princeps ad quem spectat reos punire, vel relaxare, potest pro suo libito pœnam maiorem, quam reus meretur, in minorem commutare: si enim potest totam relaxare, ita poterit illam commutare; ergo id ipsũ Deo non est denegandum,& sic potuit Deus pœnam æternam in temporalem commutare? Respondetur concesso Antecedente, negando Consequentiam, vt enim dicebamus, vt fiat vnius rei in aliam commutatio, debet res illa commutanda existere, dum fit commutatio; si namque prius destructa sit,commutari in aliam iure non poterit; & sic, cũ pœna æterna per gratiæ infusionem destruatur, nõ poterit in temporalem pœnã commutari. Cum enim pœna temporalis per aduersarios non intelligatur existere ante iustificationem, sed post illam, & tunc temporis pœna æterna destructa sit, in temporalem commutari non poterit. Adde quod cum peccato vtraque pœna respondeat, vt iã probauimus, vtraque cassanda est, non vna in aliam commutari:potest quidem Deus pœnam temporalem maiorem in minorem commutare, sed æternam nõ potest,cum hæc ex gratię natura, tota cassetur, & deleatur.

Secundum argumentum: Dimisso mortali peccato quo ad culpam, nulla temporalis pœna ex rei natura remanere potest; ergo id erit ex sola diuina voluntate pœnã commutante æternam, in temporalem Antecedens probatur; nam vel pęnæ temporalis dignitas ponitur ex vi,& iustificationis natura,vel ex natura peccati, neutrum dici potest; ergo ex sola Dei voluntate dictam ponente commutationem ponetur. Maior clara est,non enim aliud restat (si ex diuina non ponatur volũtate) à quo pœnæ temporalis dignitas oriatur. Minor pro-

probatur;nam talis dignitas à iustificationis natura procedere non potest, cū iustificatio non faciat hominem pœna aliqua dignum,cum potius dignum reddat æterna gloria. Neque ex natura peccati, quia peccatum postquam dimissum est, non potest pœnam aliquam nouam afferre, quam non afferret ante;atqui ante, non nisi pœnæ æternæ dignitatem afferrebat; ergo.

Respōdetur negando Antecedens: ad probationem, cōcessa prima dilematis parte, secunda negatur; ad cuius probationem dico, peccatum mortale ratione cōuersionis, semper pœnam afferre temporalem, cum discrimine tamen, quia post deletionem peccati quoad culpam, & pœnam æternam, pœna temporalis, manet purè temporalis; at vero ante dimissionē quoad culpam,& pœnam æternam, pœna temporalis per accidēs fit æterna,ratione coniunctionis cum illa, vt in p.2. explicuimus,& ibi à Theologis cū D.Thom.explicatur.

QVAESTIO IV.

An homo teneatur satisfacere in præsenti vita, pro pœnis, peccatis dimissis, debitis, ne eas luat in futura.

NOn procedit quæstio præsens de satisfactione ex opere operato, nempe sacramentali, & quæ habetur per indulgentias, sed de satisfactione ex opere operātis, quæ est actus pœnitentiæ virtutis, de qua sunt duæ sententiæ probabiles.

Prima sententia est, quod sit præceptum diuinum satisfaciendi in hac vita pro pœnis respondentibus peccatis dimissis, ita quod non possit homo sine peccato mortali illas pro Purgatorio reseruare. Hanc sententiam sequitur M.Cano in relectione de pœnit.

nit. p. 5. Paludanus in 4. dist. 17. Valentia hic puncto 4. & alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Non tenetur homo sub mortali satisfacere pro pœnis, dimissis peccatis, respondentibus*. Hæc conclusio est communis in scholis, illam sequitur M. Soto in 4. dist. 20. q. 2. art 2. ad 3. Corduba lib. 5. de indulgētijs q. 6. Taperus art 6. & alij communiter.

Probatur primò, quia si aliqua esset obligatio tollendi peccatorū pœnas in hac vita per satisfactionem, ne remaneant luendæ in alia, vel hæc esset ex aliquo positiuo præcepto, vel naturali, siue purè naturali, siue naturali diuino; atqui nullum ex ijs est; ergo. Non positiuū quia nullibi reperitur; non purè naturale, quia natura de hoc nihil dictat, cum naturæ ordinem transcendat; non naturale diuinum, vt aduersarij volunt; nam si hoc daretur, vel ideo esset vt diuinæ satisfieret iustitiæ, quæ peccata non permittit impunita, & hoc non, quia ex hoc quod pœnæ reseruentur luendæ in Purgatorio, diuina non læditur iustitia, cum re vera peccata puniantur. Tum quia iustitia punitiua non obligat reum, vt se ipsum puniat, nec vt pœnā à iudice infligendam præueniat illam, alijs assumptis voluntariè pœnis, cassando, sed solum, vel ad summum reum obligat, vt pœnam à iudice inflictam, patienter sustineat.

Dices, hanc satisfaciendi obligationem ex Charitate procedere qua quisque tenetur in hac vita leues sustinere pœnas, vt purgatorij grauissimas euadat. Nam contra est, quia charitas erga se ipsum, virtus quædam vniuersalis est, contra quam non peccatur, nisi ex speciali motiuo velit quis sibi malū, qua malum est; alioqui quoties quis mortaliter peccat, semper contra charitatem erga se ipsum peccaret, cum tunc in se grauissimum causet malum, quale est peccatū mortale, quod bonis supernaturalibus, imò, & Deo ipso, spoliare habet; ergo similiter nō peccabit quis contra charitatem erga se ipsum omittendo satis-

satisfactionem, & eam reseruando pro alia vita, nisi id faciat ex directa intẽtione causandi in se malum, quatenus sibi malum est.

Probatur secundò, quia ex opposita sententia sequeretur, teneri fideles vitam in pœnitentijs continuis transigere, ieiunando, ferendo catenas, cilicia, verberando se ipsos, vt sic pœnæ peccatis debitæ in hac vita dimittãtur: cum enim lapsus in venialia sint adeo frequentes, sequitur, pœnas valdè multiplicari. Nec valet dicere, posse indulgentijs cassari, nam contra est, quia id est per accidens, vnde si indulgentiæ reuocarentur, vt reuocantur in anno sancto, tunc pœnitentiæ multiplicari deberent, vt pœnæ ille redimerentur.

Sequeretur etiam ex opposita sententia, teneri hominẽ omnium venialium pœnas ante mortem cassare; & subinde teneri cassare omnia venialia quoad culpam, vt sic possit eorum pœna deleri; sequeretur, quod si quis in mortis articulo venialiter peccaret, peccato v. g. impatientiæ, reus esset alterius peccati contra charitatem qua tenetur procurare, vt alterius vitæ pœnæ vitẽtur, &c. quod omnino falsum est, cum nulli constet de obligatione vitandi pœnas purgatorias. Et si vera est Caietani, & aliorum sententia, de quo postea quod quis potest remittere pro purgatorio satisfactionem sacramentalem, à fortiori remittere poterit non sacramentalẽ. Maneat ergo nullam esse talem obligationem, sed teneri dumtaxat hominem facere, quod in se est, vt in gratia maneat & pœnas peccatis debitas pro alia vita seruare poterit. Noto tamen quod licet hucusq; dicta speculatiuè vera sint practicè tamen nõ placẽt; vnde non benè saperet ille, qui ita faceret. Suadendum ergo est omnibus, vt pœnitẽtiam agant, & pro commissis peccatis satisfaciant, & nunquam de hoc sint contenti, sed semper maiores, ac maiores addant satisfactiones, per plures, & plures pœnitẽtias, vt Nostra faciebat Mater Seraphica, dum inter spinas volutabatur, & dicebat:

Domine, aut pati, aut mori; & N. Venerabilis Pater Ioãnes à Cruce, dum sibi Dominus diceret, *Ioannes quid vis pro laboribus*, respondit: *Domine pati, & contemni pro te*. Et iste est sanctorum sensus, hæc est sanctorum consolatio: consolantur homines mundi in delitijs, voluptatibus, commessationibus, &c. consolantur Sancti in pœnitentijs, in ieiunijs, in flagellis, in cilitijs, in catenis, &c.

QVAESTIO V.

An vnus iustus possit pro alio, siue viuo, siue defuncto satisfacere,

Seu, an possint fideles se inuicem suffragijs iuuare.

SAtisfactio alijs applicata suffragium vocatur, suffragium namque auxilium quoddam est quod vnus alteri præstat, & sic quando vnus fidelis suas alteri applicat satisfactiones, dicitur pro illo suffragari, seu suffragia pro eo applicare.

Pro quo nota, de fide esse, dari inter fideles aliquã suffragiorum cõmunicationẽ, vt canit Ecclesia in symbolo illis verbis *sanctorũ communionẽ*. & colligitur ex Apost. Rom. 15. *Probauerunt enim Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem, placuit enim eis, & debitores sunt eorum: nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent, & in carnalibus ministrare illis*. Idem colligitur ex illo Collos 1. *Gaudeo in passionibus pro vobis & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Vbi, vt vides, Apo-

ſtolus gaudet de ſuis paſſionibus quas ſuſtinebat pro Colloſenſibus, & pro toto corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia.

Nota ſecundò hanc ſatisfactionem, ſeu ſuffragiorum communicationem non poſſe conſiſtere ſolum in hoc, quod vnus alteri pœnæ impetret remiſſionem, hoc enim videtur omnino diſcordare à doctrina Catechiſmi Pij V. de *Sacram. Pœnit.* nu. 61. vbi habetur: *In eo ſumma Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarum actionibus prædicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus pro alio poſſet ſatisfacere.* Si autem in ſola impetratione ſatisfactionum, ſeu ſuffragiorum communicatio conſiſteret, vnus pro alio nō ſatisfaceret, cum impetrans præciſè ſuis non priuetur ſatisfactionibus. Deinde parum infra ſubdit idē Catechiſmus: *Qui diuina gratia præditi ſunt alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur, perſoluere: quare fit, vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur.*

Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum ſymbolo, ſanctorum communionem profitetur. Ex quibus apparet, quod fideles ſibi mutuo proprias applicare poſſunt ſatisfactiones, per veram ſolutionem, & non ſolū per impetrationem.

Sed contra hanc veritatem obijcies, quia vt communiter tradunt Iuriſtæ, & Theologi, eſt talis differentia inter debitum reale, & perſonale, quod reale ſoluitur per traditionem alterius rei diſtinctæ, ac ſubinde ab alio, quam à debitore ſolui poteſt. At vero debitum perſonale illud eſt quod ab alia perſona ſolui non poteſt, ſed per propriam actionem, vel paſſionem ſolui debet; atqui pœnæ debitum eſt perſonale; ergo per alium ſolui non poteſt. Minor probatur multipliciter. Primò quia pœnæ debitum contrahitur ratione delicti, quod eſt perſonale, ergo etiā pœna reſpondens perſonalis eſſe debet. Secundò quia culpæ debitum perſonale eſt, vnus namque pro alio culpā delere non poteſt, ergo etiā de-

debitū pœnæ personale erit, cum hoc sequatur ad illud. Tertiò quia pœnæ satisfactio medicinalis est; ergo personalis. Antecedens patet quia satisfactio ponitur, vt homo à futuris retrahatur peccatis; consequentia etiam liquet, ex communi Theologorum sensu, quod pœnæ medicinales per alium cassari non possint.

Respondetur quod pœna temporalis non est debitum purè personale, nec purè reale, sed mixtum, quod potest solui & ab ipso debitore, & ab alio: non sic pœna æterna, & culpa, hæc namque sunt debitum purè reale: Vnde patet ad primam probationē, licet enim hæc pœna ratione delicti contrahatur, non est tamen pœna primaria, & primario ex delicto sequuta, vt est pœna æterna, sed secundaria & secundariò sequuta, propterea debitum mixtum est, &c. Per quæ patet etiā ad secundam probationem. Ad tertiam dico, quod quando pœna purè medicinalis est, per alium cassari non potest, ob id docent Theologi, quod pœnitentia medicinalis à cōfessario imposita, per alium fieri non potest. At quando medicinalis non est, per aliū cassari poterit modo quo infra; communiter autem satisfactio medicinalis non est, nisi latè, impropriè, & remotè, licet enim satisfactio ponatur vt etiam futura vitentur peccata, hic tamen satisfactionis influxus ad futurorum peccatorum vitationem valde remotè influit.

Supposito modo, quod vnus possit pro alio, siue viuo, siue defuncto, vt fides docet satisfacere, & sua alteri applicare suffragia, aliquæ difficultates, quæ hic emergunt, sunt proponendæ, & discutiendæ.

Prima difficultas est, an quando vnus iustus pro alio satisfacit, illa satisfactio sit de condigno, ac subinde infallibilis, an solum de congruo.

Prima sententia est, quod ista satisfactio sit de condigno, & infallibilis, ita Suarez disput. 48. sect. 3. Lugo disput. 26. num. 5. & aliqui alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Sa-

tisfactio vnius pro alio, non est omnino de condigno, nec est infallibilis. Ita Medina, & Corduba apud Suarez, probabilẽ, reputat Coninchus, & illam absolute defendit Mæratius disput. 39. sect. 1. & alij plures quos breuitatis causa relinquo.

Dixi in conclusione, satisfactionem vnius pro alio non esse omnino de condigno: quod vt intelligas nota; satisfactionem dupliciter dici posse de condigno. Primò latè. Secundò strictè, & propriè; satisfactio de cõdigno latè, & imperfectè, & impropriè illa est, quæ quidem est secundũ quandam æqualitatem rei ad rẽ, pactũ tamen, vel obligatio acceptãdi nulla est; quo modo dicitur aliquis condignè emere, quando prætium soluit æquiualens rei, licet emẽs voluntariè emat, & vendens sine obligatione, vel pacto antecedenti vendat. At vero illa satisfactio propriè cõdigna est, quæ non solũ ęqualis est, verum etiam talis est, quod alter illam acceptare teneatur, vel ratione pacti, vel promissionis; nullo alio namque modo Deus obligare potest. Hoc posito dico satisfactionem vnius pro alio non esse propriè condignã, quia licet quandam afferat æqualitatem, nullũ tamen Dei pactũ supponit de illius acceptatione, nullã promissionem, vt supponit satisfactio pro se. His notatis.

Probatur primò conclusio eleganti D. Thomæ testimonio, quod refert Nugnus q. 25. supplem. art. 1. difficult. 2. nimirum: *In iustitia vindicatiua fieri solutionem secundum arbitrium iudicis, nõ secundum voluntatem soluentis*, si ergo in iustitia vindicatiua fit solutio, seu satisfactio secundum arbitrium iudicis, & non secundum voluntatem soluentis, seu satisfacientis, sequitur, solutionem, seu satisfactionẽ non esse omnino condignam, ac proinde non infallibiliter acceptari.

Probatur secundò, quia iudex etiam in humanis, pro delicto personali, ius habet puniendi ipsum reum, & sic, quãtumuis alter velit rei pœnam subire, iudex non tenetur illã acceptare, vt est mos om-

omnium iudicum; ergo id ipsum de Deo dici debet Nec valet dicere id quidem verũ esse absolutè, non tamen quãdo iudicis intercederet promissio, de alterius acceptanda satisfactione Nam contra est, quia nullibi constat de tali Dei promissione, nec vllus suo iure spoliandus est, nisi euidenter constet, de sui iuris renunciatione; cum ergo euidenter, imò nec leuiter constet, Deũ iuri suo renunciasse, de puniendo ipso reo, & de nõ acceptanda alterius satisfactione, non debet hoc induci.

Probatur tertiò quia præcedens sentẽtia videtur multum derogare dignitati Christi; ergo non est admittenda. Antecedens probatur, quia soli Christo concedunt sancti Patres, & Theologi, quod potuerit promereri alijs de condigno dona gratiæ, & gloriæ; ergo soli ipsi concedi debet, quod possit de condigno pro alijs satisfacere, cum satisfactio meritum sequatur, & cũ eo simul vadat, & simul maneat. Certè maximus decor est Christi Domini, quod ipsius solum sit pro alijs mereri, & pro alijs satisfacere de cõdigno, &c.

Cõfirmatur præcedens argumentum. Quoniam iustus sibi soli de condigno potest promereri gloriam, & gratiæ augmentum; ergo etiam sibi soli de condigno satisfacere poterit, & si recurras ad promissionem quoad hoc secundum, alter recurrere poterit quoad primum, & tuum erit disparitatis assignare rationẽ. Adde quod altera sententia videtur valde alienam facere negligentiam, dum possũt homines aliorum curare satisfactiones sibi applicari.

Secunda difficultas, an suffragia, seu satisfactiones viuorum prosint de condigno, infallibiliter defunctis. De fide est viuorum suffragia defunctis prodesse; nã id habetur 2. Machabeorum 12. vbi dicitur: *Sancta, & salubris cogitatio est pro defũctis exorare.* & Tobiæ 4. *panem tuum, & vinum tuum supra sepulturam iusti constitue, &c.* & Ecclesiastici 38. *Fili in mortuum produc lacbrymas*. Videatur Tridentinum sess. 25. decreto pri-

primo, quod est de Purgatorio.

Est etiam certum suffragia nō offerri, nec prodesse damnatis, si offerantur, cum in inferno nulla sit pœnæ redemptio. Neque pro beatis offeruntur, nec offerri possunt, cū nec prodesse possint ad pœnę remissionem cum nullam habeant; nec ad augmentum gloriæ essentialis, quia nō augetur in beatis, cum solum meritis in via habitis respondeat; nec ad augmētum gloriæ accidentalis, quia licet beati gaudium habeant accidentale ex nostris bonis operibus, tamen nō habent illud ex satisfactionū nostrarū applicatione, imò neque per nostram impetrationem, sed ad nostra sequitur opera bona. Certum est etiam, quod nostrę satisfactiones prosunt defunctis de congruo, & solum difficultas est, an prosint de condigno, & infallibiliter. His positis.

Prima sententia est, quod viuorum suffragia prosint defunctis de condigno, & infallibiliter. Hanc sequitur Suarez loco citato, & alij ante, & post ipsum.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Nostra suffragia prosunt defunctis solum de congruo, unde non ex iustitia, sed ex diuina misericordia prosunt*. Hanc sententiam sequitur Caietanus to. 1. Opusc. tract. 16. q. 5. M. Cano lib. 12. de locis cap. 13. ad nonum. Et relectione de Pœnitētia p. 5. M. Soto in 4. dist. 19. q. 2. art, 4. & lib. 3. de natura, & gratia cap. 6. quos refert Nugnus supra diffic. 3. Cuius ratio est, quia pœnę Purgatorij sunt diuersi ordinis, taliter quod minima Purgatorij pœna, excedit omnes pœnas huius vitæ, ac proinde huius vitæ pœnæ, non possunt habere condignitatem, cum pœnis purgatorij. Secundò, quia vt difficultate præcedenti dicebatur, ad hoc vt satisfactio sit propriè condigna, diuinam requirit promissionem; atqui in præsenti de illa nō constat; ergo.

Tertia difficultas, an sit melius, & laudabilis sua defunctis applicare suffragia, quam

ſibi retinere? Reſpondetur cũ D.Thoma q. 21. ſuppl. art.4. quod ſuffragium conſiderari poteſt dupliciter; *vno modo* (verba ſunt D.Thom.) *vt eſt expiatiuum pœna per modum cuiuſdam recompenſationis: & hoc modo opus ſuffragij, quod computatur quaſi eius pro quo fit, ita abſoluit eum à debito pœna, quod nõ abſoluit facientem. Alio modo poteſt conſiderari, in quantum eſt meritorium vitæ æternæ, quod habet in quantũ procedit ex radice charitatis, & ſecundum hoc nõ ſolum prodeſt ei pro quo fit, ſed facienti magis*. Ex alio etiam capite prodeſt illa applicatio, ratione ſcilicet eiuſdem applicationis, quæ cum ſit actus bonus, & eſt meritorius, & ſatiſfactorius, & fortè magis, quẽ ſit opus quod alteri applicatur. Ex quo fit benè facere illos, qui omnes ſuas defunctis applicant ſatisfactiones; nam licet iſti ſatisfactionibus priuentur, creſcunt tamen in gratia, & charitate, ratione illius actus maximè charitatis, qui magis valet, quam valeant ſatisfactiones. Tum, quia cum illæ animę ſint gratiſſimæ, licet pro ſe nihil valeant impetrare, id tamen poſſunt facere nobis; vnde poſſunt à Deo, nobis omnium pœnarum obtinere remiſſionem. An autem poſſit homo omnem ſatisfactionem à ſe abdicare, abſque eo quod alteri applicet: dico quod non: ſicut enim ab opere laudabili, & bono non poteſt abdicare meritum, ita nec ſatiſfactionem. Nec poteſt illam in Eccleſię theſauro reponere, quia hæc repoſitio non fit ab homine ſed à Deo, qui ex quadam æquitate ibi ſanctorum, & iuſtorum redundantes reponit ſatisfactiones, vt in aliorum ſeruentur vtilitatem, qui ergo indiget ſatisfactione, non poteſt illam à ſe abdicare, niſi alteri applicet: Satisfactiones tamen ex opere operato alteri non applicantur. Non indulgentiæ niſi id à Pontifice concedatur.

Sed dices. Quoniam Melignani, quod eſt oppidum inter Mediolanum, & Laudam, eſt Eccleſia cui Pius IV. tribus diebus tenebrarum hebdoma-

domadæ ſanctæ talem applicauit indulgentiam, quod vnus poteſt illam & pro ſe, & pro alijs & defunctis, & viuẽtibus acquirere; ergo ſuffragium, ſeu ſatisfactio ex opere operato, poteſt alijs applicari. Reſpondetur negando conſequentiam, non enim ille qui indulgẽtiam pro alijs accipit prius ſibi appropriat, ſed poſito opere iniuncto pro illis Pontifex indulgẽtiã applicat. Neque ſatisfactiones ſacramentales, & quæ ex martyrio habentur; alioqui contingere poſſet, quod baptizato nõ fieret omnium pœnarum remiſſio; ſimiliter martyri, & ſic & ſtatim baptizatus, & martyr poſſent ire ad Purgatorium, & pro illis ſuffragia applicari poſsẽt, quod eſt falſum, iuxta illud: *iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.* Et ratio eſt, quia ego dũ recipio ſatisfactionẽ ex opere operato, non ſum dominus illius, cũ ſit ſatisfactio Chriſti, & Sanctorum, ſed merè paſſiuè me habeo, ac proinde illam abdicare non poſſum. Tum quia ſicut non poſſum ſacrificij fructum mihi applicatum à Petro Sacerdote alteri applicare; quia alioqui, ego ſacrificarem, cum talis applicatio ad ſolum pertineat celebrantem; & ſicut nõ poſſum abdicare impetrationem mihi ab altero factam, ita neque potero abdicare à me ſatisfactionem ex opere operato prouenientem.

Quarta difficultas, an pro alio ſatisfaciens poſſit intendere ſatisfacere pro vno peccato determinato, alijs excluſis: eadem difficultas currit de eodem ſatisfaciente, at nimirum poſſit ſuas applicare ſatisfactiones pro vno debito, non pro alijs? Reſpondetur quod quãdo ſatisfaciens opera facit ſatisfactoria, & pro nullo determinato applicat debito, tũc pro omnibus proportionabiliter ſatisfacit; licet enim opus ſatisfactoriũ maiorem habeat proportionem ad ſatisfaciendum pro vna pœna, quam pro alia, vt ieiunium pro pœna debita comedenti intemperatè, tamen Deus non attendit ad ſatisfactionis proportionem, ſed ad eius valorem, & ſecundum hanc rationem illã acceptat,

licet etiam contrarium sua non careat probilitate, cum possit Deus tale opus acceptare secundum illius valorē pro expienda illa pœna, cum qua maiorem habet proportionem in ordine ad satisfaciendum pro illa. Si vero satisfaciens, suas applicet satisfactiones, pro determinato peccato quoad pęnam expiēdo, illud expiabitur, & si sit superexcedens, excessus pro alijs applicabitur proportionaliter expiandis.

QVAESTIO VI.

Quæ conditiones requirantur, ad hoc vt satisfactiones alijs applicentur.

PRima conditio ex parte illius, qui debet satisfacere est, quod sit in statu gratiæ, qui enim in peccato mortali est, sicut non potest facere opus alicuius valoris, vt pro se satisfaciat, ita neq; pro alijs, cum enim satisfacere alijs, sit opus satisfactoriū pro illis applicare, si opus in re satisfactoriū non est, nec alijs erit. Hæc doctrina certa est de suffragijs, quæ fiunt ab ipso peccatore nomine proprio.

Dubium est de ipso peccatore, quando suffragia facit nomine Ecclesiæ, vt quādo dicit orationes in Missa, quando in communitate horę recitantur canonicæ, quando in choro canitur Missa, quando defuncti celebrantur exequiæ &c. & Ministri qui nomine Ecclesiæ ea faciunt sunt in peccato mortali; an nimirum illa opera prout ab Ecclesia fiunt, seu prout fiūt ab illis ministris Ecclesiæ nomine, sint satisfactoria; dixi prout fiūt ab illis ministri nomine Ecclesiæ, seu prout sunt Ecclesiæ ministri, quia prout illa nomine proprio exequūtur satisfactoria non sunt, cū non sint in gratiæ statu, vt dictum est.

Prima

Prima sententia est, quod illa opera tunc temporis non sit satisfactoria, sed ad summum impetratoria. Ita Lugo disput. 26. num. 27. post Suarez disput. 48. sect. 8.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Opera facta ab Ecclesiæ ministris, ipsius Ecclesiæ nomine, prout sic sunt satisfactoria.* Hanc conclusionem docent M. Soto, quem refert, & sequitur Nugnus q. 25. art. 1. diff. 3. & est communis Thomistarum, quam expressè docet D. Thomas in 4. distinct. 45. q. 2. art. 1. quæstiun. 3. vbi habet: *Operatio peccatoris suffragia facientis potest vno modo considerari, vt est eius, & sic nullomodo meritoria esse potest, nec sibi, nec alijs. Alio modo in quantum est alterius, quod dupliciter contingit. Vno modo in quantum peccator suffragia faciens gerit personam totius Ecclesiæ, sicut Sacerdos cũ dicit in Ecclesia exequias mortuorum: & quia ille intelligitur facere, cuius nomine, vel vice fit, vt patet per Dion. in 13. c. cælest. hier. inde est quod suffragia talis sacerdotis, quamuis sit peccator, pro defunctis prosunt.* Hæc D. Thomas.

Probatur ratione, ex hoc docto testimonio desumpta. Nam quando quis nomine operatur alterius, non ipse qui operatur, sed ille cuius nomine operatur attenditur; ergo quando quis v. g. Ecclesiæ nomine, in Ecclesia cantat in illo cantu, non ille, qui cantat attendi debet; sed Ecclesia ipsa, cuius nomine cãtat; ergo licet ille cantus prout à cantante procedit non sit bonus, & satisfactorius, erit tamen prout ab Ecclesia, quæ est sponsa sine macula, & sine ruga. Antecedens probat Angelicus ex D. Dionisio, & concedunt omnes, & vsus, & Principum praxis suadet; nam id quod facit legatus, vel nuncius, vel procurator &c. nomine Principis, à Principe factum censetur: vnde iniuria ministri, magis in Principem tendit, quam in ministrum.

Confirmatur ratione Nugni, quia fideles petunt aliquando quod sibi diuina applicentur officia, quod pro se cantentur Vesperæ, & matutinum

tinũ, &c. quæ alias in communitatis sũt obligatione; ergo signum est aliquid satisfactionis ipsi communitati correspondere, & quod ministri ipsi, sua non fraudentur satisfactione. Correspondet ergo diuini officij v.g. recitationi, vt fit in communi, nomine Ecclesiæ, sua satisfactio, quæ alijs, à Prælato vel habente curam communitatis, applicari potest, & si non applicetur, inter ipsos ministros qui sunt ingrati, distribuitur & si omnes essent in peccato mortali ad Ecclesiæ thesaurũ reuocaretur.

Confirmatur etiam; quoniam, vt concedunt omnes, communitas est capax peccati, ergo etiam capax esse debet satisfactionis. Antecedens probatur: nam communitas, est capax transgressionis præcepti, voti, obligationis, &c. ergo est capax peccati; quod peccatum cum nõ possit Ecclesię clauibus subijci ab ipsa communitate, debet subijci ab illis subditis, qui illud commiserũt, & sunt illi, qui in causa fuerunt, quod communitas præceptum v.g. transgrederetur. Vnde illud peccatum primariò est communitatis, secundariò illorũ, qui in causa sunt quod communitas præceptũ transgrediatur.

Obijcies ex Suarez, quia opus in tantum est satisfactorium in quantum est pœnale; Atqui non est pœnale respectu communitatis, vel prout est ab Ecclesia; ergo prout ab Ecclesia non est satisfactoriũ. Maior ex dictis liquet. Minor ostenditur, nam pœna est indiuidui, non communitatis, nec vllus vnquam dixit communitatem pęnam sustinere, vel pati, sicut nec Ecclesia, alioqui dici poterit, quod cõmunitas, quæ Ecclesiã repræsentat, & Ecclesia ipsa patiatur per flagellationem, per ieiunia, &c. Ecclesia namque nec communitas non ieiunat, non flagellatur, &c.

Respondetur distinguendo Maiorem; opus in tantum est satisfactorium in quãtum est pœnale respectu illius, respectu cuius est satisfactorium, & negatur: in quantum est pœnale, saltẽ respectu illius, qui illud ponit, & conceditur.

Ad

Ad hoc ergo vt opus sit satisfactorium respectu communitatis, non est necesse, quod sit ipsi communitati pœnale, sed sufficit, quod pœnale supponatur; pœnalitas enim est conditio ad satisfaciendum, non ratio formalis satisfactiua, alioqui vbicunque pœnalitas reperiretur, satisfactio poneretur. Satisfactio namque desumitur ab ipsa operis bonitate, non absolutè, sed prout pœnalitatem, vt conditionem indispensabilem, habet connotare. Maneat ergo communitatis opera esse satisfactoria, quia Ecclesiæ nomine fiunt, alioqui multoties sæculares fraudarentur, dum plus pecuniæ soluunt, vt missa cantetur, vt non solum habeãt missæ satisfactionem, quæ est ex opere operato, sed etiam ipsius cantus satisfactionem, & cantantes in gratia non essent, & ipsi cantui nihil satisfactionis responderet, vt à tota est communitate, quæ Ecclesiam ipsam repræsentat.

Secunda conditio ex parte satisfacientis est, quod ponat opus sufficiens ad satisfaciendum: quod duabus propositis, & resolutis difficultatibus explicatum manebit.

Prima difficultas est, an opera satisfactoria, quæ defũctus faciebda reliquit sint illi satisfactoria post mortem, siue hæredes qui illa faciunt sint in gratia, siue nõ, vt eleemosina, orationes, ieiunium, & alia huius generis, quæ ad ista reuocantur.

Prima sententia est, quod non: hanc sequitur Lugo disput. 26. num. 31. vbi apertè docet, quod talia opera possint quidem esse impetratoria, vel quatenus pauperes qui eleemosynas recipiunt, pro defuncto orabũt, vel quia tale opus pauperibus, vel Ecclesiæ exhibitum multum valet ad diuinam mouendã clementiam, vt defuncti animæ misereatur, & liberius preces exaudiat quę pro defũcto afferuntur; Vnde vult quod sit perinde respectu defuncti, quod hæredes, vel exequtores testamentarij sint, vel non sint in gratia. Cuius fundamentum est, quia post hanc vitam non est amplius locus merendi, vel satisfaciendi; potuit quidem mereri defunctus,

ctus, & satisfacere per illam bonam voluntatem, qua opera illa reliquit; non tamen quando post mortem eadem opera executioni mãdantur: possunt tamen illa opera prout exequuntur per hæredes esse ijsdem hæredibus satisfactoria si cetera adsint, non tamen defuncto. Suarez apud Lugum, vult prodesse defuncto solam illam bonam volũtatem, qua opera illa facienda reliquit.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione, *Opera satisfactoria, quæ defunctus facienda reliquit, sunt verè satisfactoria quando post mortem illius exequuntur, etiamsi exequutores sint in peccato lethali.* Hanc sententiam docet Diuus Thomas 4. dist. 45. q. 2. quæstiunc. 3. Paludanus, Bonau. & Nauarr. apud Suarez, & illam optimè defendit Nugnus q. 25. art. 1. diffic. 3. conditione secunda.

Probatur primò, docto re vera D. Thomæ testimonio, loco citato, vbi post verba supra relata, subdit: *Alio modo, quando agit vt instrumentum alterius, opus enim ministri est magis principalis agentis: vnde quamuis ille qui agit vt instrumentum alterius, nõ sit in statu merendi, actio tamen eius potest esse meritoria, ratione principalis agentis; sicut si seruus in peccato existens quandocunque opus misericordiæ facit ex præcepto domini sui charitatem habentis. Vnde si aliquis in charitate decedens præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamuis illi per quos fiunt in peccato existant.* Hæc D. Thomas.

Probatur secundò, rationē deducta ex hoc D. Thomæ testimonio: Instrumentũ qua tale, nõ est suum, sed est principalis agentis, ab eo namque mouetur, & in eius virtute agit; ergo in instrumento qua tale, eius status non attenditur, ac proinde parum refert, quod sit, vel non sit in gratia, vt eleemosyna, v. g. per eum facta sit, vel non sit satisfactoria. Antecedens ex physicis notum est, actio namque qua instrumentum effectum attingit, est principalis agentis, nõ instrumenti; licet enim instrumentum

mentum propriam habeat actionem, respectu tamen illius nō est instrumentum, sed causa principalis, & hæc actio effectum principalem non attingit, sed ad illum se habet veluti dispositio; ergo actio instrumenti, qua tale non est sua, seu non est instrumenti, sed principalis agentis; & sic instrumentum qua tale nō est suum. Consequentia ex Antecedenti benè sequitur; si enim instrumentum vt tale nō est suum, & actio instrumentaria nō est sua, sed principalis agentis, in ea status instrumenti attendi non debet, sed status illiuscuius est actio, nēpè principalis agentis; ac proinde perinde erit, quod instrumētum operis satisfactorij sit, vel nō sit in gratia. Hæc D. Thomæ ratio est vniuersalis tàm respectu viuentis, quā respectu defuncti, & de vtroque concludit. Vnde Dominus, qui per famulum mandat fieri eleemosynam, per illam satisfacit, etiamsi famulus esset in peccato mortali; imò etiamsi Dominus, quando talem mandauit fieri eleemosinam fuisset in mortali, dummodo sit in in gratia, quando actu fit, eo quia, quando agit pœnitentiam, & iustificatur, saltem virtualiter mandatum confirmat. Ex quo patet omnino reiciendum esse Suariū, dum dicit eleemosynā à Domino factam per famulum in mortali existentem, non esse satisfactoriam: hoc enim malè audit apud fideles, qui putant se satisfacere per tales eleemosynas, & daretur anxietatis occasio, nescientes domini, suorum statum famulorum, dum per illos eleemosynas faciunt, quod maximè verum habet in principibus, qui non per se ipsos, sed per deputatos eleemosynarios, eleemosynas faciunt. Vnde Suarez non videtur sibi constans, nam supra disp. 37. sect. 5. cum communi sententia tenet, quod actio exterior licet nullam addat bonitatē, vel malitiam supra interiorē; addit tamen satisfactionem; vnde communiter, & benè dicitur, quod si duo habeant æqualem voluntatem dandi eleemosynam, & vnus realiter conferat, alius vero non, quia non habet facultatem,

& per ipsum non stetit; licet æqualiter mereantur, non tamen æqualiter satisfaciunt: & ratio est, quia satisfactio, in hoc fundatur, quod æquũ sit non iterum punire eum, qui iam se ipsum voluntariè castigauit; atqui castigatio volũtaria duo includit, & voluntatem castigandi, & castigationem ipsam, plus autem se castigat, qui ieiunat, & voluntariè ieiunat, quam qui solam habet ieiunãdi voluntatem. Hæc doctrina, quæ verissima est, & ab omnibus cõceditur, non cohæret cum sẽtentia posita Suarez, quod eleemosyna à Domino per seruum facta non sit satisfactoria, est enim datio illa eleemosynæ per seruum actio exterior domini, cum vt dicebamus, actio serui, seu instrumenti, sit actio principalis agentis. Tum etiam, quia nemo negabit, quin dominus se ipsum non castiget per talem eleemosynæ dationem, cum re vera sua priuetur pecunia.

Probatur tertiò, quia si vera esset Lugonis sententia valde retraherentur fideles, ne pia facerent legata in suis testamentis, ne pecunias, & alia bona relinquerẽt in eleemosynas distribuenda, si ista eleemosynarum legata, nihil operantur ad satisfaciendum pro illis, vt citius à purgantibus pœnis liberentur: certè communis fidelium sensus oppositum tenet, & videtur hic fidelium sensus stabilitus, per multa capita 13.q.2. præsertim cap, *Qui* oblationes 2.

Probatur quartò, quia ideo Lugo vult eleemosynam, faciẽdam, à defuncto relictam, non esse satisfactoriam; quia defunctus non est in statu satisfaciendi; atqui hæc ratio nulla est; ergo. Minor probatur, quia licet actiones, quas anima in Purgatorio existens exercet, non sint satisfactoriæ, & meritoriæ, cum non sint actiones viatoris, tamẽ actiones illius animæ, quæ adhuc virtualiter in via perseuerant id habere possunt; manent enim actiones, & virtus principalis agentis in instrumentis vt sexcentis patet exemplis; nam virtus seminalis ad generandum hominem manet in semine deciso, mortuo homine: certè ridiculum esset dice-

dicere, quod mortuo homine, qui est causa principalis generationis alterius hominis, virtus seminis ad generãdum alterum hominem cessaret, & quod actio principalis agẽtis ad talem generationem ponendam, in eo amplius non esset : ita ridiculum erit dicere, quod dato mandato de eleemosyna post mortem facienda, tale mandatum executioni datum, virtutẽ amittat satisfaciendi, quia mãdans mortuus est : Si mandans tale dedit mandatum, vt post eius mortem exequatur, quare debet eius virtutem amittere, cum in eo semper virtus mãdantis perseueret, quandiu nõ reuocatur, vt de facto hic nõ reuocatur? Si enim quis det mandatum ad occidendum aliquem, & absque reuocatione moriatur, certè homicidium sibi imputabitur, & homicidij peccatum post mortem in virtute præcedentis voluntatis non retractatæ cõtinuabitur, & pro eo punietur. quare etiam in virtute pręcedentis voluntatis mandantis eleemosynam, satisfactio non continuabitur, seu non ponetur, quando in virtute præcedentis voluntatis eleemosyna ponetur? & per hæc patet ad Lugonis fundamentum.

Sed hic quæret aliquis, quid dicẽdum sit in casu quo eleemosyna à defuncto relicta, à ministro nõ detur, sed ab illo cui debebatur contra ministri voluntatem accipiatur? Respondetur quod adhuc talis eleemosyna defuncto satisfactoria erit, & ratio est, quia non debet attendi ministri voluntas irrationabilis quam habet, sed rationabilis quam habere deberet : secus esset si pecunia in eleemosynam à defuncto signatè relicta furaretur, tunc enim illius pecuniæ consumptio satisfactoria non esset, vt ex se liquet.

Secunda difficultas, an restitutio, quæ post mortem fieri præcipitur. aliquam pœnã remittat defuncto, dum executioni mandatur. Sunt duę sententiæ extremæ : Prima negat, eo fundamento quod anima non puniatur magis ob omissam restitutionem, cũ non videatur rationi consonũ quod anima in Purgatorio

detineatur pro eo, quod in eius non est potestate, alias beatitudinis dilatio vsque in mundi finem durare posset, si nunquam restitutio poneretur. Vnde videmus, quod si anima dum à corpore recedit nihil habet purgandum, ad patriam euolat.

Sed cōtraria sētētia probabilior est,& magis conformis fidelium sensui, & multis reuelationibus quibus animæ suos rogabant hæredes,vt restitutionem facerent, vt sic à Purgatorio liberarentur. Pro quo nota, quod sicut iudex humanus, maiorem infligit pœnam reo, qui à parte læsa pacem vel condonationem non habet, quam quando illam habet: maiorem infligit pœnam reo qui rē ablatam non restituit, ac quando restituit;ęquitas namque vult vt grauius ille puniatur,dum, ratione ipsius alius grauiter læditur.

Sic proportione seruata, dicere possumus de iudice diuino, quod maiorem pœnam taxet illi, qui restitutionem non fecit, ac illi qui fecit; qui enim fecit, alterum liberauit à damno quod sui causa patiebatur; qui vero non fecit, alterum reliquit in damni continuatione.

Quando ergo restitutio ponetur liberabitur defunctus ab illa maiori pœna, quam cælestis iudex, iustè taxauit, ob non factam restitutionem, alia relicta soluenda: & ob hanc rationē solicitæ sunt defunctorum animæ, vt restitutiones cito ponantur; quod si non ponantur,excessus ille taxatus purgatorij pęna tolli debet. Quod si totā illam pœnam in hac vita deleant, ad cælum statim euolabunt, &c.

Tertia conditio ex parte suffragiū offerentis est, quod veram habeat intentionem illud applicandi, & ratio est, quod nullus censetur opus quod sibi valde vtile est, in alium transferre, absque propria voluntate, & intentione; quam si non habeat ipsi prodest operanti, si indiget, & si non indiget ad thesaurum transit Ecclesiæ. Videatur D. Thomas 4. dist. 25. q 2. art. 4. quæstiuncula prima.

Ex parte autem illius cui sa-

satisfactio applicatur requiritur primò, quod sit in gratia, qui enim in mortali peccato est, non est dignus, vt ei pęna remittatur. Tum quia, satisfactio vnius pro alio in charitatis vnione fundatur, atque adeo, qui charitatem non habet, non est capax satisfactionē illam recipiendi. Tum etiam, quia satisfactio vnius pro alio in diuina fundatur promissione de illa acceptanda, seu diuinam supponit acceptationem; diuina autem acceptatio cum amicabilis sit, & gratiosa, in gratia, & charitate fundatur.

Requiritur 2. quædam acceptatio saltem virtualis, quā censentur habere omnes existentes in gratia, & satisfactione indigentes.

QVAESTIO VII.

An omnia opera satisfactoria rectè contineantur in illis tribus, quæ communiter enumerantur, scilicet, oratione, ieiunio, & eleemosina,

PAtet ex dictis supra, quod non solum ieiuniū oratio, & eleemosina sunt opera satisfactoria, sed omne opus meritorium, cum omne illud sit pœnale. Tum quia Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 9. declarat hominē satisfacere etiam flagellis à Deo inflictis, & patienter tolleratis: Et can. 15. statuit quod non solum ieiunijs, orationibus, & eleemosinis, verum etiam alijs pietatis operibus Deo satisfiat. Quia tamen scholastici antiqui, & Diuus Thomas ipse, vt videre est art. 3. q. 15. supplem. docent tria tantum connumerari satisfactionis opera, nēpe Orationem, ieiunium, & eleemosinam, ideo placuit præsentē

ex-

excitare quæstionem, vt quid sentiendum sit teneatur.

Duas rationes assignat D. Thomas prædicti numeri. Prima est, & elegantissima, quia satisfactio talis debet esse naturæ, quod per eam aliquid nobis subtrahamus, non habemus autem nisi tria bona, quæ per satisfactionem subtrahi possunt, nempe bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, eleemosina bona subtrahit fortunæ, nempe bona exteriora; bona corporalia subtrahuntur per ieiuniũ bona autem animæ subtrahi non debent quantum ad essentiam, vel diminutionem, sed per hoc quod ea submitimus Deo totaliter, quod fit per orationẽ; & sic patet quod solũ tria enumerata opera satisfactoria esse possunt.

Secunda D. Thomæ ratio est, quia satisfactio suscipitur vt peccatorum causæ excidãtur; atqui per illa tria omnes peccatorum causæ exciduntur; ergo. Maior patet, ille enim est finis saltem secundarius satisfactionis. Minor ostenditur, quia peccatorum causæ, seu radices sunt tres, 1. Ioan. 4. nimirum *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*; ieiunium, carnis resecat, & excidit concupiscentiã, eleemosina concupiscientiam resecat oculorum, nempe bonorum externorum; & superbiam vitæ resecat oratio.

Aliã rationem adducit Angelicus ex D. Aug. quia omne peccatũ, vel est in Deũ, & ad hoc casſãdũ ordinatur oratio; vel in proximum, & adhoc est eleemosina, vel in nos ipsos, & ad hoc ordinatur ieiunium.

Nihil ominus D. Thomæ mens non est quod solum ista tria strictè accepta, sint opera satisfactoria, sed quod hæc sint maximè talia, & ad satisfaciendũ aptissima, vnde per antonomasiã, opera vocantur satisfactoria. Si vero larga accipiantur acceptione, sub illis omnia opera satisfactoria cõtinebuntur. Per orationẽ nãq; accipere possumus omne opus bonũ in Deũ ordinatũ. Per eleemosinã omne opus bonũ, quod ordinatur in proximũ. Et per ieiuniũ omne opus bonum, quod ad nosmetipsos ordinatur.

DI-

DISPVTATIO DVODECIMA

De satisfactione sacramentali.

CERTVM est, satisfactionem sacramentalem, nempe illã, quæ in sacramento Pœnitentiæ confitentibus imponitur esse aliquo modo pœnitentiæ sacramenti partem, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 3. dum illam enumerat inter partes sacramenti pœnitentiæ videlicet, *contritio, confessio, & satisfactio*. Et ratio id ipsum suadet, quia cum hoc sacramentum ad completam ordinetur peccati remissionẽ, & hæc consistat non solum in liberari à culpa, verum etiam à pœna, & aliæ duæ huius sacramenti partes, ponant liberationem à culpa, ad completam huius sacramenti perfectionem requirebatur aliquid, quod poneret liberationem à pœna, & hoc est satisfactio.

Est etiam certum quod satisfactio non sit pars huius sacramenti essentialis, cum sine illa verum detur pœnitentiæ sacramentum; vt cum absoluitur moribundus sensibus destitutus nulla imposita satisfactione, & sic restat, vt sit pars integralis, cum ad aliquam huius sacramenti pertineat integritatem, videantur ea, quæ diximus supra disput. 3. quæst. 2. & sic ijs relictis ad alia de quibus aliqua est inter Theologos difficultas transeamus.

QVAESTIO I.

An satisfactio causet gratiam ex opere operato, quando ponitur & pœnæ faciat remißionem.

DE hac quæstione duæ sunt extremæ sententiæ. Prima est negatiua, quã sequitur Lugo hic disput. 15. num. 2. post Palaum, Coninchum, & Præpositum, quos ibi pro se citat.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Satisfactio sacramentalis causat augmentum gratiæ ex opere operato, quando ponitur.* Hæc est aperta D. Thomæ sententia supra q. 90. art. 2. ad 2. vbi habet: *Ad 2 dicendum, quod satisfactio confert gratiã prout est in proposito, & auget eam, prout est in exequutione, sicut etiam Baptismus in adultis;* ergo sicut Baptismus gratiam causat, ex opere operato, ita, & satisfactio. Vnde D. Thomam sequuntur eius discipuli Caietanus ibidem; Sotus in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. Nugnus q. 13. supplem. art. 3. §. difficultas quæ est. Eandem sententiam sequitur Suarez disp. 38. sect. 2. num. 3. & alij communiter, ob quæ Luisius Turrianus in selectis p. 2. disp. 13. dub. 22. dicit contrariam sententiam temerariam esse.

Probatur primò conclusio. Nouæ legis sacramenta gratiam causant, vt fides docet; ergo etiam partes illorum; atqui satisfactio, est vera pars huius sacramenti, vt docet Tridentinum q. vltima præcedentis disput. citatum, ergo debet gratiam causare. Nec valet dicere non omnes sacramenti partes gratiam causare, sed solum essentiales, illud essentialiter constituentes; at satisfactio non est sic, sed solum pars integralis; Nã contra est: primò quia secundum veriorem sententiam, quam sequuti sumus supra disput. 3. q. 2. Contritio non est pars essentialis, prout in recto importatur, cũ ratione

sui

sui non sit sensibilis, & tamen in omnium sententia, gratiã producit sacramẽtalem, ergo etiam si satisfactio nõ sit pars essentialis gratiam producere poterit. Secundò, quia licet satisfactio non sit pars essentialis huius sacramenti, ad illius tamen pertinet perfectionem, & integritatem; ergo gratiam producere poterit. Consequentiam ostendo; nã pedes, brachia &c. in animali ad essentiam non pertinent animalis, nec sunt partes essentiales, sed integrales tantum, & tamen in communi Medicorum sententia, ad alterius animalis productione concurrunt, cum velint seminis decisionem ex omnibus corporibus partibus fieri.

Probatur secundò, quia satisfactio non solum est præteritorum remissio peccatorũ quoad pœnam, verum etiam est futurorum medicina præseruatiua quoad culpã; atqui ad hoc, præteritorum pœnæ delictorum deletio parũ aut nihil iuuat, multum autem iuuat gratiæ productio; ergo hæc per satisfactionem producenda est, vt sic per illam facilius, futura vitentur peccata, quod est satisfactionis intentum. Nec valet dicere cum Lugone loco citato nu. 13. quod si satisfactio haberet hunc effectum curandi, seu præseruandi à peccatis futuris, quælibet pœnitentia esset proportionata cuilibet generi peccatorum, quod constat esse falsum: nam diuersis peccatis diuersæ pœnitentiæ, & medicinæ applicari debent, vt abstinentia curatur homo carnalis, eleemosynis auarus, &c. Nam contra est, quia, vt supra dicebamus, licet optimum consilium sit pœnitentias applicare secundum quod maiorem habent proportionem cum deletione peccati, vt ieiunium carnalibus, &c. tamen hoc non est necesse, nec Confessarij de hoc sunt valde solliciti, cũ quælibet pœnitentia pœnas peccatorũ deleat: certè inauditum est in scholis, quod ieiunium v.g. à Confessario pro satisfactione impositum, solũ pœnas deleat peccatorũ carnalium; quid enim si Confessarius ieiunium imponat pro peccato superbiæ? pro

 pec-

peccato auaritię? delebitur ne tunc tẽporis ex opere operato pœna debita illis? si concedis, te ipsum destruis: si negas contra te habes Ecclesiæ praxim, & omnium Confessariorium vsum, vt dictum est. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum Satisfactio ad solius pœnæ deletionem ordinatur; ergo non debet gratiã producere. Antecedens probatur, nam sacramentũ pœnitentiæ adequatè sumptum ordinatur ad totalẽ peccati destructionem, nempe & quoad culpam & quoad pœnam; tamen si fiat partiũ distributio, partibus essentialibus correspõdet gratiæ collatio, & integrali pœnæ deletio; ergo satisfactio cum sit pars integralis solius pœnæ deletionem habebit.

Respondetur negãdo Antecedens; vt enim patet ex dictis non solum ad pœnam delendam ordinatur satisfactio, verum etiam ad gratiam causandam sed differenter à partibus essentialibus, nam ille primam gratiam causandam per se respiciunt, satisfactio vero secundam.

Secundum argumentum: Sacramentum pœnitentiæ in tantum gratiam causat, in quantum culpam delet; atqui satisfactio culpam non delet; ergo gratiam non causat? Respondetur maiorem esse verã de Sacramento pœnitentiæ, in quantum partes dicit essẽtiales, secus in quãtum affert partem integralem.

Tertium argumentum: Sacrificium Missæ, & indulgentia, remissionem faciunt peccatorum quoad pœnam ex opere operato, absque vlla gratiæ infusione; ergo id ipsũ dici poterit de satisfactione? Respondetur negando Consequentiam, non enim Missæ sacrificium, & indulgentiæ sunt alicuius sacramenti pars, vt est satisfactio.

Quoad secundum, quod in quæstionis titulo proponitur de pœnæ remissione. Constat inter omnes Theologos, satisfactionem pœnam remittere peccatorum ex opere operato. Cum enim culpam nõ remittat, vt dicebatur, & aliunde cum sit pars integralis huius sacramenti, quod habet

per-

perfectam facere peccati delectionem, debet pœnam remittere ex opere operato, sicut aliæ partes remittunt culpam ex eodem opere operato. Vt tamen hæc veritas magis explanetur aliquæ difficultates proponentur, & resoluentur.

Prima difficultas est, an quælibet sacramentalis satisfactio, omnem pœnæ reatum causet, illorum peccatorum, quæ quis confitetur? Affirmāt aliqui quos refert Suarez disput. 38. sect. 2. num. 7. in casu quo Confessarius prudenter existimat talem satisfactionē esse pœnis, peccatis confessis, debitis, æqualem: sequenti innixi fundamēto, quod Sacerdos sit iudex arbitrarius, qui quod prudenter iudicat ratū habetur, quod ius in virtute clauium habet. Hoc duplici confirmant exemplo. primū, quia sicut dispensatio in voto, vel iuramento valida est, quādo dispensans prudenter existimat causam esse sufficientē, ita & in casu præsenti. Secūdum est, quia sicut indulgentia valida est, quando Pontifex prudenter putat, sufficiētem illius adesse causam; ita satisfactio valida erit pro tota pœna remittenda, quando Confessarius prudenter existimat æqualem esse. Verior tamen opinio negat, quia in nullo sacramento prudens ministri existimatio valet ad effectus sacramentales causandos: vnde etiamsi Sacerdos prudenter putet pœnitētem esse dispositum pro absolutione recipienda, re vera illam non recipiet si dispositus non sit, & sic de alijs; cum enim sacramenta suos causēt effectus ex opere operato, ex vi, & virtute propria, non pēdent à prudentis ministri existimatione, &c. Nec fundamentum oppositum valet: nā licet admitti possit Confessarium esse iudicem arbitrariū, quātum ad hoc, quod est hic, & nunc maiorem, vel minorē imponere pœnitentiam, non tamen quātum ad hoc, quod talis pœnitentia, maiorem, vel minorem faciat peccatorum, quoad pœnas, remissionem.

Nec allata exempla probant; nam Sacerdos in satisfactionis impositione, solum

se habet vt causa applicans, non vero, vt pœnas extinguens, applicat namque satisfactionem, quæ in Sacramenti virtute pœnas extinguit. At in materia voti, & dispensationis Pontifex non se habet vt causa applicans, sed vt remittēs, quia ipse immediatè remittit, non media aliqua causa applicata; ipse immediatè dispensat, nō per applicationem alicuius causæ, quæ vi sua id faciat. Ita similiter in indulgentia ipse est, qui tantam, vel tantā pœnam remittit, & non per alicuius causę applicationem, quæ id vi sua faciat; licet nāque opus aliquod exigat Pōtifex, vt indulgentiam conferat, illud tamen opus non est causa vi sua pœnæ remissionem faciens, sed est conditio, qua posita, ab ipso Pontifice, pœnæ fit remissio. At in casu nostro, Sacerdos non facit pœnæ remissionem, sed applicat causam, nempe satisfactionem, quæ vi sua, seu ex opere operato, talem facit pœnæ remissionem; ac proinde non est in Sacerdotis potestate, maiorem, vel minorem facere pœnæ remissionē, sed solum, maiorem, vel minorem imponere satisfactionem.

Secunda difficultas, an satisfactio maiorem pœnæ remissionem faciat in subiecto magis disposito? Respondetur affirmatiuè: cum enim sit pars huius sacramenti, & sacramenta maiorem conferāt gratiam in magis disposito; etiam satisfactio maiorem faciet pœnæ remissionem in subiecto magis disposito; dispositio autem, quæ attenditur non est illa, quæ habetur quando sacramentum recipitur, hæc enim pro ipso deseruit sacramēto, sed illa est quę habetur dum sacramentum completur, nempe quando satisfactio ponitur.

Tertia difficultas, an si quis suam impleat pœnitentiam ante datam absolutionem, pœnæ recipiat remissionem? Respondetur negatiuè contra Lugum oppositum sentientē, quia satisfactio, pœnę non facit remissionem, nisi per sacramentum eleuetur, nō eleuatur autem ante datam absolutionem, cum adhuc sacramen-

cramentum non sit; an autem illam faciat post, videtur dicendum quod non, quia sacramentum non eleuat opera præcedentia, sed subsequentia. Vnde patet non benè dicere Lugum, quod quis possit satisfactionē implere ante datam solutionem cum ante illam non sit satisfactio sacramentalis, pœnæ peccatis debitæ remissiuæ.

QVAESTIO II.

An satisfactio in peccato mortali facta suum habeat effectum, ex opere operato.

QVatuor de præsenti difficultate referuntur sētentiæ. Prima est Adriani, Ledesmæ, & aliorum apud Vasquez q 94. art. 2. dub. 5. nu. 6. quod satisfactio in mortali facta, nullum prorsus habeat effectum. Secunda est Marsilij, Medinæ, & Vasquez, quod suum habeat effectum statim, quantum ad pœnæ remissionē, eo quod putēt pœnæ remissionem deleta culpa, posse fieri non solum in mortali, verum etiam in inferno; vnde si quis damnetur propter peccatum A. non remissum, & habeat pœnam temporalem peccati B. in inferno cassari poterit, imò quod de facto cassabitur: videatur Coninchus disput. 10. dub. 5. Tertia sententia Paludani, Syluest. & aliorum apud Suarez. disput. 38. sect. 8. nu. 4. distinguit de satisfactione, vel enim relinquit effectū post se vt eleemosina, ieiuniū &c. vel non vt oratio: si non relinquit, nullum habet effectū, si relinquit suum habet effectum ex opere operato, quādo peccati obex aufertur. Sed omnes istæ sentētiæ reiciendæ sūt Prima namq, quia cū satisfactio sacramentalis sit pars sacramenti, debet eiusdem sacramenti naturam immitari, atqui hoc sacramentum suum habet effectum ablato obice;

obice; ergo. Secunda etiam reicienda est, quia vt supra, dicebamus homo in mortali existens non est dignus cui fiat alicuius pœnæ remissio. Etiam tertia reicienda est, nã eadem prorsus est ratio de satisfactione relinquente, vel nõ relinquente effectum post se, non enim satisfactio pœnam remittit, quia effectum post se relinquit, sed quia est pars sacramenti, à quo virtutem recipit. His reiectis.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Satisfactio sacramentalis in mortali exhibita, suum præstat effectum, ablato obice.* Hanc sententiam sequitur Nugnus q. 14. art. 3. vbi citat Caietanum, & Victoriam, & dicit esse communem Thomistarum, & ipsius D. Thomæ, nã licet articulo illo 3. dicat satisfactionem non reuiuiscere ablato obice, vt tamen notat Nugnus post Caietanum, nõ loquitur D. Thomas ibi de satisfactione sacramentali, sed de non sacramentali vt considerati textum patebit, imò id colligit Nugnus ex solutione 2. argumenti vbi D. Thomas dicit, quod ideo Baptismus reuiuiscit ablato obice, quia est effectus, & opus Dei, non hominis, atqui, licet satisfactio non sacramentalis sit opus hominis, sacramentalis tamen est opus Dei, cum sit pars sacramenti, quod opus Dei est.

Probatur Conclusio ratione communi. Quoniam Pœnitentiæ sacramentum reuiuiscit ablato obice; ergo etiam satisfactio, quæ est pars eius. Nec valet dicere differentiam esse quia sacramentũ Pœnitentiæ remittit culpam, satisfactio vero pœnam, non est autem tantæ considerationis pœna, ac culpa, vnde ob hoc videmus quod audiens Missam in mortali, non recuperat fructum eius, remittendi pœnas obice ablato. Similiter indulgentia suum nõ producit effectum ablato obice, ergo neque satisfactio. Nam contra est, quia licet Missæ sacrificium, & indulgentia suum producant effectum ex opere operato, non tamen sunt pars sacramenti reuiuiscentis, vt est satisfactio. Deinde dico non esse omnino

omnino improbabile quod etiam illa duo suos producāt effectus ablato obice; saltem quoad indulgentiam Pōtifex id concedere potest, an de facto id cōcedat, affirmat Syluest. V. indulg. q 6. & potest ita præsumi de volūtate Pōtificis, quod si quis ponat opus præscriptum v. g. visitet Ecclesiam in peccato mortali, cui visitationi est annexa indulgentia, & ob peccatum mortale tunc indulgentiam non consequatur, illam postmodum lucrabitur peccato mortali destructo.

Sed quæret hic aliquis, an quis possit licitè satisfactionē sacramentalem in mortali adimplere? Communis sententia affirmat. Ratio est, quia quantum est ad deletionem pœnę, licet pro tunc non deleatur delebitur tamen ablato obice, & non videtur res saltem grauis illa pœnæ dilatio; quantum vero attinet ad Confessarii præceptum de satisfactione illa ponenda dato quod de hoc detur, adhuc sufficit, quod in mortali ponatur, cum etiam in alijs pręceptis sufficiat opus præceptū ponere, & non sit necesse charitatis modum addere. An autem sit peccatum veniale pœnitentiam in mortali ponere, negat Lugo ex falso fundamento, quod nullā gratiam producat: ponere autem obicē præcisè remissioni pœnę nullū est peccatū, alioqui, inquit ille, qui sacrū in mortali audiret, venialiter peccaret; & qui Pōtificis benedictionem in mortali acciperet venialiter delinqueret, quod nemo dicet. Affirmat Suarez vbi supra, Sotus dist. 19. q. 1. ar. 4. ad 3. & videtur rationabilius, primò quia gratiæ impedimentum ponit; secundò, quia si est mortale aliquod recipere sacramentum, vel illud ponere in mortali, eo quod grauis irrogatur iniuria sacramentis, saltem peccatum erit veniale aliquam illorum partem ponere in mortali, leuis namque saltem irrogatur iniuria, illi parti, & subinde sacramento illi, cuius est illa pars: per quæ patet ad duo Lugonis exempla, nulli enim irrogatur iniuria in illis, cum nec sint sacramenti pars, nec gratiam causent.

An

An autem aliqua requiratur intentio satisfaciendi, dũ quis satisfactionem ponit, an sufficiat ponere opus præscriptum? Affirmat Sanchez in decal lib. 1. cap. 130. num. 17. & lib. 4. cap. 13. in fine, vbi etiam infert, quod si Confessarius imposuit alicui ieiuniũ, vel eleemosynã disiunctim, & ipse dederit eleemosynam cũ intentione nõ implendi pœnitentiam per illam, sed per ieiunium, non teneri postea ieiunare, quia adhuc Confessarij præceptum impleuit. Fundat Sanchez, & alij post ipsum, & ante ipsum, hanc suã resolutionem in generali omnium receptorum natura, quod vt obseruẽtur nulla requiratur intentio, sed sufficiat opus ponere præscriptum. Hanc Sãchij doctrinã confirmat Lugo disput. 25. nu. 37. quia in suscipiente sacramentum non est necesse, quod intentionem habeat respectu omnium partium; Vnde sicut dolor positus sine intentione recipiendi sacramentum, illi deseruit, ita positio satisfactionis sine intentione satisfaciendi, si enim quis vesperi habuit suorum dolorẽ peccatorum, absque intentione confitendi mane, si mane cõfiteatur absque nouo dolore, confessio valida est, quia illi deseruit dolor ille, qui vesperi positus fuit; ita nulla requiritur intentio, pro satisfactione sacramentali, cum sit minoris considerationis ipso sacramento. Vnde infert Lugo num. 38. quod si quis habeat à Confessario obligationem ieiunandi, & ex deuotione ieiunet, suæ oblitus obligationis, aliud ieiunium ponere non teneatur, quia per illud verè satisfecit, cum posuerit opus à Confessario præscriptum.

Quod rursus cõfirmat, quia in suscipiente sacramentum sufficit intentio habitualis, cũ possit quis in somnis, in amẽtia Baptizari, in virtute intẽtionis prius habitæ, & solum habitualiter remanentis; sic ad recipiendam satisfactionẽ à Cõfessario, & ad illam exequendam habitualis sufficiet intentio.

Sed hæc doctrina mihi falsa videtur, quia licet vera sit, quoad hoc, quod est satisfa-

cere

cere legibus, & præceptis, nō tamen quoad hoc, quod est satisfacere obligationi ponēdi sacramentalem satisfactionem; quod sic ostendo, quia licet ad sacramentum Baptismi, Extremæ vnctionis & Eucharistiæ recipiendum habitualis, imò etiam interpretatiua sufficiat intentio, vt de sacramentis in genere docuimus, ad recipiendum tamen pœnitentiæ sacramētum, saltem virtualis intentio requiritur, implicat enim quod vera, & dolorosa ponatur peccatorum confessio, in ordine ad recipiendam illorum remissionem, sine virtuali intentione; ergo etiam implicabit, quod vera eorundem peccatorum ponatur satisfactio, sine virtuali intentione. Antecedens ex se liquet. Consequentia probatur, quia nō potest quis virtualem habere intentionē ponendi sacramentū, quia virtualem habeat intentionem ponendi omnes eius partes, tum essentiales, tum perfectiuas, seu integrales; ergo cum satisfactio sit pars perfectiua, seu integralis sacramenti pœnitentiæ, poni non poterit sine virtuali intētione; vnde licet quando quis sacramentalem ponit satisfactionem, ad id non aduertat, tamen in virtute intentionis illius, qua positum fuit sacramētum, adhuc virtualiter durantis, satisfactio ponitur: censetur namque illa intentio, tandiu perseuerare, quandiu sacramentum non cōpletur.

Nec id quod dicit Lugo de dolore, illi prodest, nam cū dolor essentialiter ad confessionem ordinetur, cum sit votum eiusdem confessionis, nō requirit extrinsecam pœnitentis ordinationem, seu intētionem: at vero satisfactio, seu opus satisfactorium, cum de se sit indifferēs, ad hoc vt sit, vel non sit pars sacramenti, saltem id habere debet ex pœnitentis ordinatione, seu intentione: per quæ patet ad id quod vltimo ab illo auctore adducitur pro suæ sententiæ confirmatione.

Adde quod si vera esset illa doctrina sequeretur, quod sicut quis præceptis satisfacit, & legibus si ponat opus præceptum, etiamsi intentionem habeat contrariam non satis-

faciendi, ita etiam satisfaciet pœnitentiæ impositæ, si illam ponat etiamsi contrariam habeat intentionem non satisfaciendi; hoc autem est falsũ; ergo. Maior patet ex illorum auctorum doctrina, volunt enim eandem esse vtriusque rationem. Minor ostenditur; quia nullo modo possibile videtur, quod aliquid, quod est indifferens, vt sit, vel non sit pars sacramenti & si est pars, id habet ex intentione pœnitentis, quod de facto sit, etiãsi positiuè à pœnitente excludatur, seu de eo contrariam habeat intentionem. Nec valet dicere quod præcepto satisfaciet Confessarij; de ponenda illa satisfactione, non tamen satisfaciet præcepto diuino de ponendo integro sacramento, seu de ponenda satisfactione, quæ est pars sacramenti. Nam contra est, quia Confessarij præceptum de ponenda satisfactione non est nudum, sed est de ponẽda satisfactione, vt est pars sacramenti, vt est illius perfectio, & complementum; ergo si hoc non ponatur, neque Cõfessarij præcepto satisfiet.

QVAESTIO III.

In qua plures resoluuntur difficultates circa obligationem Confessarij ad pœnitentiam imponendam.

PRima difficultas est, an Cõfessarius teneatur sub mortali pœnitentiam iniungere. In omnium sententia, dantur aliqui casus in quibus nulla est obligatio imponendi pœnitentiam. Primus est quando pœnitens est morti proximus, & sensibus caret, tunc enim datur absolutio sine vlla pœnitẽtiæ impositione; si tamen sensibus non caret leuis imponi debet pœnitentia pro tunc soluenda; & proportionatã si conualescat. Secundus casus, quando Cõfessa-

fessarius aduertit, & probabiliter putat, pœnitentem satisfecisse pro pęnis peccatis debitis; quod præsertim habet verum, quando præterita, vir sanctus, confitetur peccata de quibus abundãtem fecit pœnitentiam; item si videat pęnitentem intensissimam habere suorum peccatorum cõtritionem, vt legitur fecisse S. Vincentium Ferrerium.

Tertius casus quando iam in proximo est satisfactionis remedium, vt si instet pœnitenti martyrium; vel indulgentia plena lucranda; semper tamen debet aliqua saltē leuis imponi pœnitentia, ne mutilum fiat sacramentum, quando id fieri potest, vt in duobus casibus præcedentibus. Quartus casus quando pœnitens non esset pœnitentiam acceptaturus, quod crederem esse verum, si grauem, secus si nollet acceptare neq; leuem; nisi forte illorum sequeretur sententiam, quod pœnitens non teneatur pœnitentiam in hac vita faciendam acceptare, sed velit illã pro Purgatorio reseruare: duo namque loca posuit Deus in quibus homo potest peccatis satisfacere, quantum ad illorum pœnas, & vita præsens & Purgatoriũ, & liberum est homini eligere, vel præsētem vitã, vel futuram; & sic nullũ erit peccatum, pœnitentiam, pro alia vita, reseruare. Quintus casus, quando scrupulosus intra eandem v. g. horam reddit, & noua confitetur peccata, & nouam recipit absolutionem, tunc enim temporis non tenetur Confessarius ad omne sacramentum nouam imponere satisfactionem, sed iam primò iniũctam, denuo, & denuo iniungere: ita Bonacina disput. 5. q. 5. sect. 3. puncto 12. num. 3. cuius fundamentum est, quia opus alias debitum potest pro satisfactione noua iniũgi. Modo quęritur, an præter hos casus, teneatur Confessarius satisfactionem iniungere? Affirmatiuè respondet Lugo nu. 49. vbi vult quod hæc obligatio ex genere suo grauis sit, leuis tamē esse possit ex paruitate materiæ: vnde si quis Confessarius ob peccata leuia, vel alias confessa, etiamsi grauia sint, nullam impone-

ret satisfactionem venialiter solum peccaret; secus quādo non imponeret ob peccata grauia, non alias confessa. Quod illa obligatio sit ex suo genere grauis patet, quia alioqui imperfectum, & mutilum poneretur sacramentū; quod autem ex materiæ leuitate possit solum esse veniale, probat, quia sicut iudicium humanum, non manet imperfectum ex defectu punitionis, quando reus non iudicatur pœna dignus; sic neque hoc sacramentale iudicium: & sicut iudex humanus non peccat grauiter non imponēdo pœnam leuem: sic nec in hoc nostro iudicio, ob eandē rationem peccabitur.

Sed verius dicendum, semper teneri Confessarium satisfactionem imponere, nec excusari à culpa graui, ob paruitatem materiæ; & ratio est, quia non sumus in materia humana; sed in materia grauissima, nempe in materia sacramenti, cuius partes sunt grauissimæ, licet enim illa satisfactio leuis in se esse possit, vt tamen est pars sacramenti, leuis non est, sed grauissima. Et licet facere iudicium humanum mutilum, in materia leui, res leuis sit; facere tamen iudicium sacramentale mutilum, in materia alias leui, leue non est, sed graue. Tū quia non imponere satisfactionem illam leuem, non solum est priuare sacramentum sua perfectione, & pœnitentē pœnæ remissione, verum etiā, est ipsum priuare aliquo gratiæ gradu, quem diximus satisfactionem producere ex opere operato.

Secunda difficultas, an Cōfessarius imponere possit pœnitentiam liberam, absq; pręcepto, & obligatione implēdi aliquam determinatā, sed vel illam, vel aliam? Prima sententia est negatiua, quam post Vasquez, Turrianum, & Coninchum docet Lugo supra nu. 54. Secunda sententia communior, & verior est affirmatiua, quam post plures quos longa manu refert, sequitur Diana de sacram. resol. 83.

Probatur primò, quia opus quod à Pōtifice præscribitur, dum indulgentia ab ipso cōceditur causat pœnæ remissionem,

sionem, quia per clauiũ potestatem Pontifex ad id munus eleuat illud, & tamen liberum est; ergo à pari, etiamsi satisfactio liberè imponatur poterit ex opere operato, per eandem clauium potestatem pœnæ remissionem facere. Respondet Lugo num. 551. discrimen esse quia indulgẽtiæ concessio ex sola procedit potestate soluendi; at verò pœnitentiæ impositio, ex sola procedit potestate ligãdi, non cẽsetur autem Sacerdos potestatem habere ligãdi, nisi vt iudex peccata puniat, & per consequens præcipiendo. Sed contra quia potestas absoluẽdi libera esse potest; ergo etiam potestas ligandi, ac subinde si per potestatem absoluendi, potest imponi opus liberum, quod ex opere operato pœnas relaxat, id ipsum fieri poterit per potestatem ligandi; aliud nãque est, quod Sacerdos possit pœnitentem ligare, & aliud est quod ad id teneatur, aliud est, quod iudex humanus possit reum ligare, & aliud est quod teneatur; hæc namque duo separabilia sunt, & vnũ sine alio esse potest. Adde quod iudex sufficienter ligare censetur cum pœnam etiã indeterminatam imponit.

Probatur secundò, quia illa Sacerdotis verba, quæ post absolutionem adiunguntur: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum tuorum, &c.* omnia eleuant pœnitentis opera, etiam si libera sint ad hoc vt ex opere operato remissionem faciant peccatorũ; ergo signum est liberum opus imponi posse in pęnitentiam. Respondet Lugo illa verba non esse nisi depræcatoria, & nullo modo eleuare peccatoris opera ad satisfaciendum ex opere operato, Vnde subdit non videri probabilem illorum doctrinam, qui excusãt Confessarios dum leues imponunt pœnitentias pro grauissimis peccatis, quando addunt dicta verba. Sed hæc Lugonis responsio omnino reiicienda est, sunt enim illa verba non depræcatiua, sed verè eleuatiua bonorum operum, quæ postea ipse pœnitens faciet, & subinde poterit Sacerdos minorem imponere pœni-

pœnitentiam, quando illa addit, & probabiliter secundam aliquos, nullam aliam; cum per illa verba pro satisfactione omnia opera pœnitentis pro satisfactione imponantur, non enim necesse est pœnitentiam imponere determinatam, sed sufficit imponere indeterminatam. Audiat Lugo D. Thomam, & videat, an sit illa sententia improbabilis D. ergo Thomas, quodlibeto 3. art. 28. vbi postquam in argumento *Sed contra* probauit, quod illa verba *Quidquid boni feceris*, &c. sint aliquo modo sacramentalia, in corpore articuli hoc probat sic: *sicut potest sacerdos iniungere satisfactionē pœnitenti, ex arbitrio alieno; ita & ex arbitrio ipsius pœnitentis: sicut si dicat, facias hoc si potes & si non potes facias hoc: & simile videtur cum sacerdos dicit quidquid boni feceris, sit sibi in remissionem peccatorum: videtur autem satis conueniens, quod sacerdos non oneret pœnitentem, graui pondere satisfactionis; quia sicut paruus ignis à multis lignis suppositis de facili exstinguitur, ita potest contingere, quod paruus effectus contritionis in pœnitente nuper excitatus propter graue onus satisfactionis extinguatur, peccatore totaliter desperāte:* & post pauca. *Et hæc quæ præter iniūctionem expressam facit, accipiunt maiorem vim expiationis culpæ præteritæ, ex illa generali iniunctione qua Sacerdos dicit: quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum. Vnde laudabile cōsueuit à multis sacerdotibus dici, &c.* Vbi vt vides plura cōtra Lugū docet D. Thomas: Primò posse sacerdotem arbitrariam imponere satisfactionem: Secūdò illa verba: *Quidquid boni feceris &c.* esse sacramentalia & habere vim eleuandi pœnitentis opera vt ex opere operato sint satisfactoria, seu sint pęnitentia sacramentalis. Tertiò ob illa verba minorē imponi posse pœnitentiam, ne sacerdos nimis oneret pęnitentem, &c. Hanc sententiam præter D. Thomam, sequuntur plures, quos congerit, & sequitur Diana de Sacram. resol. 97. & p. 6. trac. 7. resol. 5. & p. 9. trac. 9. resol. 54. & p. 10. trac. 16. resol. 1.

Tertia

Tertia difficultas, quę opera imponi possint in pœnitentiam? Respondetur quod omnia opera satisfactoria de qui bus supra. An autem imponi possit opus applicandum defunctis. Negant Vega to. 2. c. 64. cas. 4. Ioan. Sancius disput 16 nũ. 1 verius tamen est quod id fieri possit. Diana de Sacram. resol. 54. sed dubium est quomodo satisfactio sacramentalis possit applicari defunctis; cum enim sit sacramentalis, & ex opere operato pœnæ peccati confessi, faciat remissionem, nõ videtur quomodo defunctis applicari possit. Respondetur applicari defunctis satisfactionẽ illã quoad id quod habet ex opere operãtis, non vero quoad id quod habet ex opere operato.

Quarta difficultas, an possit confessarius pro pœnitentia imponere pœnitenti, quod per aliquod dies abstineat à communione? Certum est quod possit ipsa cõmunio pro pœnitentia imponi: difficultas est de ipsa cessatione? Et respondetur affirmatiuè, in casu quo Confessarius iudicaret hic, & nunc magis pęnitenti expedire à communione cessare, quam ad illam accedere, etiam si non sit peccati mortalis conscientia.

Quinta difficultas, an possit imponi opus purè internũ, vt moribundo, vt corde ter inuocet nomen *Iesu?* Respondetur quod sic; quia licet pęnitentia sit pars integralis sacramenti, sensibilis esse tamen non debet, sicut est sacramẽtum, in se sensibile, sed sufficit quod sit ratione impositionis confessarij, & acceptationis pœnitentis vt disput. 3. q. 2. dictum est.

Sexta difficultas, an possit imponi opus alias præceptũ? Communis responsio est affirmatiua; licet (nisi sacerdos se explicet) semper intelligatur opus supererogationis.

Quot autem peccata committat, qui opus debitum ex præcepto v. g. Ecclesiæ, & Cõfessarij omittit, vt ieiuniũ? Respondetur quod duplex; quia duo intercedunt motiua specie diuersa, temperantiæ nimirum, vt ab Ecclesia, & Pænitentiæ, vt à Confessario præcipitur.

QVAE-

QVAESTIO IV.

De pœnitentis obligatione ad acceptandam, & implendam pœnitentiam.

PLures sunt difficultates de hac materia dissoluendæ. Prima est, an pœnitens sub mortali teneatur cōfessarij pænitentiam acceptare, & acceptatam implere? Est prima, Scoti, & aliorum apud Vasquez q. 94. art. 2. dub. 1 sententia, quod pęnitens non teneatur Confessarij pœnitentiam acceptare, si tamē acceptet, illam teneatur ad implere.

Secunda sententia docet neque esse obligationem acceptandi, neque implendi. Hanc sententiam docuit Caietanus, & licet aliqui eam nota inurant improbabilitatis, & alia, etiam maiori, nihilominus non desunt, non solum, qui illam probabilem vocant, verum etiam qui illam sequuntur: illā probabilem vocant Sotus, Zerola, Ioānes de la cruz, Villalobos & alij apud Dianam to. 1. tract. 15. resol. 52. ob hoc docet Reginaldus, Homobonus, Molfesius, & alij apud eundem Dianam, confessarium non posse dimittere pęnitentem absque absolutione, qui nolet vel leuem pœnitentiam acceptare. Hoc tamen merito limitat Faber, quod licet hæc opinio sit vera in praxi tamen de facili non est in vsu ponēda, eo quod difficile sit inuenire aliquē, qui bona fide confiteatur, adeo saxeum, qui nolit vel tantillum pœnitentiæ acceptare, vnde, qui nolet, nec ter *Iesus* dicere, non videretur bene dispositus, & huius ratione esset dimittendus, nisi de opposito constaret, quia fortè velet hanc sequi sententiam. Auctores vero qui illam sequuntur sunt, Faber citatus, in 4. dist. 19. q. vnica disput. 35. cap. 10. nu. 26. Pharaonius de pœnit. sess. 22. cas. 10.

Gre-

Grego. Ruiz, Raphael de Cæsare, Beia, Naua. Yribarne, & Pitigianus apud Dianam loco citato.

Tertia sententia verior, & communior est pœnitentem obligari, ad acceptandam pœnitentiam, & acceptatã executioni mandare. Pro hac sententia innumeros ferè refert Diana vbi supra, vnde à tali relatione est abstinendũ.

Probatur primò, Sacrosancti Concilij Tridentini testimonio sess. 14. vbi sic dicitur: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quãtum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares, & conuenientes iniungere satisfactiones: ne si fortè peccatis conniueant, & in dulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungẽdo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio quam imponunt non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Nam claues Sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas etiã antiqui Patres & credunt, & docent.*

Probatur secundò, ratione desumpta ex mox citatis Tridentini verbis; nam Sacerdos habet claues non solum soluendi pœnitentem, verum etiam ligandi; atqui non haberet potestatem ligandi si pœnitens posset non acceptare pœnitentiam, & acceptatam nõ implere, ergo Maior est de fide. Minor probatur; nam sicut iudex humanus non haberet vim ligandi reũ, si reus posset mulctã, vel pœnam subterfugere, ita Sacerdos non habebit vim ligandi pœnitentem, si semel pœnitens posset pœnitentiam impositam subterfugere. Confirmatur ex eodem Concilio, nam vult, quod Sacerdos cõuenientes iniungat pœnitentias, & quod si leues iniungat conniueat pœnitentium peccatis, & sic eorundem particeps fiat peccatorum; atqui hoc verum non esset, si pœnitens non tenetur illas pœnitentias acceptare, nec acceptatas implere, si enim le-

ues, vel nullas etiam imponeret pœnitentias faceret id ad quod pœnitens ius habet, & cooperetur rei, quam pœnitens facere potest: si enim pœnitens non tenetur pœnitentiam acceptare, nec Confessarius imponere, contra id quod supra stabilitum fuit.

Secunda difficultas, an pœnitens in aliquo casu excusetur saltem à mortali ab exequẽda satisfactione iniuncta? Respondent aliqui affirmatiuè, quando scilicet materia est leuis, siue sit iniuncta pro veniali, siue pro mortali, vt si quis nõ recitet pœnitentiam vnius *Miserere*, videatur Diana p.6.trac.6.miscell resol.46. Vbi aliam proponit difficultatem, an scilicet pœnitens relinquens pœnitentiam grauem pro solis venialibus impositam, vt si relinquat volũtariè septem psalmos pro pœnitentia impositos, vel ieiunium, &c. peccet mortaliter, an venialiter. P.Suarez apud eundem Dianam vbi supra, putat quod relinquere pœnitentiam grauem pro solis venialibus impositam, sit solum peccatum veniale.

Sed incipiendo ab hoc vltimo, dico esse peccatũ mortale grauem non ponere pœnitentiam etiam pro venialibus impositã. Ita Præpositus apud Dianam, cui addo Henriquez de sacram.c.20. nu.st. Coninch, hic dub.9. num.81. Fagundez lib.9. de 2.Eccles. præcept.c.3.num.13. Et ratio est, quia materiæ grauitas, vel satisfactionis, & obligationis, nõ desumitur ex peccato pro quo imponitur, sed ex re quæ præcipitur; ergo cum in hoc casu res grauis præcipiatur, & materia grauis erit, & obligatio grauis; quid enim refert, quod peccatum graue, vel leue sit pro quo pœnitentia datur, si semel materia præcepta grauis est? Si enim quis voueret ieiunium in suorum venialium expiationem, & illud non impleret, certè mortaliter peccaret, & hoc non ob aliam rationem, nisi quia voti materia, quæ transgreditur grauis est, etiamsi peccatum veniale pro quo expiando votum factum est, res leuis sit.

Nec prima resolutio placet, imò valde displicet, sicut

etiam

etiam displicet Nugno q.13. art.2.diff.3.concl.4. Vnde dico, quod volũtariè relinquere pœnitentiam quantumuis leuem, semper sit peccatum mortale: quod probo cum Nugno. Quia semper est peccatum mortale sacramentum voluntariè facere mutilum, non integrum, imperfectum; atqui relinquens pœnitentiã leuem facit sacramẽtum mutilum, non integrum, imperfectum; ergo peccat mortaliter. Minor certissima est, eo namque ipso quod satisfactio non ponatur, priuatur sacramentum sua parte perfectiua, & integrali, ac subinde imperfectum, & non integrum ponitur. Maior etiam certa videtur, nam cum sacramentũ res grauissima sit, sequitur, quod illud ponere voluntariè mutilum, non integrum, imperfectum, malum, seu sacrilegium grauissimum erit. Nec valet dicere quod illa iniuria, quæ fit sacramento, nõ sit malum grauissimum, sed valde leue, cum materia illa, qua fit talis iniuria valde leuis sit. Nã contra est, quia iurare rem leuissimam, sed falsò, peccatum mortale est, vt omnes tradũt, & hoc non ob aliam rationẽ; nisi quia licet res illa, quæ iuramento falso affirmatur leuissima sit, iniuria tamen, quę fit creatori, dum in testem falsi vocatur, res grauissima est; ergo similiter, licet illa satisfactio, quæ omittitur res leuissima sit, iniuria tamen, quæ fit sacramento, dum mutilum volũtariè redditur, grauissima est. Confirmatur hoc, quia, vt communis docet sententia, verba illa consecrandi calicis: *Noui, & æterni testamenti, &c.* non sunt de essentia consecrationis, sed solum de integritate, & perfectione, & tamen omnes volunt, quod si relinquantur peccatum mortale sit; & in tantum volunt quod relinquere particulam *enim* nõ sit mortale, quia neque de essentia consecrationis est, neque de eius integritate. Item si quis dimidiũ canonis relinquat, mortaliter peccat, vt omnes tradunt (cũ tamẽ in se materia parua sit) & hoc non ob aliam rationẽ, nisi quia prout canonis materia, grauis censetur, cum tamen nec ad essentiam sacra-

menti pertineat, nec ad integritatem illius, & si fiat comparatio inter *communicantes v.g.* & vnum *miserere*, quod sit pœnitentia sacramentalis, videbitur quod illud *miserere* sit materia grauior, quam sit ipsum *communicantes*.

Nota tamen cum eodem Nugno, quod licet relinquere paruam satisfactionem sit peccatum mortale ob traditas rationes, non tamen erit peccatum mortale aliquam eiusdem satisfactionis relinquere partem etiamsi alias sit maior, quam integra pœnitentia leuis, quia tunc mutilum non redditur sacramẽtum,& quia materiæ grauitas non semper ex rei quantitate metitur, sed formaliter, vel ex sui necessitate quandoque accipitur, vt in præsenti contingit.

Tertia difficultas, an pœnitentia debeat ab ipso pęnitente poni, an vero possit etiã poni per alium? Certum est non posse, sua sponte, pęnitentem, alium substituere, qui pœnitentiam sibi impositam persoluat. Colligitur hoc ex Tridentino sess. 14. c. 3. & can. 4. vbi definitur quod huius sacramenti partes sint actus ipsius pœnitentis nempe contritio, Confessio, & satisfactio, ac proinde satisfactio non potest per alium, saltem pœnitentis sponte electũ executioni mandari. & ratio esse videtur. quia sacramentalis satisfactio, opus personale est, ac proinde non potest per aliũ poni; sicut enim non potest quis audire Missã per alium, ieiunare per aliũ, recitare officium per alium, ita nec satisfacere per alium. Difficultas ergo est, an ex Confessarij facultate possit quis satisfacere; vt si confessarius sic pœnitentiã imponat *ieiunabis semel pro tuorum satisfactione peccatorũ si id præstare poteris, secus id per aliũ præstabis.*

Affirmat Suarez disput. 38. sect. 9. At melius negat Vasquez q. 54. art. 2. dub. 1. nu. 10. Coninchus disput. 10. nu. nu. 66. & 82. Lugo disput. 25. nu. 82. & alij: Probatur 1. ex Sacri Tridentini Concilij verbis supra relatis, dum dicit partes sacramenti Pęnitentiæ esse ipsius pœnitentis actus, nempe

nempe contritionem, Confessionem, & satisfactionem? Secundò quia satisfactio poni debet, ex confessarij præcepto; atqui ille, cui ego meam committo satisfactionem peragendam, illam non ponit ex Confessarij præcepto, sed ex mea iussione, & commissione; ergo illa nequit esse satisfactio sacramentalis, suum producens effectum ex opere operato. Aduerte hic vnum hanc sententiam procedere de illis operibus, quæ solius sunt pœnitentis, vt ieiunium oratio, auditio sacri, secus de illis, quæ per alios fieri solét vt datio eleemosinæ per seruum, nam si de istis loquemur operibus, certum est per alium fieri posse; vnde eleemosina per seruum data ex Domini imperio sacramentalis est, & ratio discriminis est, quia in istis operibus seruus v.g. vt purum se habet instrumentum, & actio instrumenti, actio censetur principalis agentis, & quod per instrumentum facimus per nos ipsos facere censemur: At vero in ieiunio v. g. non sic res se habet, nam ieiunium non dicitus iubentis, sed ieiunantis; nullus namque ieiunare dicitur, quia alius pro se ieiunat.

Quarta difficultas, an qui tenebatur tali sabbato ieiūare ob pœnitentiam à confessario datam, si id obliuiscatur teneatur postea alio sabbato ieiunare, an non?

Respondetur debere alio sabbato ieiunare: nisi aliud constet de confessarij intentione, quod fuerit illi sabbato alligata, & voluerit illud ieiunium vt illius diei pondus, secus si non constet, quia cōmuniter præsumitur, sic suam nō alligere intentionem. Addunt tamen aliqui, posse alia feria ieiunare, quia illa circūstantia leuis videtur.

Sexta difficultas, an qui per mensem habuit pœnitentiam audiendi sacrum, festiuis diebus teneatur duos audire? Respondetur negatiuè quia vnica auditione vtrique præcepto satisfieri potest. Sicut enim, vt N. Lezzana docet V. indul. 9. potest quis eodem opere varias lucrari indulgentias, vt eadem corona, eadem communione potest

test lucrari indulgentias V. sanctorum S. Caroli, &c. & varijs applicare defunctis, sibi enim vna sufficit; ita eadem sacri auditione potest quis satisfacere præcepto Ecclesiæ, & confessarij. Et sicut potest, quis eadem die plures lucrari indulgentias pluries visitãdo Ecclesiam, vel altare &c. siue indulgenia perpetua sit, siue non, quando indulgentia conceditur illimitatè talẽ visitanti Ecclesiam, vel talẽ recitanti orationem, ita &c. Benè verum est, vt hoc obiter dicatur, quod Vrbanus Octauus in indulgentiarum formulis apposuit illa verba: *volumus autẽ si alias pro Christi fidelibus inquocunque anni die dictam Ecclesiam, siue capellam, aut altare in ea situm visitantibus aliam indulgentiam &c. concesserimus præsentes nulla sint* vbi notanda venit illa particula *cõcesserimus*, quæ non ad aliorum Pontificum indulgentias refertur, sed ad proprias; de hoc tamen suo loco.

Septima difficultas, an si Confessarius imponat pro pœnitentia dationem eleemosinæ pauperibus, satisfaciat pœnitens si illam largiatur parẽtibus suis, domesticis &c. si pauperes sint, & aliunde eos alere teneatur? Respondetur affirmatiuè, quia benigna interpretatione censetur, confessarium, tali eleemosina, contentum esse, etiamsi alias ex charitatis præcepto eos pœnitens alere teneatur; quod enim quis teneatur elere parentes extremò indigentes, vel grauiter, nihil facit, ad hoc, vt Confessarij præcepto satisfaciat de danda eleemosina; alioqui neque satisfaceret dando extremè indigenti, quia etiam istum pœnitens ex Charitate alere tenetur Ita Leander de Pœnit. q. 47. qui addit, quod qui ex confessarij præcepto integrũ tenetur recitare Rosarium, potest illud diuidere & tribus recitare diebus. Item illum cui iniunctum est in pœnitẽtiã, vt quotidie per vnum annum, mensem, vel hebdomadam, Psalmos, vel coronam recitet, satisfacit si vno, vel duobus, vel tribus recitet diebus, ratio est, quia in pœnitẽtis, vel satisfactionibus melius

per

per se est præuenire, quam postponere; hanc sententiam libētius admitterem si satisfactio pro animabus Purgatorij esset facienda.

Octaua difficultas, an qui tenetur ob pœnitentiam Sanctorum litanias recitare, teneatur recitare preces,& orationes? Respondetur negatiuè, nomine namque litaniarū, præces, & orationes non veniunt, cum sint res distinctæ, & separabiles, litaniæ enim propriè, Sanctorum sunt inuocationes: puto tamen venire liberationes, & rogationes vsque ad pater noster, quia videntur eandem continuare orationem. Putat etiā Leander q. 73 posse pœnitentem suam pœnitentiam, quando est res recitanda vocaliter, vt litaniæ, corona, &c. mētaliter recitare posse, quia putat pœnitentē sua sponte posse (saltem in melius) suam pœnitentiam commutare, de quo postea.

Nona difficultas, an pœnitens, qui tenetur ex pœnitentia recitare B.V. coronam, satisfaciat recitando eiusdem Virginis officiū, quod ex deuotione solet recitare? Affirmatiuè respondet Bonacina apud Dianam de sacram. resol. 106. & rationem assignat, quia pœnitentiæ obligatio cessat non solum per indulgentias, verum etiam per remissionem pœnæ, alia via obtentam, vt per alia opera satisfactoria; hanc sententiam limitat Diana, vt non procedat de pęnitentia medicinali; Vnde inferunt, quod sicut nō tenetur pœnitens pœnitentiā exequi, quando pœnas peccatis dubitas per indulgentiā cassat; ita quando easdem pœnas cassat per alia opera satisfactoria. Sed hæc sententia non placet, quia licet iste re vera ponat æqualiter satisfactiuum, negari tamen non potest, quod tunc non ponat sacramentum mutilum, & imperfectum, quod fieri nullo modo debet: deinde satisfactio sacramentalis non solum facit pœnæ remissionem, verum etiam gratię infusionem, quod alia opera satisfactoria non præstant. Sed de hoc infra, de indulgentijs.

Decima difficultas, an pœnitens peccet differendo pœniten-

nitentiā? Dico primò; *quando Confessarius non limitauit pœnitentiæ tempus, sed absolutè pœnitentiam imposuit, potest ad annū differri*. Ita N. Thomas à Iesu in tribunali conscientiæ trac. 3. c. 2. dub 9. & alij apud Dianam p. 5. tract. 5. resol. 15. & p. 10. tract. 12. resol. 41. Et ratio est, quia sicut quis commissum peccatum non tenetur statim confiteri, sed potest confessionem per annum differre; ita & satisfactionem illimitatam differre potest. Dico secundò: *quando Confessarius limitauit pœnitētiam ad hebdomadam, vel mēsem posse differri per aliquod dies*; vt si quis teneatur quolibet mense communicare, si differat per 6. vel 8. dies non est peccatum graue, imò neque leue si ex aliqua causa id fiat, vt quia est aliquod festū, vel indulgentia, &c. Si teneatur communicare per singulas hebdomadas nō erit peccatum graue si differat per duos, vel tres dies, & nullum peccatum erit si ex causa id fiat. Dico tertiò: *quando Confessarius determinat diem, ita vt opus alligetur diei; differri nō potest, sicut præcepta Ecclesiæ alligata diei differri non possunt, vt ieiunium, officium diuinum, Missa, &c.* obseruādum tamen est, quod licet Confessarij præceptum aliquādo videatur diei affixum, vt cum dicit *recitabis die Sabati coronam in honorem B. V. ieiunabis feria 6. in honorē passionis Dominicæ*; tamen nō est, sed attendit positiuè ad operis substantiam magis, quam ad tēporis determinationem; & quā ad B. V. & passionis Dominicæ honorē, & tunc peccatū saltē graue, nō erit illa opera differre; tunc autem Confessarij præceptum est fixum, alligatumque diei, quādo potissimè diem intendit; vt si dicat: *in honorem diei veneris in quo Christi passio exequuta est, ieiunabis &c.* similiter si dicat. *In honorem diei Sabati, qui est dies Virgini dicatus coronam B. V. recitabis, &c* Præstat hoc scire, quia quando pœnitētia priori modo imponitur, si tūc non impleatur, impleri postea debet. At verò quando posteriori modo, nulla est obligatio ponendi illam, quantū est ex Confessarij præcepto, quia

quia cum opus diei alligatū præcitur, illo transacto obligatio cessat, vt patet de officio diuino, ieiunio, &c. Licet quantum ad præceptum diuinum de non ponendo sacramentum mutilū, poni debeat.

Vndecima difficultas est, an pœnitens, qui tenetur recitare coram tali imagine, satisfaciat recitando alibi, & qui tenetur recitare flexis genibus, teneatur sic recitare, an vero id possit alio modo exequi? Respondet Vega apud Dianam de sacram. affirmatiuè, quia substantiam, non circunstantiam operis attendit Confessarius. Sed distinguendum est; nam aliquando circunstantia transit in substantiam operis, aliquando pura remanet circunstantia: tunc transit in operis substantiam (quātum ad præsens attinet) quando Confessarius illā apposuit quia aduertit illam nō esse minus pœnalem, quam opus ipsum, secus quādo parum pœnalis est. Vnde videmus aliquos velle potius plures recitare coronas ambulātes, vel sedentes, quam vnam genibus flexis.

QVAESTIO V.

Quis possit pœnitentiam commutare sacramentalem.

De pluribus quęri potest, an possint pœnitentiā commutare? vt de pęnitente ipso, Confessario proprio, seu eo qui confessionem audiuit, & extraneo, qui nimirum cōfessionem non audiuit.

Quæritur ergo primò, an pœnitens ipse, suam possit cōmutare pęnitentiā, in melius? Affirmatiuè respondent plures apud Dianā p. 1. tract. 15. & 1. miscell. resol. 53. & de sacram. resol item 53 & p. 10. tract. 16. resol. 25. ratio potissima huius sententiæ est, quia quoties quis abundantiorem offert pro debito solutionem, ad quam ex lege, vel præcepto est adstrictus, legem, vel

præceptum non soluit, sed abundantius implet;nec censendum est nouam legem,pœnitentem sibi propria imponere auctoritate, mutando pœnitentiam,nec iudicij actũ exercere, & iurisdictionis,sed legem, vel Confessarij præceptum vberius, & abundantius implere. Verior tamen, & communior sententia oppositum tenet. Vnde dico *non posse pœnitentem suam,etiam in melius, commutare pœnitentiã.* Iste est fidelium vsus, & sensus, vt videre est apud Sanchez in præcepta lib.4. c.11. num.36.

Probatur conclusio, quia pœnitentiæ commutatio est actio sacramentalis, & iurisdictionis actus,ipsius Confessarij proprius, tanquam superioris, & iudicis; sed pœnitens erga se ipsum nullã potest sacramentalem exercere actionem; nullam habet in se spiritualem iurisdictionẽ,non est sibimet ipsi iudex,& superior, ergo non potest suã pœnitentiam commutare.

Sed dices;Quoniam vouẽs potest suum votum in melius commutare,& tamen vouens præcisè spiritualem non habet iurisdictionem,non est sibi superior, &c. ergo etiam poterit, pœnitens suã in melius commutare pœnitentiã, etiamsi spiritualem non habeat in se ipsum iurisdictionẽ, nec superioritatem. Nam respondetur diuersam esse voti, & satisfactionis rationem; nã votum est obligatio, quam sibi vouens imponit,in gratiam illius, cui votum dirigitur; ac proinde si vouens iudicat se magis placere *illi*, cui votum ordinatur, per opus melius in illud potest votum suum cõmutare. At vero pœnitentia, est opus præceptum, obediẽtiæ includens exercitiũ;atqui non est obedientiæ exercitiũ vbi homo pro suo operatur iudicio, & pro sua voluntate, non pro iudicio, & voluntate superioris. Si enim semel ille cui præceptũ factum est posset illud in melius commutare, multa sequerentur inconuenientia, posset namq; quis ieiunium sibi præceptum, in Missæ auditionem commutare, vel in aliud opus melius; posset quis diuinum commutare officium in vnam cõmunionem

nionem cum hæc absolutè sit melior, & sic deinceps; per quæ patet quid dicendum sit ad potissimam sententiæ oppositæ rationem: præcipiens namque rem præceptam requirit, non meliorem: nec verum est, quod abundãtius legem, vel præceptum implet, qui abundantiorem pro debito offert solutionem, cum præcepti natura, & legis rem præceptam exigat, nec subditi voluntati relinquit, quod aliam offerat etiã meliorem.

Quæritur secũdò, an idem Confessarius, qui confessionẽ audiuit, possit pœnitentiam commutare? Est certum posse Confessarium pœnitentiã commutare intra eandẽ confessionem, seu durante eodem tribunali, & iudicio; imò etiã certum est id posse facere in alia confessione, dũmodo recordetur confessionis, vel status pœnitentis; an autẽ quando nullo modo recordatur nec confessionis, nec peccatorum, saltem in confusò, nec status pœnitẽtis, ex mox subijciendis patebit.

Difficultas ergo pręsens ad hoc reuocatur, an idem Confessarius possit pœnitentiam commutare extra confessionem, siue parum, siue longum tempus transierit? Aliqui volunt posse quidem eundem Confessarium pœnitentiã extra confessionem commutare, sed non post longum tempus, sed intra três, vel 4. vel ad summum 8. dies; & rationem assignant, quia ad hoc, vt hæc fiat cõmutatio, oportet, quod secunda pœnitentia, vt sit sacramentalis aliquã habeat cũ sacramento vnionem; atqui illam habere non porest post longũ tempus; ergo &c. Ego quidem existimo requiri, vt fiat pœnitentiæ commutatio, & illa secunda sit verè sacramentalis, & vim suam habeat ex opere operato, quod aliquam habeat cum sacramento vnionem, alioqui si nullam haberet, ab ipso vim suã participare non posset; certum namque est satisfactionẽ vim suam habere à sacramento cũ ab eo eleuetur, vt ex opere operato satisfaciat. Sed etiã existimo posse talem vnionẽ habere, etiam post longum tempus, ad quod sufficit, quod actio commutatiua ad præte-

ritam referatur cōfessionem, & in illius virtute fiat, pro quo requiritur quod Confessarius aliquam saltem cōfusam habeat confessionis notitiā, vel ex peccatorum saltem confusa memoria, vel datę pœnitentiæ, vel status pœnitentis, &c. Si enim satisfactio post longum tempus posita, suam habet cum sacramento vnionem, cum tūc temporis illud compleat, & perficiat, quare etiam illa secunda pœnitentia suam non poterit habere vnionem cum eodem sacramento, præsertim cum cēseatur adhuc virtualiter durare, cum adhuc satisfactio posita non sit; & sic, si virtualiter adhuc durat, in virtute illius poterit secunda satisfactio virtutem habere, & sacramētalem esse, quamdiu namque satisfactio posita nō est, adhuc sacramentale iudicium renouari potest, ac subinde saltem virtualiter durat, suam expectans vt ita dicā renouationē.

Quæres tertiò, an alius Cōfessarius possit pœnitentiam mutare, vel minuere? Aliqui negant id fieri posse, vt Vasquez q. 94. ar. 2. dub. 3. Ledesma to. 1 tract. de pœnit. c. 23. concl. 8. dub. 2. & alij, ea ratione, quia par in parem non habet imperium, *L. ille à quo S. tempestiuum, ff. ad Trebell.* & quia ad retractandam, seu reuocādam vnius iudicis sentētiam, superior per viam appellationis adiri debet, quia æqualis id facere nequit *cap. dilectus 2. de rescriptis. & c. vt debitus honor, de appellat. & L. si quis aduersus, C. de precibus Imper. offer.* Hæc tamen ratio non probat, quia secundus sacerdos pœnitētiam commutans nullum exercet imperiū in primum Sacerdotem, sed in pœnitētem, nec prioris reuocat Sacerdotis sententiam, sed suam profert, non ad derogandum prius iudicium, sed ad pœnitentis indigentiæ cōsulendum, in cuius fauorem, & sacramentum, & pœnitentiæ iteratio concessa est. Vt verum fatear, hæc sententia scholasticè semper mihi visa est probabilior, quam etiam defendit Nugnus q. 13. dub. 4 & ratio est, quia vel iste secūdus Confessarius talem facit commutationem in sacramento, vel extra, neutrum videtur

detur scholasticè sustinendum; ergo. Minorem ostẽdo; nam si illam facit commutationem intra sacramentum, sequitur, quod illa pœnitẽtia non sit satisfactio sacramentalis illius sacramenti, cuius erat pœnitentia mutata, sed noui sacramenti; cum enim, vt præcedenti quæsito dicebatur, pœnitentia mutari non possit in aliam sacramentalẽ, nisi aliquam habeat cum suo sacramento vnionem, ad quã requiritur, quod commutans, commutatiuam actionem ad sacramentum illud referat, ad quod requiritur aliqua saltẽ confusa illius cognitio, quam cum non habeat secũdus Sacerdos, debet illi dari per peccatorum nouam confessionẽ, ac proinde nouum fiet sacramentum, & sic ista satisfactio non erit illius antiquæ mutatio, sed noua, huius noui sacramenti, & sic illud primum sacramentum non manebit integrum, sed mutilum, & imperfectum; quod licet concedat Lugo nu. 102 grande tamen inconueniens est, vt supra dicebatur, cũ hoc sit contra præceptum diuinũ de sacramentorũ integritate. Maneat ergo non posse fieri talẽ commutationem intra sacramentum, cum tunc illa satisfactio non priori corresponderet sacramẽto, sed huic præsenti; nec ab illa suam acciperet virtutẽ, sed ab isto. Neque etiam talis mutatio fieri potest ab isto secundo Sacerdote extra sacramẽtum, quia cum satisfactio sacramentalis sit, extra sacramentum poni non potest. Tum quia Sacerdos, nullam proferre potest sententiam, nullum iudicium in pœnitentem extra sacramentum; cum hoc fiat potestate clauium; vnde sicut iste secundus Sacerdos non habet potestatem absoluendi extra sacramentum, ita neque ligãdi; & sic pœnitentem ligare non poterit ad nouam ponẽdam satisfactionem extra sacramentum.

Dixi præcedentem sentẽtiam scholasticè, semper mihi fuisse visam probabiliorẽ; quia practicè recedendũ non est à contraria sentẽtia, quod nimirum secundus Confessarius possit intra sacramẽtum, eam facere mutationem; dixi in-

intra sacramentum, quia mihi eorum non placet sententia, apud Dianã to. 1. tract. 15. resol. 53. qui dicunt secundũ Confessarium, etiam extra sacramentum illam posse facere mutationem, vt modo dicebamus. Practicè ergo hæc secunda sententia sequenda est, quia saltem ex principio extrinseco probabilis est, illã enim sequuntur Theologi cõmuniter, illis paucis exceptis, qui pro prima sententia sunt vocati. Tum quia iste est cõmunis Confessariorum vsus, & fidelium sensus. Ad rationem pro præcedenti sentẽtia adductam, responderi potest (vt est probabilis multorum sententia, apud Dianam vbi supra) non debere pœnitentem de nouo illa peccata cõfiteri, vt satisfactionis recipiat mutationẽ, sed sufficere, quod illi dicat in confessione illam satisfactionem quam vult cõmutari, per quam sufficienter cognoscit secundus Confessarius, primam peccatorum confessionem, & per illam referre potest ad primũ sacramentum, actionem commutatiuam, & pęnitentiam ipsã; non est autem necesse, quod ista formaliter intendantur, sed sufficit quod virtualiter.

Vnum dubiũ mouet Diana ibidem, an secundus Cõfessarius, qui non habet potestatem absoluendi à reseruatis, super quibus pœnitentia data est à superiore potente illa tollere, possit adhuc pœnitentiam illam commutare? & affirmatiuè cũ alijs respondet, quia in primis per absolutionẽ reseruatio ablata est; & etiã quia licet peccata reseruata fuerint, pœnitentia tamen imposita reseruata non manet.

Quæres vltimò, an pœnitentia præseruatiua commutari possit? Respondetur affirmatiuè, in aliam nimirũ præseruatiuam, imò etiam in aliã non præseruatiuam, quando illius necessitas cessauit, vel alio modo prouideri potest. Addunt aliqui posse etiã tolli, quando eius necessitas ablata est, vel alio modo prouideri potest, secus esset si talis pœnitentia, esset non solum præseruatiua, verum etiam satisfactoria, vt communiter contingit.

DISPV-

DISPVTATIO DECIMA TERTIA

De indulgentijs.

INdulgentiæ nomen capitur aliquando, in mala parte, pro nimia, videlicet, facilitate, vel condonandi pœnam; quomodo iudex, vel superior non puniés subditorum transgessiones, quando id facere deberet, indulgens vocitatur: vel etiam pro nimia facilitate Prælati concedendi subditis, quod petunt, etiam contra religionis obseruantiam. Aliquando etiam indulgentiæ nomen accipitur pro discreta facilitate vel ad relaxandam pœnam, vel ad concedendum subditis, quod rationabiliter petunt. Vnde malè dixit Laurentius Valla lib. 4, elegantiarum, malè facere Theologos dum hoc nomine in bonã vtuntur partem, cum non solum Theologi, & Sancti Petres vt D. Cyprianus Epist. ad Iouinianum: D. Hierony. in c. 4. Donialis: D Augustinus in Psal. 101. & alij, verũ etiam Ecclesia ipsa non infrequenter eo vtatur nomine in bonam partem, vt in multis collectis videre licet. Ergo Theologi, & nos cum illis dũ hoc vtuntur nomine in præsenti materia, in bonam partem vtuntur pro discreta scilicet pœnæ relaxatione peccatis debitæ, quæ discreta relaxatio ex opere dicitur operato, quia maiorem remittit pœnam, vi sua, & applicatione, quam propriæ correspondeat satisfactioni. Igitur per indulgentiam, intelligimus modum obtinendi pœnæ temporalis remissionem, absque propria peccatoris satisfactione, vel satispassione. qui modus communis est viuis, & defunctis, sicut & modus

dus subueniendi alijs per suffragia; licet differant in hoc, quod suffragia, priuata, & particulari, offerri possunt potestate, indulgentiæ vero nō nisi publica, cum iurisdictio ad id requiratur. Vt autem hæc materia maneat explicata sit.

QVAESTIO I.

An sit indulgentia, & quid sit: Vbi aliquæ curiosæ difficultates explicantur.

PRimi, qui indulgentias negauerunt fuere Vualdenses, qui pauperes de Lugduno dicebantur. Post Vualdens illas negauit Vuicleph. Post hunc Ioannes Hus. Et vltimo Martinus Lutherus, qui primò indulgentias vocabat, *pias fidelium fraudes*, & eas nihil Purgatorij animabus prodesse. Postea vero vocauit illas, *impijssimas Pontificum fraudes*.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Datur indulgentia; seu in Ecclesia est potestas concedendi indulgentias tam viuis, quam defunctis*. Hæc conclusio est de fide.

Probatur primò ex illo Matt. 16. & 18. & Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*? Et: *quodcūque ligaueris super terram erit ligatum, & in cælis, & quodcunque solueris super terram erit solutum, & in cælis*. Quorum verborum planus sensus est, quod in Ecclesia sit potestas remittendi peccata perfectè, nempe, & quoad culpam, & quoad pœnā, quoad culpā per sacramenta; quoad pœnam per indulgentias; si enim illa verba de solo procederent pœnitentiæ sacramēto, cum hoc per se culpam, non pœnam, saltem totam non habeat relaxare, integra non esset in Ecclesia potestas auferendi, seu delendi peccata

cata perfectè, & absolutè, vt illa verba sonant, cum absolutè, de peccatorum remissione procedant. Plura alia Sacræ scripturæ loca adducũtur in huius veritatis confirmationem, quæ causa breuitatis omitto, videri tamen possunt in controuersistis.

Probatur secundò ex Conciliorum definitionibus, definita namque est hæc veritas in Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. & in Tridẽtino sess. 25. in decreto speciali de indulgentijs: vbi sic definitur: *Cum potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque huiusmodi potestate diuinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa, vsa fuerit: sacrosancta synodus indulgentiarum vsum, Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorũ auctoritate probatum, in Eccelesia retinendum esse docet. & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

Sed obicies primò, si indulgentiarum vsus verè daretur; homines tardiores efficerentur, & negligentiores, & tepidiores ad opera virtutum exercenda, quibus suorum pęnas peccatorum relaxarẽt, ob spem obtinendę relaxationis per indulgentias, atqui hoc absonum videtur; ergo.

Respondetur quod ex indulgentiarum vsu homines non fiunt tepidiores per se loquendo, sed feruentiores; quia occasione lucrandæ indulgentiæ, crescit deuotio, & Charitas erga Deum, & Sanctos, & obedientia, & reuerentia erga Pontificem, cui Deus non dedit bona temporalia distribuenda, sed maximè spiritualia. Benè verum est, quod in principio nascẽtis Ecclesiæ indulgentiarum vsus non erat ita frequens, quia non erat ita necessarius, cum tunc temporis fideles, essent feruentiores, & robustiores in spiritu, & sic minus pœnæ esset per indulgentias relaxandum, & modo merito frequentiores conceduntur à Pontificibus indulgentię, quia fideles sunt tepidiores, & parum pœnitentes, ac proinde indulgentijs iuuari debent.

Xxx Obij-

Obijcies secundò. Si Ecclesia haberet potestatem concedendi indulgentias, deberet hæc potestas esse, vel ordinis, vel iurisdictionis, vel vtriusque simul; Atqui non est; ergo illam Ecclesia non habet. Quod non sit ordinis probatur, quia videmus Cardinales non presbyteros ex Pontificis commissione indulgentias facere. Quod neque sit iurisdictionis patet, quia sicut in religionis Prælato eleemosinas facere, prouidere, vel curare infirmos non est actus iurisdictionis, sed est actus curæ pastoralis, ita in Pontifice non erit actus iurisdictionis, sed curæ pastoralis. Neque vtriusque simul, vt patet, ergo.

Respondetur potestatem Ecclesiæ faciendi indulgentias esse iurisdictionis spiritualis, quam habet à Christo, & hæc potestas non est ad ligãdum, sed ad soluendum. Per quæ patet differentia inter potestatem iurisdictionis ad absoluendum à culpa pœnitentem, & ad ipsum liberandum à pœna per indulgentiã; potestas namque absoluendi licet sit iurisdictionis, supponit tamẽ potestatem ordinis, vt alibi docuimus; at vero potestas concedendi indulgentias, est pura iurisdictionis potestas. Deinde licet potestas absoluendi à culpa, aliquam faciat absolutionem à pœna, hæc tamen absolutio, non est indulgẽtia, sed potius satisfactio, & punitio; non enim illam facit per se primò, sed secundariò, & consequẽter, & per modum punitionis, non remissionis &c.

Quid autem sit indulgẽtia, seu quænam sit eius definitio, variæ sunt Theologorum sententiæ, & variè definitur. Celebris apud modernos, est P. Suarez definitio, quod indulgentia sit; *quidam actus spiritualis iurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra sacramentum*. Sed hæc definitio non videtur indulgẽtiæ definitio, sed spiritualis potestatis in concedente existẽtis, qua indulgentiã facit pœnarum, indulgentia enim non est actus concedentis illam, seu actus illius iurisdictionis, vel potestatis, qua concedens

illam

illam concedit? nõ est indulgentia in genere actionis, sed passionis; non est indulgentia in concedente (licet sit actus quo conceditur) sed in recipiente; nullus vnquam dixit, quod concedens indulgentiam, illam recipiat: *actus spiritualis iurisdictionis*, non est indulgentia, sed indulgentiã causat.

Hac ergo & alijs relictis definitionibus, sic possumus indulgẽtiam breuiter definire: Indulgentia est *pœnæ remissio*; cum enim definitio solo genere, & differentia constare debeat sub duobus tantum nominibus poni debet, vnum stat loco generis, aliud loco differentię; remissio ergo est indulgentiæ genus, quod de omnibus remissionibus prædicatur; *pœnæ* stat loco differentiæ; licet enim sint plures pœnæ, absolutè tamẽ, & simpliciter, & per antonomasiam nomine pœnæ illa venit, quæ peccatis correspõdet; aliæ nãq; pœnæ in huius comparatione nomen pœnæ non merentur: ad ista duo nomina, alia, quæ in aliorum ponuntur definitionibus, reuocantur; vt quod sit remissio ab habente potestatem; remissio namque absolutè fieri non potest nisi ab potestatem habente: quod fiat ex Ecclesiæ thesauro: certum namque est Ecclesiam alium non habere erarium, nisi satisfactionum Christi, & Sanctorum, quæ Ecclesiæ thesaurum constituunt. Ex sequenti tamen quæstione, magis huius definitionis bonitas elucescet, explicantes an indulgentia sit remissio, seu absolutio, vel pœnæ commutatio; antequã tamen ad illam accedamus, placet aliquas difficultates, curiosas satis, explicare.

Prima difficultas, an melius sit conferre peccuniã in eleemosynam, vel ad lucrandam indulgentiam? Respondetur quod per se loquendo melius est pecuniam dare ad lucrãdas indulgentias, quam in eleemosynã, præsertim, quando indulgentia pro defunctis lucratur, quia tunc etiam perfectissima adest elemosyna: imò etiam quando indulgentia pro se lucratur, nisi aliunde graues sint pauperum necessitates, charitas namque

magis inclinat ad prouidendum sibi, præsertim in bonis spiritualibus, quam alijs, maximè in temporalibus, quando aliunde necessitas non grassatur.

Secũda difficultas, an perfectius sit velle pœnas proprijs peccatis debitas in Purgatorio soluere, an per indulgentias cassare? videtur enim opus summè perfectionis, nõ contentari, huius vitæ pœnis, verum etiam velle, propter Dei amorem, longo etiam tempore, pati in Purgatorio? Respondetur esse quidem actum perfectionis, velle pati in Purgatorio, & velle peccatorum pœnas ibidem soluere, sed non ob id cessare debemus à boni operis exercitio, vnde ob patiendi in Purgatorio, desiderio, non debemus indulgentias relinquere, ne liberalem Dei largitatem contemnere videamur.

Tertia difficultas, an remissio pœnæ, quæ per indulgentiam fit, prosit, seu valeat solũ in foro Ecclesiæ, an etiam in foro Dei, ita quod maneat omnino cassa, & Deus non amplius possit illam pro illo peccato exigere? Respondetur affirmatiuè, & est omnino certum; cum enim hæc pœnę remissio, fiat per applicationē satisfactionum Christi, & Sãctorum, quæ vim habent maximè in foro Dei, sequitur, quod talis pœnæ remissio pro Dei foro valeat.

QVAESTIO II.

An indulgentiæ largitio, sit vera, & iuridica remissio, vel absolutio, an solum solutio, vel pœnæ commutatio.

Hæc quæstio excitari potest tam de indulgentijs, quæ viuis, quam de illis, quæ defunctis conceduntur; excitabitur tamen potissimè de illis, quæ viuis conceduntur,

tur, & postea dicetur aliquid de illis, quæ defunctis largiũtur.

Olim defendi indulgentiæ largitionem non esse propriè remissionem, seu iuridicam absolutionem, sed pœnæ commutationem, seu permutationem. Colligebam hoc ex D. Thoma apud Toletum lib. 6. cap. 22. dum dicit: *Indulgentiam esse cõmutationem pœnæ, pro pœna*, seu commutationẽ pœnæ, qua vnius pœna, in alterius pœnam mutatur. Pro quo supponebam id quod est omnino certum, vt postea videbitur, Ecclesiæ thesaurum coalescere ex satisfactionibus seu pœnis, quas Christus pro nobis sustinuit, quas sustinuit B. Virgo, & ex pœnis redundantibus Sanctorũ: & sic, posito hoc, discurrebam; dum Indulgentia Petro conceditur pœnam debenti vt centum, datur pœna, vel Christi, vel Virginis, vel alicuius Sancti vt centum, ex existentibus in Ecclesiæ thesauro, & sic datur pœna, pro pœna; dare autem pœnam pro pœna; est cõmutare pœnam pro pœna, in quo ratio saluatur iustitiæ, quæ in pœnarum remissionibus pro foro Dei saluari debet, ne maneant peccata impunita, contra iustitiæ punitiuæ rationem. Saluatur inquã iustitiæ ratio, quia in tali commutatione tantũ datur, quantum debetur. Non negabam tamen etiam aliqualem interuenire misericordiã, quod exemplo manifestabam: sit enim quispiam debitor, seu damnatus ad triremes, si alius illius loco constituatur, qui talem subeat pœnam, alio dimisso, tunc aliqua intercedit misericordia. in eo quod acceptatur iste, & alius dimittatur, est tamen principalius iustitia, cum re vera tantum pœnæ detur, quantum debetur. Sicut ergo in allato exẽplo non est absolutio, vel remissio, sed pœnæ commutatio, aliquam supponens misericordiã ex parte acceptantis, ita in nostro casu, licet sit aliqua misericordia ex parte Dei acceptantis pœnam pro pœna in satisfactionem, est tamẽ principalius iustitia, aliquo modo commutatiua, cõsistens in permutatione rei, pro re, seu pœnæ pro pœna.

Cum

Cum autem remissio, seu absolutio non dicat in suo formali conceptu iustitiam, sed misericordiam, sequitur, quod in ea consistere nequeat indulgentiæ ratio. In foro sacramentali pœnitentiæ, dicitur homo verè absolui à peccatis, quia non ex suis meritis, vel ex eo quod aliquid de suo soluat, sed quia ex Christi meritis per sacramentum applicatis absoluitur misericorditer; absoluitur quis ab excommunicatione, à carcere, à triremium pœna, à morte, &c. quia misericorditer soluitur, & liberatur, nō quia per commutatiuam iustitiam tantum soluat, quantum debet. Tum quia absoluere, est cōdonare quod debetur; Ecclesia autem talem non habet auctoritatem pœnas peccatis debitas condonandi, cū hoc sit potestatis excellentiæ Christi, Ecclesiæ non communicatæ, solum namq; Ecclesia potestatem habet, per virtutem clauium, applicandi satisfactiones thesauri, vt homines soluātur. Hæc doctrina colligi videtur ex *extrauag. Vnigenitus*, quæ est Clem. VI. vbi indulgentiarum fundamentum non aliud ponitur, quam thesaurus meritorum Christi, B. Virginis, & Sanctorū, qui thesaurus per Ecclesiam dispensatur, & sic Ecclesia dum indulgentiam cōfert, non absoluit, sed thesaurum dispensat, vel de thesauro soluit, quantum accipiens illam, soluere debet. Armilla V. indulg. num. 6.

Sed modo re melius considerata puto, indulgentiam esse quidem commutationem, seu solutionem, vt hucusque dicta ostendunt sed principalius esse absolutionem. Pro quo nota, quod in indulgentiæ largitione loqui possumus vel de Deo pœnam acceptāte, seu satisfactionem thesauri, pro pœna, vel satisfactione, vel loqui possumus de accipiente indulgentiam, vel de Prælato summo, vel delegato largiente: si loquamur de Deo acceptāte, dico quod respectu illius rigorosa nō intercedit iustitia, sed summa liberalitas, & misericordia, quia contentatur pœna filij sui, Virginis, vel sanctorum, pro pœna ipsius rei, & hoc ma-

maximè attenditur; si loquamur de ipso indulgentiam recipiente, nulla intercedit iustitia, nulla solutio, nulla cõmutatio; nihil enim ipse soluit, nihil largitur pro pœna, vel satisfactione, quam exhibere tenetur, sed merè passiuè se habet; si autem loquamur de Ecclesia indulgentiã concedente, negari non potest, quin aliqua intercedat iustitia: soluit enim Ecclesia pœnam illam, vel satisfactionem de thesauro suo, quam alter soluere debet: quia tamen hoc totum facit misericorditer, etiam misericordia intercedit, quia tamen hanc misecordiã facit in virtute, & potestate clauium, quæ potestas in duobus illis fundatur principijs: *Quodcũque solueris super terram &c. & quorum remiseritis peccata, remittentur eis*, sequitur quod sit remissio iuridica, seu absolutio; vnde indulgentia dicẽda est misericordiosa absolutio, seu remissio, quod ipsum indulgentię nomen sonare videtur, indulgere namque relaxare est, quod est nomen misericordiæ, non iustitiæ; quod innuere videntur Pontifices, dum in indulgentiarum formulis, vel diplomatibus, dicere solent: misericorditer indulgemus, & per hæc patet ad obiecta, nihil enim aliud probant, nisi quod in indulgentiarum largitione, etiam aliqua intercedat iustitia, quod nos libẽter concedimus. Videatur Caietanus in opus ad Iuliũ Medicem. & Sotus dist. 21. q. 1. art. 2. concl 3. Nugnus hic q. 25. art. 1. & alij communiter.

Disputant hic Theologi, an hęc resolutio procedat etiã quoad indulgentias, animabus Purgatorij, concessas? Respondetur quod non, est communis Theologorum sẽtentia. & ratio est, quia licet indulgentiarum concessio respectu animarũ Purgatorij sit vera pœnæ solutio, non tamen est absolutio, seu iuridica remissio: est vera pœnæ solutio, quia Pontifex ex Ecclesiæ theauro tantum pro illis soluit, quantum soluere debent, non tamen est iuridica remissio, seu absolutio iudicialis; qui iudicialis absolu-

ſolutio non niſi ad ſubditos extenditur; in non ſubditum namque iudicis poteſtas non extenditur, Atqui purgantes animæ, Pontificiæ non ſubdũtur iuriſdictioni; ergo. Sicut enim Pontifex nõ poteſt purgantes animas ligare. neque ſoluere poterit. Nec valet quod ſoleat Eccleſia non nũquam defunctos excommunicare, & ab excommunicatione abſoluere; Nam in tãtum Eccleſia defunctos excõmunicare, dicitur, in quantum declarat eos, dum inter viuos degerent excommunicationem incurriſſe; aut in quantum viuentibus interdicit communionem cum defuncto, quæ publicis fit orationibus: & intentum abſoluere dicitur ab excommunicatione defũctos in quantum permittit viuos cum defunctis communicare, ſeu publicè pro illis orare, vel oblationes offerre, vel in quantum declarat eos excommunicationem non in curriſſe dum inter viuos eſſent.

Sed petes 1. an clauiũ poteſtas, cum Eccleſiaſtica reincidat poteſtate? Reſpõdetur quod non; magis namque patet clauium poteſtas, quam iuriſdictio, ſeu poteſtas Eccleſiaſtica; quod patet, quia clauium poteſtas ad defunctos ſe extendit, dum per illã ex Eccleſiæ theſauro pro animabus purgantibus ſoluit; at vero poteſtas, ſeu iuriſdictio Eccleſiaſtica, nec ad defunctos ſe extendit, cum non ſint ſubiecti Pontifici, nec ad theſaurum, cum iuriſdictio perſonam reſpiciat, non res alias;

Petes 2. quomodo differat reſpectu defunctorum, indulgentiarum conceſſio, à ſatiſfactione, qua vnus pro alio ſatisfacit? Reſpondetur differre duplicitur. Primò quia indulgentia, publica fit auctoritate, ſatisfactio vero priuata, vt etiam ſupra notauimus. Secundò quia indulgentia fit per diſpenſationem boni cõmunis, ob idque publicam requirit poteſtatem. At vero ſatisfactio fit per applicationem boni priuati, ad quam nulla requiritur poteſtas, ſed ſola applicantis ſufficit voluntas.

Petes tertiò, quomodo intelli-

intelligi debeat cap. *quod autem*, de pœnitentijs, vbi dicitur quod indulgentiæ solis subditis concedantur? Respõdetur quod intelligi debet de illis indulgentijs, quæ primariò per modum absolutionis conceduntur; non de illis, quæ per modum solutionis; hæc namque etiam non subditis, vti sunt animæ purgantes, largiuntur.

QVAESTIO III.

Quos effectus pariat indulgentia. Vbi aliquæ difficultates resoluuntur.

NOn remittit indulgentia peccata mortalia, quia hoc est sacramentorum proprium; nec peccata venialia ratione sui, an autem ratione operis iniuncti, in quantum quod Ecclesia illud eleuat in sacramentale, diximus de sacramentalibus, probauimus enim ibi, id omnino dici debere, alioqui vel raro, vel nunquam quis indulgentiam lucraretur plenariam, vt ibi ostendimus. Neque deseruiunt indulgentiæ ad remissionem pœnæ in foro externo siue Ecclesiastico, siue ciuili, debitæ. Neque tollunt pœnitentias medicinales à Confessarijs, pœnitentibus imposítas. Vnde difficultas solum esse potest, an indulgentiæ effectus sit solum remittere illas pœnitentias, quæ à Cõfessarijs iniunguntur, vel secũdum antiquos canones iniungi deberent, sed propter fidelium infirmitatẽ, non amplius iniunguntur, an etiam remittant pœnas, quæ pœnitentijs illis in purgatorio respondẽt. Aliqui volunt indulgentias solum remittere pœnas iniũctas, vel quæ secundum antiquos canones iniungi deberent; & ratio horum est, quia indulgentiæ ab Ecclesia inductæ sunt, ob fidelium infirmitatem; videntes namque Pontifices, quod multi non

exequebantur pœnitentias à Confessariis iniunctas, prout antiqui statuebant canones, quia & nimis rigidæ erant, & nimis longæ, quia pro simplici mortali, annos septem pœnitentiæ, imponebant, & pro grauioribus alios plures; qui canones, licet essent accommodati pro prima illa spiritus ætate, quando fidelium feruor ebulliebat, non tamen pro sequentibus, quando feruor remissus, vel ferè extinctus fuit: ideo indulgentiarum vsum, qui ab Apostolis inceperat, ampliarunt Pontifices, & cæperunt concedere tot annos indulgẽtiarum, quadragenas, quinquagenas de iniunctis, taliter quod qui tales lucrabatur indulgentias non tenebatur illam pœnitentiam iniunctam exequi, secundum quod indulgentiæ correspondebat. Alij volunt quod indulgentiæ non solum relaxẽt pœnitentis obligationem de ponenda pœnitentia à Confessario imposita, verum etiã quod verè pœna peccatis debita remittatur ad indulgẽtiæ mensuram, & sic volunt semper remitti pœnas Purgatorij.

Vt rem hanc clarè, & breuiter explicemus: suppono 1. Summum Pontificem, vel ab ipso delegatum, posse per indulgentias remittere, nomine Dei, ex iusta causa pœnitentias iniunctas, & ratio est, quia Pontifex habet potestatem à Christo ligandi, & soluendi; ergo si potest soluere pœnitẽtem per indulgentiam, à pœnis peccatis remissis, debitis, poterit etiam eundem pœnitentem soluere, quantum ad hoc; quia licet verum putem, per indulgentiam auferentẽ peccatorum confessorum pęnas, cessare obligationem ponendi satisfactionem pro illis, cum tunc non sit necesse, per cessationem pœnę, tamen puto aliunde debere semper aliquam poni, ob integritatem sacramenti; est enim de iure diuino, quod sacramentũ voluntariè, & sine necessitate nõ ponatur mutilum, vt disput. præcedenti fuit visum. Puto tamen quod quando indulgentia est lucranda, vel iubileum, possit cõfessarius leues imponere pœnitentias, monendo pœnitẽtem, vt pro pœnis, peccatis confessis, debitis, indul-

indulgentiam, vel iubileum applicet, vel lucretur. Idem facere poterit, quādo eundem reperit pœnitentem multis pœnitentijs, in ante factis cōfessionibus, datis, grauatum, tunc enim poterit applicare illarum satisfactionum loco aliquam indulgentiam, vt est indulgentia plenaria salutationis Angelicæ, &c.

Suppono secundò, per indulgentiam semper remitti peccatorum pœnas; & sic, pœnitentem non solum liberari ab iniunctis, verum etiam à pœnis, respondentibus saltē, pœnitentiæ iniunctæ, quæ solui debebant, vel in hac vita, vel in Purgatorio. Hoc certum est inter catholicos, cum enim Ecclesia per indulgentias id facere possit, credendū est de facto id facere, alias per indulgentias potius obesset recipiēti, quam prodesset, nam recipiens accipiendo indulgentiam liberaretur à Cōfessarij pœnitentia ponenda, non à pœnis, peccatorum cōfessorum, debitis, & si illam indulgentiam non lucraretur, per satisfactionē, vel per pœnitentiæ exequutionē ex opere operato, etiam à pœnis liberaretur. Vnde qui lucratur indulgentiam plenariam omnium pœnarum quas debet, ab omnibus Purgatorij pęnis liberatur, & ab omnibus pœnitentijs iniunctis in puram peccatorum punitionem, non tamen à pœnitentijs iniunctis in remedium, & medicinam peccatorum, nec prout sunt sacramentorum factorum cōplementa. His positis difficultas potissima inter Theologos ad hoc reuocatur, an de facto per indulgentias, quæ sunt in vsu, solum pœna remittatur, quæ correspōdet pœnitentijs à Confessario iniunctis, an etiam remittatur pœna alijs peccatis correspondens, pro quibus ille pœnitentiæ non sunt iniunctæ.

Prima sententia est, quod sola pœna remittatur, pro qua pœnitentia iniuncta fuit. Ita Caietanus opusc. de indulg. cap. 2. & 7. Petrus Soto lect. 2. Durādus, Paludanus, & Adrianus, apud Suarez disput. 50. sect. 3. nu. 2.

Secunda sentētia est, quod indulgentia ad vtranque pœnam extendatur. Hanc sequi-

tur Suarez, post alios quosdã quos pro se refert.

Nostra sententia sequenti explicatur cõclusione. *Quando in indulgentia concessione declaratur, esse pro iniunctis pœnitentiis, solum pœnæ debitæ illis peccatis, pro quibus pœnitentiæ iniunctæ sunt delentur: quando vero indulgentia absolutè conceditur, & pœna debitæ illis peccatis, pro quibus pœnitentiæ iniunctæ sunt remittuntur, & etiam ille, quæ alijs peccatis pro quibus il e pœnitentiæ iunctæ non sunt.* Hanc sententiam sequitur Dominicus Sotus, Nauar. Ledesma, Corduba apud Suarez supra, & communiter moderni, & ita declarasse dicitur Pius V. priuatim interrogatus. Hæc cõclusio ex se clara est, cum sit conformis indulgentiarum formulis quibus standum est, nisi de opposito clarissimè cõstat, & etiam conueniat cum communi dicto, quod indulgẽtiæ, tantum valent, quantum sonant. Sed vt hæc difficultas vndequaque soluta maneat, aliquas proponamus difficultates.

Prima difficultas est, an ad hoc, quod indulgentia suum producat effectũ requiratur, quod qui illam lucratur sit in gratia? Conueniunt ferè omnes Theologi, quod ad hoc, quod indulgentia suum producat effectum, non requiritur gratiæ status, pro eo tempore, quo præscripta opera, saltem omnia exequuntur, vt patet in Iubileo; nõ enim necesse est quod lucrans illud, in hebdomadæ principio quando incipit præstare opera designata, vt visitare Eccle sias, facere eleemosynam, &c. sit in gratia, alioqui deberet primum opus faciendum esse cõfessio; vnde videmus, quod fideles relinquunt pro vltimo opere confessionem, & communionem. Et huius rei ratio est, quia indulgentiæ effectus, non causatur ex opere, quod Pontifex præscribit, sed ex satisfactionibus Christi, & Sãctorum; ergo quamuis illud opus fiat in statu peccati, ac proinde satisfactorium nõ sit, indulgentia obtinebitur.

Tempus autem quo indulgentia causatur, est illud instans, in quo verum est dicere nunc omnia oper præscripta, sunt

sunt perfecta; an autem hoc instans sit intrinsecum, vel extrinsecum diximus de *sacram. in genere*; vnde si concedatur indulgentia ieiunantibus feria sexta, vel sabbato, cum primum dies censetur elapsa, indulgentia lucratur, licet lucrans tunc de ea non cogitet. An autem opus præscriptum debeat esse bonum, & quomodo, sequenti difficultate dicetur.

Difficultas ergo præsens stat in hoc, an gratiæ status requiratur ad hoc vt indulgētia ipsa lucretur. Vt nostram intelligas resolutionem nota, quod sicut in sacramētis aliud est suscipere sacramentum, & effectum simul, & aliud est suscipere sacramentum tantum; ita in præsenti aliud est suscipere indulgentiam, & effectum eius, nempe pœnæ remissionem, & aliud est suscipere indulgentiam tātum. Hoc posito. Dico primò: *ad hoc, quod indulgentia recipiatur, & effectus eius, gratiæ status requiritur*; ratio est, quia pœna non remittitur inimico, vt supra de satisfactione docuimus, nec relaxatur pœna, culpa remanente, sicut in sacramentis, non ponitur sacramentum cum suo effectu, peccato durante. Dico secundò: *potest quis indulgentiam recipere sine suo effectu, sine gratiæ statu; sicut sacramenta quando informia recipiuntur*. Procedit conclusio in duplici casu. Primus quando contritio, & confessio non petuntur à Pontifice; tunc enim qui requisita præstat in mortali, indulgentiam lucratur, non tamen effectum eius, qui effectus postea producetur obice sublato, ad eum modum quo sacramentum informe suum producit effectū, ablato obice: manet autem illa indulgentia in aliqua determinatione, eo modo proportionali, quo diximus manere sacramenta informia; vel dicitur indulgentia acquisita manere ratione iuris acquisiti ex operum illorum positione, &c. Secundus casus quando præscribitur quidem confessio, & contritio, sed homo bona fide credit nihil contritioni, vel confessioni defuisse; licet enim tunc propter defectum oculum, & inculpabilē,

gra-

gratia non recipiatur, recipitur tamen indulgentia, cum non sit credibile, piam matrē Ecclesiam, velle hominem illum, bona fide procedentē, Ecclesiæ thesauro priuare. Nō lucraretur tamen indulgentia, quando contritio, & confessio exigerentur tanquam dispositio ad indulgentiam, & quis ex proposito, vel ex obliuione illa relinqueret. Dixi quando exigerentur tāquam dispositio ad indulgentiam, quia quando vt purum opus ponendum, præscriberentur, adhuc indulgentia lucraretur, sicut lucratur in duobus casibus dictis.

Secunda difficultas, an ad hoc quod indulgentia suum producat effectum, requiratur quod opus præscriptum sit bonum moraliter, & in indiuiduo? Ex præcedentis difficultatis resolutione patet hoc nō esse necesse, si enim fieri potest in statu peccati mortalis, necesse non erit, quod sit bonum in indiuiduo, sed sufficit quod sit bonum in genere, seu ex genere suo. Tamen quia de hac re plures sunt scribentium sententiæ, vt obuiæ sint Lectori hanc difficultatem distinctè proponimus. Est ergo prima sententia, quod opus iniūctum debeat esse bonum in indiuiduo, & taliter, quod si quis in eo efficiendo venialiter peccet, indulgentiam nō consequatur; vnde si quis visitās Ecclesiam ex vanagloria peccet, quia ex eo motiuo talem facit visitationem, indulgentia nulla erit. Hanc sentētiā sequitur Nauar. de indulg. notab. 19. nu 6. post Adrianū quem ibi citat, Syluius q. 27. art. 1. & alij. Sed si hæc sentētia vera esset vè nobis, pauci namque essent qui indulgentias lucrarentur, vt patet.

Secunda sententia docet sufficere, quod opus iniunctum non sit malum mortaliter, eo quod peccatum mortale indulgentiam impediat, non veniale. Feber de Pœnit. dist. 19. q. vn. disput. 38. c. 7. nu. 214. Tertia sententia est Bellarm. & aliorum dicentium, quod si opus iniungatur ad placandum Deum, debet esse in indiuiduo honestum, & bonum, secus si ob alios fines iniungatur. Quarta sententia verior, & com-

communior est, quod sufficiat quod opus sit bonum, & honestum ex genere, licet in indiuiduo tale non sit, imò existimant aliqui Pontificem dū hæc opera iniungit non amplius requirere, quam requirat dum alia iniungit præcepta; vnde inferunt quod ad lucrandas indulgentias sufficiat ponere opus præscriptum, sicut in alijs sufficit præceptis. Ratio est quia opus præscribitur solum vt conditio, quæ conditionis ratio in opere ex genere bono saluatur.

Tertia difficultas, an ad lucrandas indulgentias habitualis sufficiat intentio? quis recitat Coronam B. Virginis, cui plenaria annexa est indulgentia; id tamen ignorat recitans, an talem lucretur indulgentiam? quis vnam recitat salutationem Angelicam quoties audit horologiū pulsari, ignorat tamen esse mille dies indulgentiæ, an illos lucretur? quis recitat Vesperi vt moris est, salutationem Angelicam, cui indulgentia plenaria annexa est; hoc ignorat recitans, an adhuc indulgentiam lucretur? &c. Negat Vega in summo to. 2. c. 7. cas. 1. & alij. Affirmat probabilius Diana p. 5. tract. 12. resol. 6. post Portellum, Sanctarellum, Laymanum, Salam, & Villalobum; & ratio videtur clara ex indulgentiarum formalis, in quibus dicitur conceditur talis, vel talis indulgentia, visitanti talem Ecclesiam, vel facienti tale, vel tale opus &c. absque vlla intentionis determinatione, ac proinde sufficiet ponere opus præscriptum, vt mox dicebatur. Vnde secūdum hanc sententiam si quis recreationis causa Ecclesiam visitet in qua est indulgentia, illam lucrabitur, quia reuera opus ponit præscriptum, securius tamē est formalem habere intentionem.

Quarta difficultas, an adhoc quod indulgentia suum causet effectum respectu defunctorum, requiratur, quod ille, qui talem pro defunctis indulgentiam lucratur sit in gratia? Respondetur negatiuè? Ita Præpositus hic dub. 10. ou. 39. Naldus V. indulg. nu. 7: Naua. notab. 22. Faber. vbi supra, c. 8. nu. 156. Granad.

nad. hic contro. 12. tract. 5. disput. 6. nu. 1. Trull. in Bull. cru. lib: 1. §. 6. dub. 4. nu. 1. & alij communiter, & ratio est quia id per quod purgantium animarum pœnæ relaxantur, non est opus illud quod præscribitur, quodque in mortali peragitur, sed sunt Christi satisfactiones, & sanctorum; ergo perinde est respectu animarum, quod lucrans indulgentias pro illis, sit in mortali. Adde quod illud opus, quod ab Ecclesia præscribitur, per quodque indulgētia defuncto applicatur, ab Ecclesia eleuatur, & illius nomine exequitur, ac proinde ex hac parte bonum est, vt supra de satisfactione, nomine Ecclesiæ, facta dicebatur.

Quinta difficultas, an adhoc vt indulgentia suum producat effectum sufficiat opinio probabilis, quod illa indulgentia sit; & loquendo de opere, sufficiat quod factū sit secundum sententiam probabilem? gratia exempli, est opinio probabilis, quod adhoc vt quis, siue pro se, siue pro defunctis indulgentias lucretur, non requiratur, quod opus præscriptum, in gratiæ statu fiat; si oppositum esset verum, & re vero Concedētis intentio esset, quod tale opus in gratia exequeretur, si quis illud in mortali exequaretur, an illi opinionis probabilitas suffragaretur, ita quod iurè indulgentiam lucraretur? Respondetur quod si opinio sit de ipsa indulgentiæ existentia, vtrum sit, vel non sit, opinio, quæ dicit illam esse, non facit esse, vt enim indulgentia sit, per cōcedentem esse debet, non per alterius opinionem: nec est credibile Pontificem velle eo casu, quod Ecclesiæ thesaurus dispensetur, præsertim cū ex hoc nulli damnum sequatur, excepta indulgentiæ carentia, quæ tantū non videtur esse damnum, vt Pontifex debeat eo casu illam concedere; alioqui omnibus & semper deberet indulgentias facere, ne homines illis careant. Si vero indulgentia iā sit, & currat opinionum varietas circa modum lucrandi illam, vt an opus debeat fieri in gratia modo dicto, an debeat poni, confessio, quando præ-

præscribitur, & aliunde, qui vult indulgentiam lucrari, nō habet nisi venialia: dico opinionis probabilitatem suffragari; cum enim vnusquisque velit actum suum sustineri, etiam de Pontifice hoc præsumi potest, & sic posita indulgentia, etiamsi talis esset intentionis, quod opus poneretur in gratia, quod confessio etiam venialium poneretur &c. quando id non constat, superiorem, & vniuersaliorem habet Pontifex intentionem, qua vult illam sustinere, stante opinionum probabilitate; vbi enim duę cōcurrunt intentiones, vniuersalis, scilicet, & particularis, in vtriusque concursu, illa præualet, nisi ista sit illius retractatiua, quod in præsenti non contingit.

QVAESTIO IV.

An Ecclesia habeat thesaurum, in quo Christi, & Sanctorum satisfactiones reponantur.

THesaurus propriè in rebus reperitur corporalibus, & definitur à iuristis, quod sit *vetus pecuniæ depositio, cuius non est memoria, ita vt Dominum non habeat:* Dicitur *pecuniæ depositio*, non quia etiam in alijs rebus pretiosis esse non possit, sed quia ita contingit regulariter. Hinc satisfactionum Christi, & Sāctorum depositio, metaphoricè thesaurus dicitur, primò quia est veluti pecuniæ depositio, cum per Christi, & sanctorum satisfactiones soluamus Deo pœnas, quas subire teneremur; hinc passio & mors Christi, nonnumquam à Patribus denarius vocatur, quia ex illa soluit, quod humanum genus, pro Adami peccato, soluere tenebatur. Secundò, quia cumulus ille, & aceruus passionū Christi, & Sanctorum, Dominum in terris non habet, cum nulli sit in particulari applicatus.

Ista autem spiritualis pecuniæ depositio non est in aliquo loco recondito, vt aliqui putant hæreticorum; non est in aliquo Pontificis cubiculo, cũ tales satisfactiones trãsierint, sed manent in diuina acceptatione, & sic, illa est locus in quo huius thesauri manet depositio, quia tamen, huius pecuniæ spiritualis dispensatio, commissa est à Christo Domino Pontifici summo, ob Christi ouium vtilitatem, ideo illa satisfactionum collectio, Ecclesiæ thesaurus dicitur. Est autem hic thesaurus cumulus, & collectio satisfactionum, non quarumcunque, sed illarum dumtaxat, quæ suum nõ habuerunt effectum, & sic, solæ istæ in diuinæ acceptationis receptaculo reponũtur, & thesaurum constituunt. Pro quo nota, ex communi Theologorum sensu, in opere bono quinque distingui. Primũ est ratio generica bonitatis, & hæc cum bonum faciat habentem, alteri nõ applicatur. Secundum, est ratio specifica, secundum quam in aliqua reponitur specie, & secundum quam, contrario opponitur vitio; & neque secundum hanc alteri applicatur, cum alterius vitium formaliter expellere nequeat. Tertium est ratio meriti, secũdum quod à charitate procedit, & neque hoc alteri applicatur, hoc enim est proprium meritorum Christi, quod alijs de condigno applicentur, in alijs vero est opus personale, cui Dei visio respõdet. Quartum est ratio impetrationis, ex diuina liberalitate, quæ non contentatur, quod opus abundantissimè præmietur, verum etiam illius intuitu, vult operantem alia petentem, exaudire. Quintũ est satisfactionis ratio, secundum quod opus est pœnale, & secundum hanc rationem est alijs applicabile; vnde si non fuit applicatum, nec operanti, quia non agebat, nec alijs ab ipso operante, in diuina manet acceptatione, seu in Ecclesiæ reponitur thesauro; quia autẽ Christi satisfactiones infinitæ fuerunt ob suppositi dignitatem infinitam, licet aliquæ suum fuerint sortitæ effectum, & quotidie sortiantur, dum per sacramenta, & indulgentias applicantur, tamen

men quia infinitæ sunt, semper thesaurus manet inexaustus, & vsque in infinitū Christi satisfactiones extrahi possunt, & nunquam finientur. Similiter, quia multi sācti plura fecerunt opera satisfactoria, nec ipsi tanta egebant satisfactione, nec alijs applicuerunt, ad Ecclesiæ Thesaurum transierunt, non enim rationabile videtur, quod Deus disperire permittat suorum satisfactiones seruorum. His positis.

Prima sententia hæreticorum est, non dari thesaurum satisfactionum Christi, & Sāctorum. Quam sententiam sequutus est Maior in 4. dist. 19. q. 2. Secunda sententia est Durādi in 4. dist. 20. q. 3. quod detur quidem thesaurus ex Christi satisfactionibus, non tamen Sanctorum. Tertia sententia esse potest quod detur thesaurus ex satisfactionibus Christi, non tamen ex satisfactionibus Sanctorum, sed solum ex impetrationibus illorum.

Nostra sententia sequenti explicatur cōclusione. *Datur Ecclesiæ thesaurus in quo reponuntur Christi satisfactiones, & Sanctorum*. Hanc conclusionem tenent omnes catholici contra hæreticos nostri temporis. Hæc conclusio expressè significatur in illis verbis Apostoli ad Colos. 1. *gaudeo nunc in passionibus meis pro vobis, & impleo & quæ desunt passioni Christi in carne mea*. Vbi Apostolus vult quod eius satisfactiones possent alijs applicari, & de hoc gaudet, & postea subdit: *pro corpore eius quod est Ecclesia*, quasi dicat nō solum ego possum meas alijs applicare satisfactiones, verū etiam possunt reseruari pro corpore spirituali Christi quod est Ecclesia. Clarius id docere videtur 2. Cor. 12. *Nec enim debent filij parētibus thesaurizare. sed parentes filijs, ego autem libentissimè impendam, & superimpendam pro animabus vestris*. Vbi vult Apostolus, quod sicut parentes temporales thesaurizant filijs, ita spirituales; ergo debent posse deponere parentes spirituales, sua bona in aliquo thesauro.

Quod in Ecclesiæ thesauro Christi satisfactiones reponā-

tur definiuit Leo X. in Bulla ad Caietanum tunc temporis Pontificis legatum in Germania, quam Bullam refert ipse Caietanus hac 3.p q 48 ar.5. Idem docet Clem. VII. *in Extrauag. Vnigenitus, de pœnit. & remiss.* Quod autem etiam Sanctorum satisfactiones redundantes in eodem reponãtur thesauro, docet idem Clemens VII. dum dicit: *ad cuius quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, & omnium Electorum à primo iusto, vsque ad vltimum merita adminiculum præstare noscuntur*. Idem definiuit Leo X. in Bulla citata. Et Pius V. & Gregor. XIII. in Bulla contra propositiones Michaelis Bai. Ratio patet ex dictis, quia non videtur conueniens, quod Deus permittat satisfactiones filij sui, & seruorum suorum, nullũ sortiri effectum. Tum quia, sicut in republica bene gubernata, est locus publicus, vbi publicæ reseruantur pecuniæ, pro eiusdem reipublicæ, & subditorum necessitatibus, ita in republica spirituali Christi, idẽ locus constitui debet; maximæ autem necessitates sunt, quas purgantes animæ patiũtur, ne ergo illæ patiantur tãtas necessitates, debent posse liberari, quod fit per satisfactiones dictas, & nos debemus id ipsum posse facere, ne etiam nos ad illas redigamur necessitates. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum est, quia non solum sancti pro suis meritis gloriam vltra condignum receperunt, verum etiã Christus Dominus suorum recepit meritorum cõdignum præmium, præmium namque quod Christus recepit nõ minus est infinitum, quam eius meritum, vt insinuare videtur Apostolus ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediẽs, &c. propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*.

Respõdetur quoad sanctos, quod re vera suorum receperunt præmia meritorum, vltra condignum; sed de meritis, nostra non procedit disputatio, cum merita fuerint sufficienter de condigno exhausta, licet quoad congruum valde probabiliter dici possit,

qu op

quod adhuc maneant in Ecclesiæ thesauro reposita, & medijs illis possint aliqua de congruo promereri, vel possint nobis de cõgruo prodesse; quod cõgrui meritum fortè petit Ecclesia dum sanctorum implorat auxilium, præsertim in publicis supplicationibus,& litaniis. Si vero de merito Christi sermo sit, certum est non fuisse exhaustum cum præmium receptum finitum fuerit; recepit namque gloriam corporis, sui nominis exaltationem,&c. Sed omnia finita sunt,& dato quod essēt infinita, adhuc non exhaurissent merita, cum sint infinities infinita: applicantur autem Christi merita cũ nobis gratia confertur, cum peccata remittuntur, siue extra sacramentũ, siue medio illo. Sed non loquimur de meritis, sed de satisfactionibus Christi, licet enim & merita,& satisfactiones Christi in thesauro reponantur Ecclesiæ, tamen per ordinem ad diuersa: merita vt nobis dona concedantur gratiæ, & peccatorum remissiones. satisfactiones, vt pęnę dimittantur peccatorum, siue extra sacramẽtum per indulgentias, siue in sacramento: vnde quando quis confitetur, sibi Ecclesiæ thesaurus aperitur,& quoad merita,& quoad satisfactiones, quoad merita, dum gratia confertur, & peccata dimittuntur; quoad satisfactiones vero, dum aliqua fit pœnæ remissio; alibi namque diximus, quod quoties sacramentum pœnitentiæ recipitur toties fit aliqua pœnæ remissio.

Secundum argumentũ pro Durandi sententia est, quia in sacramentis, sanctorum nobis non applicantur satisfactiones; ergo neque extra per indulgentias? Respondetur cõcedendo Antecedens, & negando Consequentiam, conueniens namque fuit, quod Sanctorum satisfactiones per indulgentias applicarentur, non per sacramenta, sacramẽta namque sunt nostræ religionis fundamenta, & præcipua nostræ reparationis instrumenta, ac proinde à solo Christo suam debebant habere efficaciam; at vero indulgentiæ non sic, & aliunde non debebant perire Sancto-

rum

rum satisfactiones, ac proinde applicari debebant per indulgentias; Vnde nullum est inconueniens quod Sancti assumantu r ad nostram absolutionem, & liberationem à pęnis extra sacramentum, imò in hoc valde honorantur; inconueniens autē fuisset, quod assumerentur in socios præcipuę nostræ liberationis, quę per sacramenta habetur.

Tertium argumētum, quia si thesaurus iste daretur satisfactionum Christi, & Sanctorum; sequeretur, quod perseuerare deberet etiam post diem iudicij; hoc videtur absurdum; ergo non datur. Sequela probatur, quia cum infinitus sit ex parte satisfactionum Christi, & pœnæ soluēdæ vsque ad finem mūdi sint finitæ, sequitur, quod finiri nō possit; quod autem hoc videatur absurdum patet, quia satisfactionū conseruatio post diem iudicij inutilis omnino videtur? Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationē dico, illud nō esse inutile, quod suo tempore suum produxit effectum: satisfactiones autē Christi suum habuerunt effectum, quoad plures quibus applicatæ fuere. Puto tamen taliter rem à Deo disponi, quod post iudicij diem, nihil remaneat satisfactionum Sāctorum, vt sic eius serui magis honorati remaneat, & sic in Ecclesiæ thesauro solæ Christi satisfactiones manebunt, quæ ante id tempus applicatæ non fuerunt.

Quartum argumentū: Pontifex dum indulgentiam concedit, non dicitur peccatorū pœnas remittere, auctoritate Sanctorum; ergo indulgentiam non facit ex satisfactionibus illorum. Antecedens videtur certum, nam potestas clauium, qua Pōtifex thesaurum apperit satisfactionum, non est à sanctis, sed à Christo Domino cum sit participatio quædam potestatis excellentiæ eiusdem. Consequentia probatur, quia si Pōtifex indulgentiam faceret ex sanctorum satisfactionibus, illas distribueret ex potestate illorum, cum nullus, alterius bona distribuat, sine illius auctoritate; ergo si Pontifex sāctorum satisfactiones per indulgen-

dulgen-

dulgentiam distribuit, ex illorum auctoritate id facit.

Respondetur concedendo Antecedens, & negando Cõsequenriam. Ad probationem dico, quod postquam sanctorum satisfactiones sunt in Ecclesiæ thesauro collocatæ; nõ sunt amplius sub dominio sãctorum, sed Dei, in cuius acceptatione manent; cũ enim iam transierint, non manent amplius sub satisfacientis potestate: sunt ergo tunc sub solo Dei dominio; ac proinde licet ille satisfactiones fuerint à Sanctis positæ, non tamen sunt amplius illorum, & sic nõ dicitur Pontifex peccatorum pœnas remittere, Sanctorum auctoritate: si autem quæras quid sit satisfactiones in diuina manere acceptatione, dico nil aliud esse, nisi quod Deus illas acceptauit, & veluti præsentes in sua memoria seruat, quatenus vult quod suo tempore suum consequantur effectum, nisi aliunde impediãtur à tali consequutione, ex defectu pœnarum remittendarum, quia non sunt in tanta quantitate, quanta est satisfactio, vt est satisfactio Christi: Vel in diuina manere acceptatione est illas conseruare in sua memoria, vt ab illis moueatur ad remittendam alteri pœnam, cum congruũ sit, quod Deus aliorum pęnas remittat intuitu pœnarum Christi, & Sanctorum, quæ suum non fuerunt sortitæ effectum. An autem Sancti dũ eorum nobis applicantur satisfactiones, dicantur aliquo modo, saltem secundariò, nos redimere, an non: affirmat Nugnus q. 25. art. 1. Negant melius alij, quia liberatio nostra à pœnis peccatis debitis, licet fiat per Sanctorum satisfactiones (quando per indulgentiam nobis applicantur) illa tamen applicatio, non fit à Sanctis, sed à Christo, vt autem dicerentur nos redimere Sancti, deberent nobis ex intentione redimendi suas applicare satisfactiones: Tum quia redemptio nõ accipitur, nec est per ordinem ad liberationem pœnæ temporalis, sed culpæ, & pœnæ æternæ.

Sed quæres primò, an in lege antiqua fuerit satisfactionum thesaurus? Respõdetur affirmatiuè, non tamen

sua

fuit indulgentiarum vsus: fuit thesaurus satisfactionum redundantium Sanctorum Patrum legis antiquiæ, quia & ille in diuina manebant acceptatione, nec erat conueniens quod suo frustrarentur effectu, vt definit Clem. VII. in Bulla citata, quatenus dicit; in hoc thesauro reponi sanctorũ satisfactiones *à primò iusto vsque ad vltimum*. Non fuit indulgentiarũ vsus, quia iste thesaurus per Christum aperiri debebat, hæc fuit Christi gloria, hæc nostra vtilitas.

Quæres secundò, vtrum iustus possit suas satisfactiones ex thesauro accipere; & alteri dare, vel sibi, si postea indigeat applicare? Respondetur quod non, ratio patet ex dictis; quia cum iustus nullum retineat dominium, suarum satisfactionum, postquã ad thesaurum transierunt, non potest illas extrahere nec vt alijs nec vt sibi egẽti applicet, ad extrahẽdas namq; satisfactiones, iurisdictionis potestas requiritur, quam habet Deus à se, qui misericorditer voluit tales recondere satisfactiones, & Pontifex à Deo, vt ex dictis liquet. Dixi qui misericorditer tales voluit recõdere satisfactiones, vt innuerẽ dominij radicẽ respectu Dei, harum respectu satisfactionũ, & dominijpriuationem respectu iustorum.

Nam cum satisfactiones ille, suapte natura destrui deberẽt, cessante actu satisfactorio, nec in satisfacientis, seu operantis potestate esset illas conseruare, vel facere quod Deus illas conseruaret; illarum ius amittit, quod ius ad Deum transijt, qui sponte sua & sua misericordia ad thesaurum vt conseruandas transmisit, distribuendas postea per indulgentias fidelibus indigentibus, vel etiam ipsi iusto si indigeat, sed medijs ijsdem indulgentijs. Sed dices si res Petri perire deberet, & Deus illam miraculosè conseruaret, adhuc Petri maneret; ergo etiam si sanctorum satisfactiones cum suis actibus perire deberent, si postea à Deo misericorditer cõseruentur, adhuc sub sanctorum dominio manebunt. Antecedens patet; nam si Petri domus

domus aquarum impetu, v.g. destrui deberet, & vir sanctus miraculosè illius conseruationẽ à Deo obtineret, adhuc domus Petri maneret, vt prius. Consequentia ex paritatis ratione constare videtur. Respondetur negando consequentiam, ratio discriminis est, quia domus manet sicut prius, & ad alium non transit statum; at vero satisfactiones non sic, quia re vera entitatiuè destruuntur, secundum totam earum realitatem, & alium statum nouũ ex diuina recipiunt misericordia, nempe dum Deus illas in sua memoria conseruat, vt illarum intuitu pœnas dimitat. Non nego tamen quin via impetrationis id fieri possit & obtineri vt Deus tuas tibi reseruet satisfactiones pro necessitatis tempore.

Quæres tertiò, an Ecclesiæ thesaurus solũ per indulgentias dispensetur? Respondetur ex dictis, quod Ecclesiæ thesaurus prout Christi continet satisfactiones applicatur & per indulgentias, & per sacramenta; prout vero sanctorum continet satisfactione per solas indulgentias applicatur, vt iam dictum est. Hæc resolutio procedit quando satisfactiones applicantur extra sacramenta per potestatem clauium, nam si loquamur absolutè possunt etiam extra sacramenta satisfactiones applicari à Deo, moto, & exorato sanctorum præcibus; nam potest Deus aliquam animam à Purgatorio liberare, à Beato, vel viatore exorato seu præcibus, & orationibus alicuius sancti, vel iusti inclinatus, applicando ipse de suo thesauro, absque recursu ad suum vicariũ; quia licet concesserit suo Vicario theauri clauem, ipse tamen Deus sua voluntate thesaurum aperit, clauditque.



QVAESTIO V.

De modo, quo indulgentiæ prosunt defunctis, vbi aliæ difficultates breuiter resoluuntur.

MOdum quærimus, quo indulgentiæ defunctis prosunt, quia quod absolutè prosint concors Theologorũ sententia est cum D. Thoma in 4. distinc. 45. quæst. 2. art. 3. quęstiun. 1. & ita firmauit Leo X. in Bulla contra Lutherum hoc negantem, & ante Leonem id ipsum firmauit Xystus IV. Innocentius VIII. Pius II. relati à Gabriele in addit. ad lect. 57. in canon. vbi veritate hac perspecta correxit quod prius falsò docuerat. Nec deest sufficiens ratio, quia sicut defunctorum animæ, viuorum suffragijs iuuari possunt, nempe ieiunijs, præcibus, eleemosinis, vt fides docet, & nos supra ostendimus, ita etiam indulgentijs iuuari poterunt; non enim negandum videtur, quod particulares fideles possint de suis bonis adiuuare defunctos, & nõ possit pia Mater Ecclesia, præsertim cum non adhuc omnino extra suã sint potestatem. Sed dices, Ecclesiæ potestatem concedendi indulgentias, ad solos viuos extendi, quia adhuc sũt super terram, non vero ad mortuos, qui sub terra sunt. vt patet ex illo Mat. 16. *Quodcunque ligaueris super terram & quodcunque solueris super terram*. Nam respondetur quod. *ly super terram* non ad homines, qui ligantur, vel soluuntur extenditur, sed ad ipsum ligandi, atque soluẽdi actum refertur; vnde illorum verborum sensus est: quod tu Petre dum in terra viuis ligaueris, vel solueris, ego in cœlis ligabo, vel soluam. Dici etiam potest quod *ly super terram*, accipiatur latè, prout cœlo contraponitur, quo modo; etiam Purgatorium venit. Adde quod licet *ly super terram* applicetur illis, qui

qui ligantur, & soluuntur, quod scilicet ij soluti maneãt in cœlis qui soluuntur in terra, tamen Christus Dominus non negauit, quod non possit Pontifex per datam sibi potestatem indulgentias defunctis applicare, nam vnum dixit aliud non negauit.

Est ergo certum indulgentias prodesse defunctis, difficultas est de modo; de quo Prima sententia est, quod indulgentiæ prosint defunctis, eodem modo, quo prosunt viuentibus, nempe non solũ per solutionem, sed & maximè per veram. & iuridicã absolutionem, eo quod illæ animæ sint sub Pontificis iurisdictione, vt sunt viuentes. Ita Michael Medina de indulg. disp. 7. cap. 34. & disp. 8. cap. 4. sed hæc sententia singularis est, & contra communem Theologorum sensum, imò contra modum loquendi Pontificum, dum dicunt indulgentias applicari defunctis per modum suffragij, non absolutionis. Videatur Bulla Leonis X. vbi clarè dicitur indulgentias applicari viuentibus per absolutionem, defunctis vero per modum suffragij.

Secunda sentẽtia est, quod applicare indulgentiam defunctis, non sit Põtificem immediatè concedere indulgẽtiam defuncto, nec viuenti, vt illam trãsferat in defunctum, sed sit Pontificem eleuare ex Ecclesiæ thesauro opera pia viuentium, vt non solum sint satisfactoria ex opere operãtis, sed etiam ex opere operato, si pro defuncto offerantur. Hanc sententiam defendit Lugo disput. 27. num. 20. Sed hæc sententia displicet, quia dum dicit quod Pontifex, pia fidelium opera eleuat, vt ex opere operato sint satisfactoria, vel vult quod hoc faciat applicando defunctis thesauri satisfactiones, vel nihil applicando, non hoc secundum, quia nihil ex opere operato, est satisfactorium pro pœna, nisi per satisfactionem superadditam, vel Christi, vel Sanctorum; esse namque satisfactorium ex opere operato est habere virtutem remittendi maiorem pœnam, quã opus suapte natura remittere valeat, hoc autem esse nõ po-

test, nisi per superadditionem virtutis satisfactiuæ, quæ alia esse non potest nisi satisfactio Christi, & Sanctorum. Non primum, quia vt ipse contra Suarez argumentatur, Pontifex non habet potestatem distribuendi thesaurum, nisi ad proptias oues, quę sunt ipsi viuentes, non mortui; vnde, inquit ille, si Dominus profecturus relinqueret arcam pecuniæ plenam ad œconomũ, data ei claue, vt interim prouideat domesticis, dicẽs: *accipe clauem, & prouide domesticis meis*, non posset œconomus de illa prouidere extraneis, aut soluere eorum debita; neque ob eandem rationem poterit talem pecuniam dare domestico, vt illam tribuat extraneo; ergo cum per illum auctorem Pontifex sit Christi œconomus, non poterit thesauri Christi satisfactiones dare fideli viuenti, ipsius opus eleuando, vt illas applicet defunctis. Deinde vel ille fidelis, cuius opus eleuatur, applicat Christi, vel Sanctorũ satisfactiones defuncto, vel applicantur à Pontifice; neutrum esse potest; ergo. Non à Pontifice, alioqui ipse Pontifex indulgentiam faceret illi defuncto, quod per illum auctorem esse non potest, cum non possit per illum, thesaurus dispensari nisi in viuos. Non à fideli, alioqui ipse indulgẽtiam faceret eidem defuncto, cum ipse pro illo soluat, quod ille debet. Dices, tales satisfactiones applicari defuncto, non à Pontifice, neque à fideli, sed per ipsius operis eleuationem, Pontifex namque eleuat opus, quod postea à fideli applicatur. Sed hoc est ludere verbis: certum namque est, quod satisfactiones non alligantur operi, glutino, vel vinculo aliquo, quãdo eleuatur, vt ex opere aperato valeat ad satisfaciendũ, vel remittendum pœnas peccatis debitas, neque recipit aliquam physicam virtuositatem, ratione cuius applicatũ defunctis, faciat in illis pœnę remissionem; non enim hæc opera sunt sicut sacramenta, quæ eleuari dicuntur physicè tamquam physica instrumenta ad suos producendos effectus; nam Põtifex non habet potestatem eleuãdi fidelium ope-

opera, ad hoc vt instrumenta physica faciunt pœnæ remissionem, cum nec ipsa sacramenta, quando pœnas remittunt, se habeant vt instrumenta physica, cum nihil tunc temporis physicè producant, sed moralia tantum, mouendo scilicet diuinam clementiam, ad hoc vt ad illorum præsentiam pœnas debitas relaxet: Si ergo Pontifex piũ eleuaret opus, ad hoc vt ex opere operato pœnæ faceret remissionem, ad summũ constitueret illud, vt instrumentũ morale, ad mouendam diuinam clementiam, ad hoc vt intuitu satisfactionum Christi, vel Sanctorum, tali defuncto, à fideli designato, pœnæ faceret remissionem. Vnde Pontificem eleuare opus, ad hoc vt ex opere operato, pœnæ faciat remissioné, nil aliud esse potest, quam illud opus deputare ad hoc vt diuina moueatur clementia, vt faciat pœnæ remissioné: Atqui hoc in sentẽtia illius auctoris esse non potest; ergo &c. Probatur minor, quia sic, indulgentia non à fideli defuncto dicetur applicari, sed ad ipsomet Pontifice, cuius opus eleuatum, est instrumentum; instrumentum namque illius est, qui eleuauit illud, vel deputauit (loquendo de instrumẽto morali.) Adde, quod si indulgentia defuncto applicaretur, per applicationé operis eleuati, non esset infallibilis, quod est contra illum auctorem; nam cum opus eleuari, sit ipsum deputare ad diuinam inclinandam clemẽtiam vel misericordiam, vt satisfactionum intuitu, pœnæ faciat defuncto remissionem, & hoc infallibilitatem non afferat, cum diuinæ innitatur misericordiæ, sequitur, contra eundem auctorem, indulgentiam, respectu defunctorum, infallibilem non esse. His positis.

Nostra sententia sequenti cõclusione explicatur. *Indulgentiam applicari defunctis per modum suffragij, est Pontificem soluere ex Christi satisfactionibus, & Sanctorum, quãtum ipsi defuncti soluere tenebantur; nõ autem est ipsos absoluere.* Hanc conclusionem sequuntur omnes ferè Theologi, videatur Suarez disput. 53. sect. 3. n. 12.

Nugnus

Nugnus q. 25. art. 1. Coninchus disput. 12. dub. 10. & alij. Explicatur conclusio; nam vt diximus q. 2. huius disputationis dum Pontifex viuis indulgentiam facit, non solum soluit, tantum ponendo de satisfactionibus thesauri, quantum ipsi debebant, verum etiam illos iuridicè absoluit, per veram, & propriam, quam in illos habet, iurisdictionem; ac proinde ex parte ipsius Ecclesiæ, indulgentiam facientis, ipsa indulgētiæ largitio, & est opus iustitiæ, quia tantum ponitur, quantum debetur, & est opus misericordiæ, in quantum Ecclesia reū misericorditer absoluit, cum ad id non teneatur. At vero si loquamur de defunctis, indulgentiæ largitio non est iuridica absolutio, cum hanc defunctis facere nequeat, sed est solummodo solutio, quia ipsa, non fideles, thesaurum aperit, & acceptis satisfactionibus soluit pro defunctis, quantum illi soluere debebant; Ob idque indulgentiæ largitio, defunctis fieri dicitur per modum suffragij, quia per talem solutionem suffragantur defuncti, ad eum modum quo fidelium opera, defunctis applicata, suffragia dicuntur, quia per illa soluitur, quod illi soluere tenebantur.

Sed dices, quod, si Pontificem defunctis indulgentiam facere, esset pro illis soluere, frustra, pia, requirerētur fidelium opera, sed ipse Pontifex posset absque illis, defunctis, indulgētias facere, atqui hoc non admittitur; ergo? Respondetur quod si sequamur illorum sententiam, qui dicunt, indulgentias concedi posse, sine opere aliquo, & sine causa validè, non licitè, Maior concedi potest; dummodo nō sit absolutus potestatis abusus, ad quem ipsa potestas cōcessa non videtur, vt si vellet quotidie tot applicare satisfactiones, quot sunt sufficientes ad Purgatorium quotidie euacuandum; si antem communem, & veram sequamur sententiam, quod opus aliquod requiratur, quod pro causa deseruiat, vel causam compleat, tunc maior neganda est. Potest tamen Pontifex, si & ipse velit defunctis indulgentias facere, opus aliquod

pone-

ponere, sicut præscribit nobis, quando nobis facultatem cōcedit, ad lucrandas, pro defunctis, indulgentias. Vnde, vt hoc obiter dicam, Pontificem concedere nobis facultatem lucrandi indulgentiam pro defunctis, non est nobis potestatem concedere vt indulgētiam concedamus defunctis, sed est dare nobis potestatē designandi defunctos, posito tali opere defunctorum nomine, qua designatione facta, & opere posito, ipse defunctis indulgentiam facit: quod si nullus defunctus designetur, videntur ex operis positione designari omnes, & sic illa indulgentia inter illos diuidetur, vel applicabitur alicui particulari, secundum dispositionem diuinæ voluntatis. Argumenta Lugonis non refero, quia solum probant Pōtificem nō posse defunctis indulgentiam facere, ex falsa suppositione, quod Ecclesiæ thesaurum debeat solum viuis dispensare, hoc enim falsum est quantum ad solutionem tantum, verum, quantū ad solutionem, & absolutionem simul.

Sed quæres primò, an quādo fidelis lucratur, modo explicato, indulgētiam pro defuncto teneatur illi applicare satisfactionem operis operantis, operis præscripti? Respondetur negatiuè: ex dictis colligitur; nam tale opus deseruit quidem pro causa, ne sine ea, indulgentia fiat defunctis, non tamen indulgētiæ applicatio, dependet ex applicatione satisfactionis causæ; aliud namque est causam poni debere, vt Pontifex indulgentiam faciat, & aliud est, quod satisfactio illius defunctis applicetur, cum causę positio ex parte concedentis se teneat, &c. Tum quia ad indulgentias lucrandas non requiritur, quod opus sit bonū in indiuiduo, vt supra q.3.difficul.2. dicebatur, & sic existens in mortali indulgentiam pro defunctis lucrari potest, cū sufficiat ponere opus præscriptum; quod potest esse etiam opus internum Sed obseruanda sunt verba concessionis, quia si diceretur, *offerendo Missam, &c.* offerri deberet.

Quæres secundò, an indulgentia

gentia applicata defunctis infallibilem habeat effectum? Respōdetur negatiuè, ita Layman lib. 5. trac. 7. c. 7. num. 3. vbi citat Bonauēt. Ricardum, Durandum, Caietanum, Cordubam, Canum, Sotum, & Hēriquez, quibus adde Amicum tom. 8. disput. 20. sect. 8, nu. 176. quam sententiam rationabilem vocat Bellarmin. lib. 1. cap. 14. Patet ex dictis disput. 11. q. 5. difficul. 2.

Probatur primò, quia iudex non tenetur acceptare pœnæ commutationem, nisi ad id sua se promissione adstrinxerit; ergo Deus, Christi, & Sanctorum satisfactiones, seu pœnas pro defunctorum pœnis debitis acceptare non tenetur, nisi ad hoc sua se promissione adstrinxerit; atqui nō se adstrinxit ad hoc; ergo. Hęc minor subsumpta probatur, quia vt ex diuinis cōstat scripturis, Christus Dominus solum se obligauit, ad ratā habendam illam solutionem in cœlis, quam Pontifex faceret in terris, seu super terram; atqui purgantes animæ non sunt super terram, nisi lata quadam acceptione; ergo.

Confirmatur ex communi fidelium vsu, qui vna non cōtentantur plenaria indulgentia, vt defunctis suffragentur, sed quotidie illas multiplicāt: non contentantur, quod vna dicatur Missa priuilegiata, seu cui indulgentia annexa est; sed illas curant multiplicari, & addunt quotidie alia opera pia, & satisfactoria, qui vsus certè aboleri deberet, si semel indulgentia infallibilem haberet effectum, & male facerent Sacerdotes, plures celebrantes Missas priuilegiatas pro eadem anima, si vna sufficeret infallibiliter; abuterentur enim Ecclesiæ thesauro, vtentes frustra illius satisfactionibus, &c.

Probatur secundò, quia si vera esset sententia opposita, sequeretur, quod citò euacuari posset Purgatorium; posset enim Pontifex generale concedere iubileum cuius indulgentia defunctis applicaretur, & sic cum innumeri penè talē lucrarentur indulgentiam, Purgatorium euacuaretur.

Confirmatur, quia Purgatorium, est locus proprius, in quo

quo Deus suum erigit Tribunal, ad exercendam iustitiam punitiuam; ibi enim solus habet iurisdictionem, non Vicarius eius; ibi solus taxat pœnas, non eius Vicarius; ergo ille solus sua misericordia, debet easdem pœnas relaxare; ergo non infallibiliter, cum ad hoc nō se adstrinxerit, sed sua spontè, sua voluntate, quando nimirum ei placet, thesauri satisfactiones acceptat.

Quæres tertiò, an adhoc vt indulgentiæ prosint defunctis, aliquid ex earum parte requiratur? Affirmatiuè respondet Caietanus tract. 16. de indulg. q. 5. *vers. quoad tertium*, quem sequitur Nauar. de indulg. not. 22. num. 42. & alij, putantes quod indulgentiæ, & suffragia in illis solis defunctis habeant effectum, qui dum viuerent sollicitè pro peccatis satisfacere curarunt & deuotionem habuerunt ad suffragandum defunctis, qui vero nullā habuerunt defunctorum curam, nec satisfacere pro peccatis studuerunt, suffragijs, & indulgentijs non iuuantur. Timet Ledesma 2. p. 4. q. 29. ar. 3. ne hæc Caietani sentētia vera sit, idem timeo ego, ideo rogo Deum vt magnam mihi conferat erga purgantes animas deuotionem, & affectū, vt possim illis multū suffragari, vt sic & ego aliorū merear suffragia. Communior tamē sentētia oppositū tenet, quia adhoc vt suffragia; & indulgentiæ applicentur, sufficit quod recipiēs nō ponat peccati mortalis obicē, atqui ille animæ hunc peccati obicem nō ponūt: ergo. Nec Deus punit demerita præterita, nec illa attendit, sed præsentia.

Quæres quartò, an possit quis lucrari pro se indulgentiam illam, quam Pontifex concedit pro defunctis, taliter quod illam seruet pro tēpore, quo erit in Purgatorio? Hæc difficultas videtur eadē cum illa, quam disputant aliqui Theologi, an possit quis dum adhuc viuit facere sibi celebrare missas de Requiē, & illas reseruare post mortē, vt à purgantibus pœnis l beretur, si enim semel satisfactio operis operati, Missæ sacrificio correspondens, potest reseruari post mortem,

poterit etiam reseruari satisfactio indulgentiæ, quæ est operis operati, tam enim satisfactiones Missæ, quam satisfactiones indulgentiæ ex Ecclesiæ thesauro desumuntur. Respondetur quod quãtum ad Missæ satis factiones id probabile videtur, & doctè defendit nouissimè post alios multos N.P. Lezana to. 4. *Verbo Missa*, *nu.* 54. quod probat, primò, quia credibile est Missæ sacrificiũ à Christo esse taliter institutũ quod prodesse possit pro quacunq; necessitate in qua homo est capax fructus illius; atqui homo est capax huius sacrificij fructus, non solum viuus, verum etiam defunctus; ergo poterit celebrari vt prosit homini vt viuo, & vt defuncto. Sed dicès, sacrificij fructus nõ potest manere suspẽsus; ergo non potest reseruari pro tempore necessitatis, alioqui idẽ fieri poterit de sacramentis, quod nemo dicit? Respondetur, sacrificij fructum tunc tẽporis non manere suspensum, sed in Ecclesiæ thesauro remanere, nec inde extrahi quãdiu homo, non indiget illo. Nec eadem ratio est de sacramentis, cum enim hæc sint instrumẽta physica suum debent producere effectũ quando sufficienter applicantur, causa autem physica in actu secundo non potest manere suspensa. At verò Missæ sacrificium non causat pœnæ remissionem, seu satisfactionẽ vt causa, vel instrumentum physicum sed morale, quatenus diuinam mouet voluntatem ad illam pœnæ remissionem faciendam; vnde poterit quis applicare Missæ hoc sacrificium ad mouendam diuinam voluntatem. vt pœnæ faciat remissionem quãdo maximè indigebit, nempe quando erit in Purgatorio, vel quãdo ex hac vita discedet.

Secundò probat, quia ita se gesserunt insignes viri pietate, & doctrina, vt Magnus Albertus, prout refert Ferdinandus de Castillo in hist. S. Dominici p.2.lib.3.c.46. Henricus Comes de Rescecen Episcopus Ratisponensis, vt refert Vviguleus Hundus, & Carolus V. Imperator Maximus.

Quantum verò ad indulgẽtias idem fieri posset, si Ponti-

ficis

ficis adesset auctoritas; nam Pontifex posset Petro faciẽti tale, vel tale opus reseruare indulgẽtiam pro Purgatorio, sicut enim illam statim applicandam concedit, opere exequuto ita posset illam differre. Quia tamen puto de facto talem non adesse Pontificis intentionem, ideo puto non posse indulgentiam reseruari. Idem pro se facere posset Põtifex: posset enim modo dum viuit ponere opera pia, cum intentione, quod thesauri satisfactiones, modo non extrahantur, sed quando in maxima Purgatorij erit necessitate, vt sic statim liberetur. Puto tamen via impetrationis à Deo posse obtineri, vt indulgentiæ satisfactio pro necessitatis tempore reseruetur, sicut & bonorum operum satisfactiones: vnde obseruaui viros pios, & doctos id facere quoad Missas, indulgentias, & opera pia.

Quæres quintò, an indulgentiæ applicari possint Catechumenis defunctis? Negãt aliqui, quia non sunt baptizati, ob quam rationem nec viuentes indulgentias lucrari possunt: Alij magis piè, volũt id fieri posse, hos congerit Diana par. 5. tract. 12. resol. 9. quia cum sint aliorum capaces suffragiorum, non videntur excludi posse ab indulgentijs; tum quia licet Baptismũ non receperint, illud tamen habuerunt in voto.

Quæres sextò, an indulgẽtiæ pro viuis concessæ, possint ab ijsdem viuis propria auctoritate defunctis concedi? dixi propria auctoritate, quia auctoritate Pontificia certũ est id fieri posse, vt constat ex Priuilegio in Carmelitano thesauro relato, quod & nostri Religiosi, & alij communicãtes, Confratres, & Consorores, possint suas indulgentias defunctis facere; ita cõcessit Iulius II. Certum est etiã, quod postquam indulgentiæ suum habuerunt effectum, non possunt amplius communicari, cum enim indulgentiæ effectus, sit pœnas relaxare, seu remittere, per veram, & iuridicam Pontificis, vel delegati absolutionem, & pęnæ remissio postquam per indulgentiã facta est, alteri eadem fieri non possit, cum sit personalis,

inabdicabilis, & ab ipsa persona inseparabilis, sequitur, quod postquam indulgentia suum habuit effectum, non possit nec defunctis, nec viuis amplius applicari. Vnde solū dubium est, an antequam dicta indulgentia suum habeat effectum, possit defunctis applicari, non quidem certo, & infallibiliter, sed ex diuina acceptatione, vt si quis purgantium animarum deuotus diceret: *Domine Iesu peto, vt omnes indulgentias quas toto mea vita decursu in meam possem conuertere vtilitatem, seu pro me accipere, permittas cedere in animarum purgantium vtilitatem.* Communis sententiā id negat vt videre est apud Dianā p.10.tract.16.resol.12. Et ratio est, quia postquam indulgentia suum habuit effectum, inabdicabilis est, vt modo dicebamus, ac proinde nō potest alijs applicari, & antequam suscipiens illam faciat suam, illam applicare nō potest, cum enim nullus, excepto Pontifice, & ab ipso delegati, habeant thesauri Ecclesiæ claues, sequitur, quod nullus, priuata possit auctoritate, Christi satisfactiones, & Sanctorum à thesauro extrahere, & alijs applicare, cum hæc satisfactionum extractio sit clauium potestas, & sit omnino certum, quod solus Pontifex, vel ille, cui ipse claues commiserit, auctoritatem habeat dispensandi thesaurum, Christi satisfactionum, & Sāctorum. Sed hæc ratio solum probat, non posse fideles, propria auctoritate, per potestatem iurisdictionis, seu clauiū, Ecclesiæ thesaurum defunctis, vel viuis dispensare, sed non probat, quod non possint fideles Deum exorare, vt velit illam satisfactionum portionem, quæ sibi contingeret, ex talis Ecclesiæ, in qua indulgentia est, visitatione, vel ex talis, vel talis pii operis positione, defunctis, vel etiam viuis applicare. Vnde puto sententiā P. Gobat in thesaur. indulg. p.2.c.21.q.61.n.466. & aliorum modernorum probabilē esse, cum sit valde pia, & foueat defunctorū deuotionem, & sit illis valde vtilis, & nulli damnosa, nec ipsi offerenti, quia sic offerens actum præstantissimū facit, & si fortè

tè Deus illam indulgentiam ad offerentis votum applicare noluerit, ad ipsius sinum reuertetur.

Quæres septimò, an quando est indulgentia Ecclesiã visitantibus, sufficiat illam visitare extra portam, præsertim quando ob cõcursum ingredi non potest, vel quia fores sint clausæ, vt contingit modo in multis Ecclesijs ob pestem, vel timorem illius? Respondetur affirmatiuè, quia locus ante Ecclesiã siue cœmeteriũ sit, siue vestibulum, siue atrium &c. nomine Ecclesiæ venit in fauorabilibus, secus quãdo indulgentia esset visitanti tale altere. An autem quis dicatur quinque, vel septem altaria visitare qui immobilis in aliqua Ecclesiæ parte manet, dico quod non, sufficiet tamen quod ex loco illo ad illa vertatur Alteria, vel corpore, vel saltẽ capite.

QVAESTIO VI.

Quotuplex sit indulgentia.

QVæstiones quas hucusque de indulgentia examinauimus, pertinent ad *quid sit* indulgentiæ, modo quotuplex sit explicare oportet, antequam causam efficientem, scilicet quis possit eas facere, & finalem, quænam videlicet sit eius causa, explicemus.

Solent ergo Theologi cõmu niter sic diuidere indulgẽtiam, vt alia sit partialis, totalis alia, partialis illa est, quę non totam, sed partem facit pœnæ remissionem: totalis vero, quæ totam; & hæc indulgentia totalis, communi nomine plenaria vocatur, quę à Iubileo differt, non ratione remissionis pœnæ, sed ratione maioris solemnitatis Iubilei, & ratione facultatis absoluendi à peccatis; indulgẽtia plenaria alias non habet diuisiones, partialis vero subdiui-

diuiditur in indulgentiā dierum, & annorum, hæc aliā non habet diuisionem, sed solum anni additionem; illa vero diuiditur in septenā, quadragenam, quinquagenam, & carenam, septena remittebat septem annos pœnitētiæ, quæ secundum canones antiquos fieri debebat, pro quolibet peccato mortali ordinario, vt notat Toletus lib, 6. c. 24, Quadragena erat indulgentia quæ remittebat pœnitentias quadraginta dierū, idem dic de quinquagena: carena erat indulgentia, quæ septenam, & quadragenam amplectabatur. Modo tamē, quia pœnitentiæ antiquorum canonum non sunt in vsu, nō conceduntur indulgentiæ sub illis nominibus, sed sub nomine indulgentię vel *plenariæ*, vel dierum, & annorum, non quibus quis manere debet in Purgatorio, anni namque isti, vel dies non de diebus purgatorij intelliguntur, sed de diebus, & annis pœnitentiæ antiquorum canonum; quia per indulgentiam tot dierum, vel annorum tanta Purgatorij pœna remittitur, quanta correspondere posset pœnitentiæ, quæ toto illo tempore facta fuisset.

Diuiditur deinde indulgētia in realem, localem, & personalem. Realis est, quæ medalijs, coronis, crucibus, imaginibus, &c. cōceditur, & Ecclesiæ, Capellæ, & Oratorio. Personalis, quæ personæ cōceditur, vt quoties quis tale opus fecerit &c. & illa quæ in mortis articulo datur. Conceditur autē indulgentia medalijs, &c. cum posset immediatè personæ ipsi concedi, vel in honorem alicuius sancti, proinde putat Diana p. 10. tract. 16. resol. 8. non posse indulgentias applicari medaliæ, quæ non habeat imaginem alicuius Sancti, & ita hic Romæ practicatur; vel ob aliquam necessitatem, vel ob egregia Principis alicuius merita, vel quia multum conducit ad pietatem, tenendo illā, & venerando, & quia sic facilius indulgentiæ recordamur, vel tandem vt recognoscamus Pontificis auctoritatem, &c.

Circa indulgentiam localem aliquæ difficultates sunt

exa-

examinandæ. Prima est, an si Ecclesia, cui indulgentia est applicata diruat, & in eodem loco reedificetur, maneat indulgentia? Negat Lugo loco citato nu. 131. nisi per partes rueret, & statim reedificaretur. Affirmat Suarez disp. 25. sect. 1. num. 9. Et verius videtur, cum tunc alia nõ censeatur Ecclesia, sed eadem. Sed quid dicendum, si illa Ecclesia in loco alio transferatur, an & ipsa indulgentia transferri censeatur? Affirmatiuè respondet Diana par. 6. trac. 7. resol. 32. cum Ghilino, & Bonacina, quia adhuc eadem censetur Ecclesia, & est probabile valde, cum simus in materia fauorabili, vbi res amplianda, non restringenda venit.

Secunda difficultas præcedenti affinis est, an si in festo Annunciationis vel alio, sit plenaria indulgentia visitantibus talem Ecclesiam, vel Altare, & contingat tale festum transferri, an etiam indulgentia transferatur? Respondetur quod si solum trãsferatur officium illius festi, nõ transfertur indulgentia; res clara est, quia adhuc festum cum sua indulgẽtia, cum sua die manet, si vero festum ipsum transferatur, & indulgẽtia transferri censetur; ratio est, quia indulgentia illa, non est concessa intuitu diei, sed festi; ergo festum sequi debet. Sed petes, an sit necesse quod talis festi translatio, fiat Episcopi auctoritate, vt si sit festum de præcepto & transferat præceptum in alterum diem, quod facere potest Episcopus, sicut & potest transferre ieiunium? Respondetur negatiuè, quando festum non est de præcepto, seu quando non transfertur præceptum, secus quando præceptum ipsum transferi debet.



QVAE-

QVAESTIO VII.

Quis poßit indulgentia facere?

DE Pontifice Summo nulla est difficultas, cum certum sit, diuino iure posse, pro tota Ecclesia indulgentias concedere. Idem affirmat Nugnus q. 26. art. 1. de Concilio Generali siue præsente, siue absente Pontifice, & hoc iure diuino, dependenter tamen à Pontifice.

Imò idem affirmat de Episcopis, quod diuino iure possint pro suo Episcopatu indulgentias facere, licet hoc ab Ecclesia limitatum sit, verius tamen est, quod Episcopi à Pontifice talem habeant facultatem, quia Christi Domini verba ad solum Pontificem directa fuere; vt *pasce oues meas*, & *quodcunque ligaueris super terram &c.* Habent Episcopi facultatem concedēdi quadraginta dies indulgentiæ, & in Ecclesiæ dedicatione annum *cap. cum eo, de pœnit, & remiß.* non tamen habent facultatem concedendi indulgentias defunctis, quia hæc nullibi illis cōceditur. Sed quæres primò, an plures Episcopi possint eidem loco, vel personæ plures concedere quadragenas? Respondetur negatiuè, quia Episcopus non nisi subditis potest indulgentias facere, & extraneis nonnisi ex venia proprij Episcopi, seu per delegationem illius, ac proinde non poterit amplius, qui delegauit indulgentiam facere; aliqui tamen id non improbabiliter concedunt.

Quæres secundò, an si Episcopus concedat indulgentiā quinquaginta dierum, valeat pro quadraginta? Affirmatiuè respondetur, quia *vtile per inutile non vitiatur*, est communis sententia. Hanc potestatem potest exercere Episcopus in suos subditos, etiam extra proprium territorium, & nondum consecratus: in statu peccati; cum ad concedendas indulgentias gratiæ

status

ſtatus non requiratur, non tamen ſi ſit excommunicatus vitandus de quo alibi. Idem dicendum de Archiepiſcopo in tota prouincia, etiamſi actu non viſitet *cap. noſtro, de pœnit. & remiſſ.* Idem dicunt aliqui de capitulo ſede vacante, ſed oppoſitum videtur verius, vide Dianam par. 8. tract. 4. reſol. 35. Cardinales poſſunt cōcedere indulgentiam centum dierum, vel ex priuilegio, vel (quod eſt probabilius) ex Pōtificis conſenſu ſaltem tacito conceſſo; vel ex conſuetudine de quo Diana p. 5. tract. 2. reſol. 6.

Quæres tertiò, an Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, vel alius habens facultatem concedendi indulgētias ſuis ſubditis ſæcularibus, poſſint illas concedere regularibus? Reſpondetur negatiuè, vnde patet indulgentiam à quodam Epiſcopo conceſſam quibuſdam regularibus genuflectētibus ante quandam imaginem nullam eſſe; cum enim Pontifex Epiſcopi facultatem ad ſolos ſubditos alligauerit, ad non ſubditos extendi non poteſt, niſi de hoc ſpecialē habeat à Pontifice facultatem ſecus eſſet ſi abſolutè cōcedatur, tūc enim etiā Regulares eo beneficio vti poſſunt.

Quæres quartò, quid concedant regularium Prælati, quando ſæculares admittunt ad communicationem, ſeu participationem bonorum ſui Ordinis, quam conceſſionem vocant filiationem? Reſpondet Lugo quod illa filiatio, ſeu bonorum communicatio non transferat Religioſorum ſatisfactiones, quia hæ non niſi ab operantibus communicantur, ſed ſolum quandam confert impetrationem indirectam, quatenus Deus mouetur de congruo per opera alicuius iuſti, vel plurium ad benefaciendum illis, qui cum illis maiorem habent coniunctionem, vt filijs, fratribus, amicis &c. & ſic cum ſæculares recipiuntur in fratres, mouetur Deus ad benefaciendū illis intuitu bonorum operum Religioſorum. Adde inquit prodeſſe ſuffragia, quæ fiunt in communi pro toto ordine, & membris eius, &c.

Sed hæc doctrina mihi falſa videtur, nam fideles, qui ad bonorum Ordinis admittuntur participationem, non ſo-

lum gaudent impetratione illa Lugonis,sed etiam fruuntur totius Ordinis satisfactionibus; licet enim Religiosi vt tales, suas non applicent satisfactiones, applicantur tamen communes, seu quæ cōmunitatis actibus correspondent, quod autem dentur hæ cōmunes satisfactiones, quæ aggregatis,& benefactoribus à Prælatis applicentur,docuimus supra disput.11.quæst.6. & mox etiam aliqua subijciemus, ex quibus magis exclusa manebit Lugonis doctrina, interim vide N. P. Lezanam verbo *Bona* 2. & verbo *Indulgentia*, 15.

Quæres quintò, an Regulariū Prælati, possint suis subditis diuino iure indnlgentias facere,de bonis communibus suarum communitatum, & extraneis ex delegatione.Pro huius difficultatis intelligentia nota, quod dupliciter Religiosi possūt sua opera exercere, vel vt singuli, vel vt cōmunitatem componētes v. g. Religiosi in Choro dum cantant possunt vt singuli considerari, seu separatim,& tunc si debito modo cātent,& merentur, & satisfaciunt, satisfaciunt cum illud opus sit pœnale, & si ipsi satisfactione egeant ipsis applicabitur, nisi fortè voluntariè alijs talem applicent satisfactionem. Si vero considerentur, vt communitatem componentes, etiam satisfaciunt, nam illud opus etiam prout à communitate est pœnale, cum certè ipsa Religiosorum communitas tunc patiatur; non enim est parua pœna communitatem in Choro manere: si enim communitas est capax obligationis, & peccati, vt docet Caramuel in Regulam D.Benedicti num. 1335. erit etiam capax meriti, & satisfactionis,& hoc tale meritum diuidetur inter communitatem componentes,item satisfactio,si illi egeant,vel ad hoc intentionem habeant, si autē non egeāt secundum aliquorum sententiam, de quo postea, reponentur in thesauro conuentus, vel religionis sub potestate Prælati, communitatis curam habentis; vel, vt postea dicetur, in thesauro reponentur Ecclesiæ. Vnde Prior respectu suæ communi-

tatis

tatis secundum illorum sententiam, & Prouincialis respectu suæ Prouinciæ, & Generalis respectu totius Religionis, poterunt tales satisfactiones quibus voluerint applicare, & ante & postquam factæ sunt secundum illorum sententiam, vel solum antequam fiant secundum nostrã, postquam enim factę sunt, nisi prius applicentur, non manẽt sub Prælati potestate, cum ad Ecclesiæ thesaurum transierint, secus secundum oppositam sententiam, cum transierint ad thesaurum Religionis, cuius illi habent potestatem. Ob hoc P. Cassina in suo Mistag. tit. 13. num. 24. & 25. docet, quod pro vna Missa cantata plus stipendij accipi potest, quam pro priuata, & quanto plures sunt Religiosi in Choro cantantes, tanto plus stipendij accipi poterit; & sic, pro Missa cantata à 4. Religiosis duplex stipendium accipi potest, & si cantetur à 10. vel 12. &c. semper plus stipendij accipi poterit, cum crescat valor actus communitatis ex maiori Religiosorũ numero per se loquendo, & hoc non potest prouenire à Religiosis vt singulis, quia hoc modo non locant opera sua, nec applicant alienis suas satisfactiones, nec illas applicare potest superior sine illorũ consensu, vt ex communi docet Lezana v. *bona* nu. 7. Sed prouenit ex Religiosorũ numero communitatem componentes, seu ab actu ipso communitatis. Hæc ergo satisfactio communis sub potestate, & dispositione Prælati est, quamque idem Prælatus per filiationes concedere, seu communicare potest, & de hoc quæritur, an possit Prælatus indulgentias facere, seu, an quando Prælatus illam largitur, indulgentiam dicatur concedere, seu an talis largitio, sit iuridica absolutio, an solum simplex quædã largitio.

Prima sententia est affirmatiua, quam tenet Rodriguez tom. 2. quæst. 86. art. 2. & in eius Compẽdiolo verbo *indulg.* vbi habetur: *Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt suis subditis concedere indulgentiam eodem iure quo Episcopi, scilicet* diui-

diuino, licet aliqui contradicant, allegantes contrariam consuetudinem totius Ecclesiæ; sed consuetudo non præscribit contra ius diuinum. Hãc eandem sententiam tenet Medina cap.29.de *indulg.*

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Regularium Prælati, dum, vel subditis, vel extraneis concedunt cõmunes satisfactiones, non faciunt indulgentias, sed simplices largitiones*. Hæc conclusio est communis inter Theologos: videatur Nugnus q.26. art.1.

Probatur conclusio, quia si satisfactionum concessio, quam ex communibus bonis faciunt Regularium Prælati, non esset solum simplex quædam spiritualis largitio, sed vera, & iuridica absolutio, deberet fieri per clauium potestatem; atqui hoc non est; ergo. Minor ostenditur; quia vt docet D.Thomas 4.dist.20. quæst. 1. art. 3. & Quodlibeto 2.art.16. clauium potestas Ecclesiæ respicit thesaurum, & est solum in summo Ecclesiæ Pastore; ergo non est in Regularium Prælatis, ac subinde dum faciunt bonorum spiritualium suæ Religionis communicationem clauibus non vtuntur. Maior nota est, absolutio namque iuridica spiritualis, ibi non est, vbi clauiũ potestas non adest. Negari tamen non potest, quin aliqua, in Prælato talia bona communicante, non interueniat misericordia, & iustitia, sicut interuenit in iuridica absolutione, quæ fit per indulgentiam: interuenit iustitia quatenus Prælatus ex bonis dictis tantùm offerre potest, quantũ debet ille cui illorum bonorum fit communicatio: interuenit misericordia, quia illam solutionem pretio non facit, sed gratiosè; non tamen est propriè indulgentia, quia non est iuridica absolutio facta per clauium potestatem. An autem sit probabile quod dictæ satisfactiones ad Ecclesiæ thesaurum non transeant, sed in diuina maneant acceptatione, largiendæ per potestatem non clauium, non iurisdictionis propriæ, sed gubernatiuam, seu prælatiuã, Prælatorum, videtur quod sic, quod ex argumentis, quæ con-

contra nostram sententiam sum meditatus, poteris colligere.

Obijcies primò, quia ideo Pontifex dum ex Ecclesiæ thesauro. Satisfactiones alijs applicat verè absoluit, & indulgentiam facit, quia licet soluat quod ille debet, tamen hoc misericorditer facit; sed hoc ipsum faciunt Regulariũ Prælati, quando bona dicta communicant; ergo. Nec valet dicere quod talis communicatio non sit in subditos, nec per clauium potestatem. Nam contra est, quia alij Religiosi subditi sunt: & etiam sæculares, vt patet per constitutionem Clem. VIII. 24. Nouembris 1605. quoad illos, qui confraternitatem ingrediuntur: est per clauium potestatem in quantum habent in illos veram, & spiritualem iurisdictionem, cum enim illos possint ligare, poterunt etiam per indulgentias absoluere, vnde idem Pontifex videtur hoc ipsum insinuare dum dicit in illa Bulla, quod ingredientibus Confraternitatem, & postea ingressis possint indulgentiæ elargiri.

Respondetur, quod ideo Regularium Prælati, dum bona dicta communicant indulgentias non faciunt, quia talium bonorum largitio, non est ex clauium potestate; hæc autem clauium potestas, non est iurisdictio, sed ab illa distinguitur, vt supra dicebamus & Ecclesiæ thesaurum respicit, non particularem cõmunitatum satisfactiones, quę cum non maneant postquam factæ sunt, sed transeant ad thesaurum Ecclesiæ, quando applicatæ non fuerunt, non vero particulares constituant thesauros; imò etiamsi constituerent, eorum dispositio nec absolutio, nec indulgentia esset, quia ex Christi facultate non esset, cum non nisi Pontifici clauis absoluendi, & ligandi sit data, sed solum esset spiritualis quædam largitio.

Obijcies secundò, quia vt docet Maranta *in aureo speculo Aduocatorum* par. 6. num. 223. 323. & 324. Maiorem habet potestatem Abbas in Monachum, quam Episcopus in Clericum sæcularem, & probat auctoritate Panor.

in

in cap. ad *nostram*, & in cap. repræhensibilis, quibus addo Fel. *in cap. super lit. de rescriptis*, & Cald. Consil. 111. Sed Episcopus potest indulgentias facere suis subditis iure diuino, vt concedit Nugnus, & alij; ergo etiam Regulariũ Prælatus? Respondetur concessa maiori, negando minorem, non enim Episcopi vt dicebamus iure diuino indulgentiam faciunt, sed iure humano. Imò dato quod illud concederetur Episcopis, non tamen concedi deberet Regularibus, Episcopatus namque est iuris diuini, quod de Regulari Prælatia non est ita certum, de quo suo loco.

Et licet concederetur quod dicit Innuo. *c. cum eo*, quod Episcopi facultas concederdi indulgentias, stricta sit, vt non concedat publicè, non tamen priuatè; hoc tamen concedi non potest Regularium Prælatis, propter ea, quæ habentur in Clem. de *pœnit. & remiss.* cap. *Abusionibus*, & in Clem. de priuilegijs c. *Religiosi*.

QVAESTIO VIII.

An ad concedendas indulgentias causa aliqua requ ratur.

COmmunis Theologorum sententia affirmat. Primò quia Pontifex non est Dominus thesauri, sed dispensator, vt docet Apost. 1. Cor. 4. dispensator autem, bona domini, sine causa dispensare non potest. Secundò quia alias posset omnes purgantes animas liberare. Tertiò quia non potest valide dispensare in iure diuino, sine causa, ac proinde nec in hoc quod quis suam non habeat pœnam. Sed dices, beneficij Ecclesiastici collatio facta indigno valida est, licet conferens, non sit Dominus, sed di-

dispensator, & talis collatio sit contra ius diuinum, ergo etiam indulgentiæ collatio sine causa valida erit, etiamsi hoc facere, sit contra ius diuinum.

Respondet Suarez illam collationem esse inualidam, sed ipsum benè inpugnat Nugnus, quia est contra cõmunem canonistarum, & Theologorum sensum. Respondet ergo & benè Nugnus, concedendo Antecedens, & negando consequentiam; ratio discriminis est, quia Deus voluit illam collationem validam esse propter multa inconuenientia, quę sequęrentur, si haberetur quis pro vero Parocho v. g. qui non esset, at nostro in casu nullum sequitur inconueniẽs imò sequitur ex opposito, vt dictum est. Causa autem ista nõ est necesse quod sit æqualis cum indulgentia quæ conceditur, sed sufficit quod sit proportionata; est omnium ferè Theologorum sententia, videatur Nugnus hic. Lugo nu. 141. & alij apud ipsos, & colligitur ex Tridentino sess. 25. in decreto de indulgentijs; vnde licet aliquando magnæ concedantur indulgentiæ pro breui oratiuncula, tamen hæc non est tota causa, sed vel honor sanctorum, vel merita petentis, &c. Causa ergo debet esse proportionata & pia, vel vniuersalis, vel etiam particularis respectiuè. Quod si causa ob quã indulgentia conceditur, non esset proportionata, iudicaretur, tamen talis prudẽtialiter, indulgentia teneret, sicut & aliæ diuini iuris dispensationes. Quod si causa non esset proportionata ad totum, sed solum ad partem, pro illa parte teneret, quia *vtile per inutile non vitiatur*.

Sed quæres primò, an vltra causam, etiam opus aliquod præscribi debeat? Respondetur quod communiter id fieri debet, quia opus prę scriptum vel est ipsa indulgẽtię causa, vt cõtingit in indulgentia quando particularibus conceditur, licet aliquando etiam ob præcedentia merita concedatur; vel est eiusdẽ causæ complementum, & quodamodo indulgentiæ applicatio. Non est tamen necesse,

cesse, quod tale opus præscribatur, quando aliunde de causæ proportione constaret; quando tamen opus pręscribitur exequi debet, vt indulgentia lucretur: Hinc.

Quæres secundò, an quãdo in indulgentia, vel iubileo confessio præscribitur, debeat poni ab eo, qui mortalis peccati conscientiam nõ habet? Aliqui id affirmant; alij vero negant, quia confessio non imponitur nisi peccata habenti lethalia. Hæc sẽtentia probabilis est, quam post alios tenet Suarez hic; prior tamen & probabilior, & tutior est; nam indulgentiæ tantum valent quantum sonant, atqui hoc sonat illa indulgentia; ergo. Nec ratio opposita valet, quia sicut Pontifex alia supererogationis præscribit opera pro indulgentia lucranda; ita confessionem venialium præscribere potest, vt sic indulgentia maiorem consequatur effectum, culpis deletis venialibus, Si tamen disiunctiuè præscriberetur contritio, vel cõfessio, illa sufficeret, etiã in mortali existenti. Vnde si in iubileo confessio requiratur; & quis illam ponat, si postea peccet antequam alia opera ponat excepta communione, non debet nouam ponere cõfessionem, sed contritio sufficiet.

Quæres tertiò, an ad concedendas indulgentias aliqua verba requirantur? Respondetur negatiuè, sed sufficiet quodlibet signum exterius, indulgentiæ manifestatiuum: sicut etiam hoc requiritur, vt indulgentia reuocetur; vnde si Pontifex interiori actu omnes reuocaret indulgentias, talis reuocatio nulla esset, cum Pontificis potestas sit per ordinem ad corpus mysticum, ac proinde illi innotescere debet reuocatio, sicut & concessio.

Quæres quartò, an indulgentia cesset cessante causa? Cessat indulgentia per reuocationem, cessat per rei cui affixa est destructionem, cessat elapso ipsius durationis tempore, non tamen cessat per mortem concedentis, nisi id in ipsa concessione exprimatur, cum sit gratia facta: non cesset per renuncia-

tio-

tionem nisi acceptetur: non cessat cessante causa, quando causa erat à principio sufficiens, vt in perpetuum daretur, secus si non erat, vt si Pontifex indulgentiam concedat alicui Religioni in perpetuum, quia eius alumni obseruantes sunt, & multum Ecclesiam iuuāt orationibus, pœnitentijs, administrando fidelibus sacramenta, &c. illa indulgentia durat, quia illa causa sufficiens erat, pro indulgentiæ perpetuitate etiā si postea illa religio relaxetur; si vero illa causa sufficiens nō erat, quia tanta non erat obseruantia, nec tanta merita, vt indulgentiam reciperent perpetuam, nisi ex suppositione durationis causæ, nempe illius mediocris obseruātiæ, cessabit quando illo mediacris obseruantia cessabit.

Hic vnum addendum est pro praxi fidelium, quanta nimirum debeat esse fractura seu ruptura rei cui indulgentia affixa est, vt indulgentia amittatur? Respondetur quod si loquamur de indulgentia concessa Coronæ, vel Rosario, indulgentia non amittitur quando cordula frangitur, vel vetus renouatur; quia cordulæ variatio coronā, vel rosarium moraliter nō mutat, imò non amittitur indulgentia si grana aliqua frāgantur, vel amittantur, & alia substituantur; nam, vt supra dicebamus, sicut in templo, dum paulatim reficitur indulgentia non amittitur, ita nec in Corona vel Rosario, dummodo maior pars semper maneat, maior namque pars minorem trahit, vt patet de aqua non benedicta, quando in benedictam ponitur, tota enim fit benedicta, item cum oleum, vel chrisma non benedictum, in benedicto infunditur. Si loquamur de medalia, indulgentiam non amittit si superior pars, seu eius fibula frāgatur, & foramen aliquod fiat vt suspendatur, quia adhuc ratione sculptæ imaginis ad Religiosum vsum deseruire potest, neque indulgentiam amittit si in medio frangatur, & per artificem vniatur, licet enim per talem fractionem indulgentia cesset, per vnionem tamen reuerti-

tur, vt patet quando templum destruitur & postea reædificatur; dum destruitur indulgentia amittitur, dum postquam reædificatum est, reuertitur. Si tamen medalia ex vetustate sculptas amitteret omnino imagines, videtur quod indulgentia amittatur, cum non amplius deseruire possit ad sanctorum cultum. Si deinde de cruce loquamur tunc indulgentiam amittit, quando formã Crucis non retinet, secus si retineat. Vnde loquendo de cruce Carauaccæ indulgentiam amittit, si superiorem hastam amittat, quia licet maneat forma Crucis, non tamen Carauaccæ, secus si solum vna pars hastæ frangatur, vel pars inferior. Et hæc de hoc tractatu, vtinam cedant in honorẽ Dei, & Ecclesiæ vtilitatem, cui & me, & omnia mea scripta, & scribẽda submitto, die 8. Decembris 1656. qua die festum B. V. Mariæ de Victoria celebratur.



TRA-



TRACTATVS SEPTIMVS DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.



EGIMVS hucusque de sacramẽtis quę animæ vulnera, hominis sano corpore viuentis, curare habent, nempe de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Pœnitentia; at modo in præsenti tractatu, de alio agemus sacramento, per quod homo nõ quoquomodo corpore infirmus, sed taliter, quod ferè de huius vitæ stadio, sit exiturus, muniatur; quod sacramentum Extrema vocatur vnctio, vel quia Christiano in extremo vitæ posito conferatur, vel quia nouissimum tenet locum post Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiã, quæ sunt sacramenta, quæ ipsumrecipientem respiciunt, nec ad alium finem ordinant extrinsecum, vt facit Ordo,

qui Ecclesiasticam respicit hierarchiam,& matrimoniū, quod qua sacramentum est, corporis mistici respicit conseruationem, licet qua naturalis contractus, humanam respiciat propagationem. Vel etiam dicitur hoc sacramentum vnctio Extrema, quia inter varias & multiplices, quibus vtitur Ecclesia, vnctiones, hæc postrema sit; vnguntur namque Baptizandi; vnguntur, qui ordinantur, vnguntur qui confirmantur, vnguntur Episcopi, vngūtur Reges,&c. sed ante mortis periculum; hæc autem nostra vnctio datur infirmis, qui sunt in mortis periculò. De hac erga vnctione noster hic erit tractatus; Vnde sit.

DISPVTATIO PRIMA

De Sacramenti Extremæ vnctionis essentia.

Sicut aliorum sacramentorum essentia, ex materia, & forma coalescit, ita & huius sacramenti essentia, ex propria materia, & forma coalescere debet, & sic in hac disputatione, huius sacramenti materia, & forma explicabitur; prætermisimus singularem proponere de huius sacramenti existentia disputationem, quia ex dictis de sacramentis in genere, sufficienter eius habemus existētiam; quia tamen nostri temporis hæretici nō cessant nobis detrahere, quod sine fundamento hoc sacramentū adstruamus,& plura etiam obijciunt; ideo vt catholica veritas magis appareat,& hæreticorum falsitas detegatur, sequentem excitabimus quæstionem, quæ erit veluti præambula ad huius sacramenti essentiam intelligendam.

QVAE-

QVAESTIO I.

An Extrema vnctio sit verum, & proprium nouæ legis Sacramentum.

NEgarũt antiquitus Albigenses teste S.Antonino in sũma Theologica p.4. tit.10.cap.7.Negauit Vviclephus teste N.Vualdense to.2, de sacram. cap.163. Negant Lutherus,Caluinus,& eorum asseclæ Extremam vnctionẽ esse sacramentum ; imò eius ritum irrident,& ceremonias.

Nostra sententia sequenti explicatur cõclusione.*Extrema vnctio,est verum nouæ legis sacramentum,à Christo Domino institutum*. Hæc cõclusio est de fide. Probatur primò ex illo Iacobi 5. *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus,& si in peccatis sit, dimittentur eis*. In quibus verbis cõtinentur omnia,quæ da veram sacramenti rationẽ erquiruntur: continetur materia proxima in illo verbo *vngentes*, remota, in illo *oleo*, forma,in illis *orent super eum*, nam huius sacramenti forma deprecatoria est, vt postea videbitur: Minister, in illis *Presbyter Ecclesiæ*, idest Sacerdos, subiectũ,infirmus, *infirmatur aliquis vestrum*, effectus, peccatorum dimissio, si forte peccata adsint,seu gratia peccatorum remissiua, & spiritualis quædam deuotio, & hylaritas, vt postea dicetur; est signum sensibile,nã illa exterior vnctio, est signũ gratiæ interius vngẽtis, & exhylarãtis, iuxta illud Psal.44. *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*: & Isa 61.*spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me*. Et 1. Ioan.2.*sed vos vnctionem habetis à Sancto,&c.* est ergo extrema vnctio verum sacramentum, cũ sit signum sensibile vnctionis interioris gratiæ, &c.

Confirmatur, quoniam citatus Iacobi locus semper ab Eccle-

Ecclesia de hoc sacramento intellectus fuit, vt ex varijs colligitur auctoribus sanctis Patribus, & Concilijs, præsertim Tridentino sess. 14. cap. 1. vbi de hoc sacramẽto agens, dicit: *Instituta est autem sacra hæc Vnctio infirmorum tãquam verè, & propriè sacramentũ noui Testamenti à Christo Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrẽ, fidelibus commẽdatum, ac promulgatum. Infirmatur quis &c.* Locus autem Marci, in quo hoc sacramentũ insinuatur, habetur cap. 6. vbi dicitur: *Et vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.*

Probatur secundò, ex Ecclesiæ definitione. Concilium Florentinum in literis vnionis habet: *Quintum sacramẽtum Extrema vnctio est, cuius materia est oleũ oliuæ per Episcopum benedictum.* Tridentinum sess. citata can. 1. dicit: *Si quis dixerit Extremam vnctionem, non esse verè, & propriè sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritũ tantum acceptum à Patribus, aut figmẽtum humanum, anathema sit.*

Sed quæres, quo tempore fuerit hoc sacramentum à Christo Domino institutum? Respondetur, quod cum non omnia, quæ fecit Christus, etiã circa sacramenta scripta sint, vix certò potest determinari tempus, quo hoc sacramentum fuerit institutum. Verisimilius tamen existimo, quod & communiter tenetur, hoc sacramentum fuisse in cœna institutũ, & tunc Christum Dominum modum in huius sacramenti administratione seruendum, Apostulos docuisse. Et post resurrectionem dedisse illis potestatem illud conferendi, & ratio est, quia cum hoc sacramentum sit veluti sacramenti Pœnitẽtiæ consumatiuum, vt docet Tridentinum, probabile est Christum non dedisse Apostolis potestatem illud administrandi antequam illis facultatem fecerit absoluendi. Soluuntur argumenta in contrarium.

Primum argumentum. Quoniam in omni Sacramento signatur sacramentum tantum,

tum,

tum, res sacramenti tantum, & res, & sacramentum simul; atqui in Extrema vnctione nequit assignari res, & sacramentum simul; ergo Nec valet dicere cum D.Tho. q. 30. supplem. art. 3. rem, & sacramentum Extremæ vnctionis esse spiritualem quãdam deuotionem, & hylaritatem. Nã contra est, quia hæc etiam ab alijs causantur sacramentis, præsertim ab Eucharistia. Tũ quia hæc deuotio non potest esse actus, quia res, & sacramentum debet esse quid permanens; nec habitus, quia hucusq; nullus Philosophus, nec Theologus talem habitũ somniauit. ergo.

Respondetur negando minorẽ, & assignatio facta optima est, ad improbationem dico, quod licet omnia sacramenta suam & sibi proportionatam causent deuotionem, & hylaritatem, nõ tamen hoc speciali modo, quo ab hoc causatur sacramento, nempe per modum vnctionis spiritualis; vt ergo hæc deuotio talem habet fortitudinem, vt sit potens ad sanandam animam à peccatorum reliquijs, & corpus à corporali ægritudine, si id expediat, est sacramentum, & res huius sacramenti. Ad secundam probationem dico hanc deuotionẽ non esse nec actum, nec habitum, sed esse modum quendã specialem, gratiæ superadditum, qui causatur à sacramẽto tantum, & quo medio causat gratiæ eiusdem intensionem, & huius sacramẽti propriam nempe sanatiuam reliquiæ peccatorum, & collatiuam sanitatis corporalis si expediat, modo infra explicãdo.

Secundam argumẽtum, quod maximè vrgent hæretici est, quia de sacramenti nouæ legis ratione est, quod in aliqua Euangelij parte reperiatur; atqui hoc non reperitur, ergo. Maior patet de Baptismo, Eucharistia, & Matrimonio. Minor nota est, nam in illo Marci 6. in quo dicitur insinuari, nõ est sermo de hoc sacramento, imò de nullo, cũ tunc indiferenter infirmi omnes vngerentur, &c. Respondetur negando Maiorem, nõ enim institutio, vsus, & praxis cuiusque sacramenti scripta in Euangelio reperitur, non

enim

enim ad hoc vt aliquid sit nouæ legis sacramentum, necesse est, quod in Euangelio sit scriptum, sed quod sit à Domino institutum; non enim Eucharistia, & Baptismus sacramenta esse desinerent, si in Euangelijs non reperirentur; fuit ergo hoc sacramentum à Christo institutum, licet hoc scriptum expressè nõ reperiatur.

QVAESTIO II

Vtrum sit de olei essentia, vt sit huius sacramenti materia, quod sit ab Episcopo benedictum.

De fide est oleũ ab Episcopo benedictum esse remotam huius sacramenti materiam, vt constat ex verbis Concilij Florẽtini, & Tridentini quæst. præcedenti relatis; hocque colligunt Theologi ex verbis Iacobi: *vngentes eum oleo in nomine Domini*, vbi ly *in nomine Domini*, denotat olei benedictionem; Vnde de hoc nulla est difficultas inter Theologos, solum difficultas est, an Episcopi benedictio sit essentialis, an solum accidentalis; taliter, quod si hoc sacramentũ conferretur, in oleo non benedicto, vel benedicto ab aliquo simplici Sacerdote, verè teneret, saltem si talis benedictio fiat, Episcopi, vel etiam Pontificis auctoritate. Aliqui solent hanc quæstionem sic proponere, an Summus Pontifex possit dispensare, quod oleum infirmorum à simplici Sacerdote benedicatur; sed in idem reddit, si enim Episcopi benedictio sit de essentia, nullus poterit talem facere dispensationem, si vero non sit de essentia, saltem à Pontifice fieri poterit.

Prima sententia est Episcopi benedictionem esse de huius sacramenti essentia, taliter quod in nulla necessitate, etiam per Pontificis dispẽsationem possit talem facere, Sacerdos simplex benedictionẽ; ita Coninchus disp. 19. dub. 2.

dub.2. concl.2. Bonacina disput.7. q.vnica par.2. num.3. & alij.

Secunda sententia in alio extremo est, quod talis benedictio de essentia non sit, taliter quod non solum talẽ possit facere benedictionem simplex Sacerdos, ex Pontificis concessione, verum etiam ex concessione Episcopi. Imò quod in casu necessitatis possit hoc sacramentum conferri in oleo non benedicto. Ita Ioãnes Martinon de sacram. disput.65.sect.3. nu.16. cuius verba refert Diana par. 10. tract.16.resol.81.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Simplex Sacerdos potest ex commissione, vel delegatione Summi Pontificis, esse minister benedictionis olei infirmorum, licet solus Episcopus, sit huius benedictionis minister ordinarius*. Hæc conclusio est communis inter Thomistas, quatenus dicunt Episcopi benedictionem non esse essentialẽ, cum possit per simplicem fieri Sacerdotẽ. Hos citat Martinon apud Dianam loco citato, & sunt Victoria, Sotus, & Caietanus, quibus additur Paludanus, & Valentia, quibus addit Diana, Henriquez, Zambranum & Lessium, quatenus dicunt ex Pontificis cõmissione posse simplicem Sacerdotem illam facere benedictionem, quod probabile iudicat Diana. Pro quo nota sacramenti ministrum, alium esse ordinarium, alium ex delegatione: ordinarius est, cui ex sacramẽti institutione primariò, & ratione sui materia committitur præparanda, ille vero est ex delegatione, cui materiæ præparatio ex alterius conuenit commissione, & sic, cum ex Euangelijs non cõstet, an Christus Dominus personam, quæ huius materiam sacramenti præparare deberet, determinauerit, credibile est, quod voluerit hanc sacramenti materiam, tanquam ex officio ab Episcopo præparari, vt præparatur materia illorum sacramẽtorum, qua Christus non fuit vsus; & quod ex sui Vicarij delegatione, alius deputari possit minister idoneus.

Probatur conclusio, quia Græci ex antiquissima cõsue-

tudine orientalis Ecclesiæ à Clem. VIII. approbata, conferunt namq; Græci hoc sacramentũ cũ oleo nõ ab Episcopo benedicto, sed ab ipsis Presbyteris; atqui hoc esse nõ potest, nisi ex Summi Pontificis cõmissione; ergo ex cõmissione ista poterit huius sacramẽti materia à simplici Sacerdote benedici. Vnde non placet, quod dicit Martinon, quod talis benedictio fiat ab illis Presbyteris de licentia Episcopi, cum ipsi Episcopi reclament, & vellent eos vti oleo à se benedicto. Multo minus placet quod dicit auctor ille, quod in casu necessitatis posset deseruire oleum non benedictum, cum Concilia velint oleum esse debere benedictum, & hoc rationabiliter, quia sacramẽti materia, quæ Christi contactu non fuit sanctificata, vt aqua, panis, & vinum, non debet vllo modo ad sacramentum deseruire, nisi benedicatur, consecretur, eleuetur, & proportionetur sacramento. Admittit tamen Diana cum Decastillo, Laymano, Lugone, & Baunio, quod in casu necessitatis, si oleum non adesset, posset hoc sacramentum in Chrismate conferri, licet hoc non admittat Palaus, quia est contra Ecclesiæ consuetudinem, & quia Chrismatis consecratio non est facta per ordinem ad hoc sacramentum; sed neutra Palai ratio, Dianæ sententiam destruit; non prima, quia non constat de tali Ecclesiæ consuetudine, & si constaret, posset quis dicere eo necessitatis casu non officere: nec secunda quia in sacramenti materia, saltem remota, talis ordinatio non requiritur, sed sufficit quod materia sit idonea, &c.

Sed quæres primò, an ritus benedicendi oleum infirmorum sit à Christo Domino determinatus? Respondetur negatiuè, sed liberam reliquit Ecclesiæ eius institutionem, quam posset si vellet mutare.

Quæres secundò. An possit Curatus v. g. quia oleum benedictum est in parua quantitate, oleum non benedictũ in benedicto ponere, & sic sacramentum conferre? Respondetur affirmatiuè, dummodo in parua ponatur quã-

titate,

titate; imò saluo meliori iudicio puto quod si sensim infunderetur posset etiam in magna infundi quantitate, quia tunc paulatim praecedenti vnitur, & fit totum benedictū, vt cum paruo igni paulatim ligna adduntur, & fit magnus ignis, non censetur nouus ignis, sed prior manere, idem dicerem de aqua benedcta.

Quaeres tertiò, an possit Sacerdos hoc sacramentum conferre in oleo veteri, & non eo anno benedicto? Respondetur affirmatiuè, ita Diana cum alijs loco citato, licet cōsultum sit omni anno nouum curare oleum, & vetus comburere nouo habito, nō prius.

QVAESTIO III.

De materia proxima huius Sacramenti, quae est vnctio.

DE vnctione, quę est proxima huius sacramenti materia plures excitantur difficultates. Prima est, an haec Vnctio in modum crucis fieri debeat? Respōdetur negatiuè, quia nec S. Iacobus, nec Cōcilia, nec Patres illam requirunt; debet tamen ita fieri, quia in omnibus sacramentis, crucis signum solet adhiberi. Quod si id non fiat absque scādalo, sed ex rationabili causa, non erit peccatū, vt si ob celeritatem, quia infirmus periclitatur, vel pestis tempore, omittatur, &c.

Secunda difficultas, in qua quantitate, haec Vnctio fieri debeat? Respondetur eadem proportionali qua fit Baptismi ablutio; vnde sicut ad faciendam sufficientem pro Baptismo ablutionem, vna aquae gutta sufficit, ita ad faciendū huius sacramenti vnctionem, pro vno sensu, vna olei gutta sufficiet.

Tertia difficultas, an haec Vnctio fieri debeat immediato conferentis contractu, an vero fieri possit medio aliquo

instrumento, v.g. virga oblunga? Respondetur affirmatiuè, ad fugiendam præsertim contagionem, siue pestis, siue alterius morbi. Ita Diana par. 4. tract. 4. resol. 168. post Syluiũ; cui ego addo Isambertum de extrema vnct. disp. 2. art. 4. in fine, qui testatur de praxi Ecclesiæ. Ratio est, quia in hoc sacramento attenditur vnctio, non instrumentum, quo fit, ac proinde parum refert quod mediatè, vel immediatè fiat.

Quarta difficultas, an inũctio quinque sensum sit de huius sacramenti necessitate? Respondetur affirmatiuè, pro quo nota, quod quinque sensuũ vnctio dupliciter fieri potest, explicitè scilicet, & implicitè; explicitè, cum vnusquisque sensus inungitur propriã adiungendo formam; vt cum vnus (quod sufficit) vel vterq; vngitur oculus, & sua additur forma, nimirum, *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiã indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum.* Implicitè, cũ v.g vnus, vel duo vnguntur oculi, & adæquata omnium sensuum additur forma, dicendo: *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.* Nam licet hic oculus non sit determinate, clarè, & distinctè adequata huius sacramẽti materia, cũ clarè & distinctè non stet pro quinque sensibus; tamen implicitè, & confusè, prout tali substat formæ, adequatam huius sacramenti materiam inuoluit Hoc posito, dico contra aliquos quos congerit Diana p. 4. *de sacram* resol. 168. & p. 8. tr. 1. resol. 21. quod licet non sit de huius sacramenti necessitate, quod fiat singulorum sensum expressa, & determinata Vnctio; est tamen, quod fiat implicita, modo explicato. Ita docet idem Diana locis citatis post multos, & grauissimos auctores quos ibi allegat quibus addo Isamb. loco citato art. 5.

Probatur, quia vnica Vnctio modo dicto facta, sufficienter denominat hominem vnctum, sicut vnica ablutio in Baptismo, & sicuti ex hoc non est necesse hominem trina

na Baptizare ablutione, ita non erit necesse infirmum quintuplici vngere Vnctione.

Confirmatur, quia hic adest huius sacramenti forma, adest vnctio, & etiam tota & adequata materia, in vna eius parte implicitè contenta; ergo. Ex quibus infert Diana, quod tempore pestis potest eo modo Extrema vnctio conferri, licet fortè melius esset cito omnes sensus percurrere vngendo vnum oculum, vnam aurem, &c. & totam formã proferre, nimirum: *Per istam sanctam &c. indulgeat tibi Deus quod peccasti per visum, auditũ &c.*

Sed petes, an sit probabilis illorum sententia, qui dicunt posse inungi vnam solũ partem, proferendo formam partialem sibi correspondentem; vt vngendo solum oculum, & dicendo. *Per istam sanctam Vnctionem &c. indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum*? Affirmatiuè respondet Diana *de sacram.* resol. 179. post Syluium, quem ibi citat. Et hanc sententiam omni conatu defendit Beccanus de *sacram.* c. 25. q. 7. nu. 6. vbi docet vnam sufficere vnctionem, in capite, vel pectore factam &c. Probat 1. quia nec in scriptura, nec in vniuersali traditione Ecclesię aliud colligi potest 2. quia forma Ambrosiana, & Veneta nisi vnam significant vnctionem 3. quia sicut in Baptismo vna sufficit immersio, ita in hoc sacramento vna Vnctio. Sed non est recedendum à communi sententia Theologorũ cum D. Thoma 4. dist. 23. q. 1. art. 1. Ratio est, quia omnes vnctiones vnam, & adequatum complent huius sacramenti significationem; ergo nisi ponantur saltem implicite, modo dicto, vel non ponetur sacramentum, vel saltem non cõpletum; sicuti enim non licet in Altaris sacrificio vnicam tantum consecrare speciem, licet vtraque sit se ipsa verum sacramentum secundum suas partiales rationes; quia non ponitur integrum sacramentum in ratione cõuiuij, vt de Eucharistia diximus; ita neque hic licebit vnicam solum ponere vnctionem, quia non ponetur integrum sacramentum

tum secundum completam ipsius significationem, quæ est totalem facere reliquiarũ peccatorum deletionem. Sed hic alia emergit difficultas, quam hic subijcimus.

Quinta difficultas, an quinque vnctiones sint vnum, vel quinque sacramenta specie distincta? Est opinionum varietas; aliqui namque volunt omnes vnctiones esse distincta specie sacramenta, & distinctas habere specie significationes, & distinctas specie conferre gratias sacramentales, & solum genere esse vnũ, vt est multorum opinio, de sacramẽto ordinis; & sic sicut in Ordine vnum potest conferri sacramentum sine alio, & vnum quodque suam confert gratiam, ita & in hoc sacramento; Vnde si quis moriatur post primam vnctionẽ vnum specie & numero recepit sacramentum; si post secundam duo, & iste maiorẽ gratiam, quàm primus perse recipiet, &c. Alij volunt, omnes vnctiones esse sacramenta, sed solam primam (quæcunque illa sit) cõferre gratiam, cum non sit de ratione sacramenti, quod gratiam conferat, sed quod possit illam conferre si iam productã non inueniat huiusmodi autẽ sunt omnes iste Vnctiones.

Alij denique volunt quod solum vltima gratiam causet, omnes tamen vnum conficiãt sacramentum. Dico primò; *licet qualibet vnctio si secundũ se consideretur, & in ordine ad partialem effectum, quem causat, sit verum sacramentũ specie ab alijs distinctum, tamen si consideretur in ordine ad totalem significationem, vnum specie cum alijs cõficit sacramẽtum.* Hæc est expressa Diui Thomæ sententia in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. vbi comparat hoc sacramentum, Eucharistiæ, quod licet sit plura sacramenta habentia proprias significationes &c. tamẽ quia iste vnam adequatam complent in ratione conuiuij, significationem, ideo vnum specie sacramentum est: ita in hoc sacramento, *quia* (verba sunt Angelici) *curatio interiorum vulnerum non potest perfectè significari nisi per oppositionem medicinæ ad diuersas vulnerum radices, ideo plures*

res actiones sunt de perfectione huius sacramenti.

Dico secundò, *vnaquæque vnctio suam causat partialem gratiam: vnde cum primum vnguntur oculi, omnia remittuntur peccata mortalia, quæ quis habet, licet putet non habere, & actum habet attritionis; nam vt diximus de sacrã. in genere, omnia sacramenta viuorum primam conferunt aliquando gratiam, & faciunt ex attrito contritum, quando quis bona fide recipit illa; & deinde remittuntur omnia venialia, quæ per oculorum sensum commissa fuerunt. Secũda vnctio, remittit venialia illi sensui correspondentia, & sic de ceteris, & omnes istæ partiales vulnerum curationes vnam integrant curationem, ratione cuius vnum specie efficitur sacramentum.* Hæc cõclusio sic explicata est expressè in D. Thoma loco citato, ob id hoc sacramentum, Eucharistiæ comparat, cuius vtraque pars suam producit gratiam; &c. ob hanc eandẽ rationem vult D. Thomas, quod sicut in Eucharistia si moriatur sacerdos post primę speciei consecrationem, debeat alius supplere, ita idem fieri debeat in hoc sacramento, vt suo (vt illud) non careat complemento, &c.

QVAESTIO IV.

De forma huius sacramenti, deq; annexis illius.

DVo possunt in huius sacramenti forma considerari, sicut & considerata fuere in alijs sacramentorũ formis, essentialia nimirum, & non essentialia, siue integralia sint, siuè accidentalia: vt in forma consecrandi calicis, essentialia sunt prima verba *Hic est calix sanguinis mei*: integralia sequentia; accidentale *enim* Huius sacramenti forma adequatè sumpta est: *Per ista sanctam vnctionem, & per suam pijssimã misericordiam indulgeat tibi*

Deus

Deus quidquid peccasti per visum, illam replicando super omnem sensum, nam renes & pedes non sunt partes necessario vngendæ, mos tamẽ propriæ Ecclesiæ seruandus est. Hæc forma depræcatiua est, vt patet ex verbis D. Iacobi, & hoc conuenientissimè, vt hoc sacramentum, à Pœnitentia distingueretur. Nam cum hoc sacramentum peccatorum faciat remissionem, & sit infirmorum pœnitentia, & sit sacramentum, Pœnitentiæ sacramenti, cõsumatiuum, vt docet Tridẽnum sess. 14. debuit modo deprecatiuo confici, vt sic, infirmo peccata dimitterentur, sine eius labore, sed sola Dei misericordia, sine vllo satisfactionis opere; & licet hæc forma, oratio depræcatiua sit, ita tamen efficaciter gratiam facit, ac aliæ aliorum sacramentorum formæ, quæ orationes absolutæ sunt. Vnde patet falsitas sententiæ Becani de sacram. c. 27, q. 7. vbi dicit sufficere formã indicatiuam; cum hoc verbis D. Iacobi repugnet, & omnium Theologorum sensui.

Forma essentialis huius sacramenti his verbis continetur. *Per vnctionem indulgeat tibi Deus*: per ista namque verba sufficienter huius sacramenti effectus significatur; nam illa particula *per vnctionem* significat materiæ remotæ nempe olei applicationem, materia namque proxima, est remotæ applicatio: *indulgeat*, exprimit depræcationem, & gratiam peccatorum remissiuam, cum indulgentia peccatorum quam facit Deus, non nisi media gratia fiat: illa particula *Deus*, significat quod hæc indulgẽtia fit potissimè per Dei misericordiam. Aliæ particulæ ponuntur ad maiorem explicationem, & effectus expressionem. Videatur Ilambertus hic disput. 3. art. 2. & Petrus de S. Ioseph, in sua Idea, qui optimè probant quod nõ sit necesse ad veritatem sacramenti, quod sensus in forma exprimantur, licet inungi debeãt modo suprã dicto; quodque probabile dicit Diana 10. p. tract. 12. resol. 32.

Sed quæres primò, an ad valorem sacramenti debeat

huius

huius sacramenti forma ad singulas sensuum Vnctiones repeti? Respondetur ex dictis quod non, sed sufficit quod dũ quinque sensus inunguntur tota forma super illos sine repetitione proferatur, hoc modo: *Per istam sanctam vnctionem, & per suam pijssimã misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum*; aliæ duæ partes, non sunt necessario vngendæ, imò nullo modo renes in feminis, vt Rituale præscribit Romanum, & si aliquis inungere vellet, sufficeret illas cũ alijs in eadem forma coniungere: est communis Theologorum sententia.

Quæres secundò, an extra necessitatis casum, possit quis non replicare ad omnes sensuum vnctiones propriam formã, sed vnica sufficiat prolatio, sensus omnes amplectens, modo mox dicto? Dicastillus apud Dianam par. 10. tract. 11. resol. 11. dicit nullũ esse peccatũ mortale, formæ relinquere repetitionem, sed vnico cõtextu omnes sensus nominare: rationem assignat, quia cum Presbyteri oratio sit omnibus sensibus communis, etiam formæ prolatio cõmunis esse poterit. Sed hæc sententia nullo modo est admittenda, cum sit contra praxim Ecclesiæ in re graui: dico ergo extra necessitatis casum nullo modo licere vnicã ad omnes sẽsus adhibere formam, sed vnicuique propriã partialem, addendam esse.



DISPVTATIO SECVNDA

De Extremæ vnctionis effectibus, deque ministro, subiecto, dispositionibus, & obligationibus ministrandi, & recipiendi illud.

HAec omnia sub vnica coniungimus disputatione, ne pro vnaquaque quæstione, vna instituatur disputatio. Explicuimus disputatione præcedenti Extremę vnctionis essentiã, ad quam eius subsequuntur effectus, postea minister, deinde subiectum capax illius, dispositiones requisitæ in tali subiecto, vt dignè hoc sacramentum recipiat, & tandem obligationes ministri ad illud administrandum, & subiecti ad illud recipiendum, & sic, omnia quæ de hoc sacramẽto pertractari solent explicata manebunt.

QVAESTIO I.

Quinam sint Sacramenti Extremæ vnctionis effectus.

EFfectus alij sunt primarij, alij secundarij, alij per accidens. Dico primò: *gratia sanctificãs prout fundat ius in infirmo, qui hoc recipit sacramentum, ad recipiẽda specialia*

cialia Dei auxilia, vt iuuetur, & confortetur eius animus, in fide, spe, & fiducia diuinæ misericordiæ: vt iuuetur ad perferendos morbi dolores, & corroboretur ad fortiter diaboli sustinendos insultus, est huius sacramenti primarius effectus. Hæc cōclusio est expressa D.Thomæ sentētia q.30.suppl.art.1. quatenus dicit, quod huius sacramēti effectus primarius, sit expellere reliquias peccatorum: pro quo nota, quod hic terminus *peccatorum reliquiæ*, variè à Theologis explicatur, aliqui namque per *peccatorum reliquias* pœnas intelligūt temporales, quę peccato dimisso quoad culpam exoluendæ aliquando remanent, &h as reliquias volunt esse primarium huius sacramenti effectum; sed hoc esse nequit, alioqui pauci qui hoc sacramentum susciperent, ad Purgatorium irent, nisi in casu quo post illud aliquod veniale committerēt, vel mortale, sed vel confiteretur, vel per contritionem deleretur. Alij per *peccatorum reliquias* intelligunt sanitatis corporalis restitutionem, quia putant infirmitatem esse peccati reliquiā, sicut dolores, &c. Sed vt ex dicendis patebit, iste nō potest esse primarius huius sacramenti effectus. Alij volunt habitus vitiosos esse *peccatorum reliquias*, & hos tolli primariò per huius sacramēti susceptionem.

Sed D.Thomas loco citato vult quod sit *quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti tollit illud, si inueniat, siue mortale, siue veniale, &c.* Pro horum verborum pleno intellectu nota cū Nugno ibidem, quod homo in mortali existēs, habet pronitatem, & procliuitatem ad malum, & quandam ineptitudinem, langorem, & debilitatem ad operandum bonū, qui peccati effectus ablata culpa saltem ex parte manēt, & hæ *peccatorum reliquiæ* dicuntur: & sic proprius huius sacramenti effectus est causare gratiam, lætificantē ani-

mam roborantem, & conferentem vigorem, erigentem animum in fidem,ſpem,& fiduciam diuinæ miſericordiæ, &c. & quia gratia id præſtat medijs auxilijs, ideo diximus in cõcluſione effectum huius ſacramenti primarium eſſe conferre gratiam,quæ fundat ius ad ſpecialia recipienda auxilia, quibus languor, & debilitas ex peccatis relicta, tollatur, & ſubinde infirmus roboretur, confortetur, &c.

Probatur concluſio ſic explicata ex verbis Iacobi, & *alleuiabit eum Dominus*: quaſi dicat: Dominus gratiam cõferet, qua infirmus alleuietur, roboretur, &c. reliquijs peccatorũ excluſis. Hæc omnia proſequitur Tridentinum ſeſſ.14.cap.2. vbi dicitur: *Res porrò & effectus huius ſacramenti illis verbis explicatur:& oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, Res etenim hæc, gratia eſt Spiritus ſancti, cuius vnctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit,& ægroti animam alleuiat,& confirmat, magnam in eo diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando; qua infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tẽtationibus Dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit,& ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expediret,conſequitur.*

Dico ſecundò. *Remiſſio peccatorum tum mortalium, tum venialium, eſt ſecundarius, ſed proprius huius ſacramenti effectus*. Patet ex illo Iacobi, *& ſi in peccatis fuerit remittentur ei*, & ex Tridentino mox citato. Quod hoc ſacramentũ, modo quodam ſpeciali,& ſibi proprio, peccata remittat venialia, cõcedunt omnes, alioqui perfectum non conferret robur, nec perfectè animam alleuiaret,& erigeret in ſpem viuam, & fiduciã diuinæ miſericordiæ,cum venialia, hæc habeant impedire. Quod autem habeat etiam mortalia remittere patet ex dictis,cum faciat, ex attrito contritum; & quod etiam hoc ſit huius ſacramẽti proprium,patet ex modo dictis.

Dico tertiò: *Sanitas corporalis quando id expedit, eſt proprius*

prius huius sacramenti effectus, licet secundarius: patet ex dictis. Dico quartò: *habet etiam hoc sacramentũ ex opere operato aliquas pœnas peccatis debitas dimittere*; patet ex dictis de satisfactione; quod namque est ex opere operato, culpæ remissiuum, est etiam remissiuum alicuius pœnæ, quod omnia præstant sacramenta, vt alibi diximus.

Sed quæret hic aliquis, quonam tempore, hi producantur effectus, an ad singulas vnctiones, an vero postquam totum sacramentum consũmatum est? Respondetur ex dictis, quod sicut singulæ vnctiones suas producunt gratias, etiam sibi correspondentes producunt effectus, singulæ namque vnctiones suam habent particularem materiam, & formam, & sic singulæ, propriam peccati radicem destruere debent; sensus namque sunt omnium radices delictorum, iuxta illud, *mors intrat per fenestras*.

Petes, an habitus vitiosi computentur inter reliquias peccatorum? Respõdetur affirmatiuè, quia re vera pronitatem ad malum causant: & licet per hoc sacramentum vitiosi habitus totaliter non tollantur, minuuntur tamen.

QVAESTIO II.

Quisnam sit huius sacramenti minister.

DIco primò, *in casu necessitatis, quilibet Sacerdos est sufficiens huius sacramenti minister*. Hæc conclusio est de fide definita in Tridentino sess. citata can. 4. vnde Diaconus etiam ex Pontificis dispensatione non potest esse huius sacramenti minister. Ratio est quia cum hoc sacramentum sit Pœnitentiæ complementum, characterem supponere debet sacerdotalem. Et quia, quælibet actio sacramentalis in corpus Domini mysticum (si Baptismum excipias, cum sit summæ necessitatis sacramentum) suppo-

nit

instrumento, v.g. virga oblunga? Respondetur affirmatiuè, ad fugiendam præsertim contagionem, siue pestis, siue alterius morbi. Ita Diana par.4. tract.4. resol.168. post Syluiũ; cui ego addo Isambertum de extrema vnct. disp.2. art.4. in fine, qui testatur de praxi Ecclesiæ. Ratio est, quia in hoc sacramento attenditur vnctio, non instrumentum, quo fit, ac proinde parum refert quod mediatè, vel immediatè fiat.

Quarta difficultas, an inũctio quinque sensum sit de huius sacramenti necessitate? Respondetur affirmatiuè, pro quo nota, quod quinque sensuũ vnctio dupliciter fieri potest, explicitè scilicet, & implicitè; explicitè, cum vnusquisque sensus inungitur propriã adiungendo formam; vt cum vnus (quod sufficit) vel vterq; vngitur oculus, & sua additur forma, nimirum, *Per istam sãctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiã indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum.* Implicitè, cũ v.g vnus, vel duo vnguntur oculi, & adæquata omnium sensuum additur forma, dicendo: *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.* Nam licet hic oculus non sit determinate, clarè, & distinctè adequata huius sacramẽti materia, cũ clarè & distinctè non stet pro quinque sensibus; tamen implicitè, & confusè, prout tali substat formæ, adequatam huius sacramenti materiam inuoluit Hoc posito, dico contra aliquos quos congerit Diana p. 4. *de sacram* resol. 168. & p.8. tr.1. resol.21. quod licet non sit de huius sacramenti necessitate, quod fiat singulorum sensum expressa, & determinata Vnctio; est tamen, quod fiat implicita, modo explicato, Ita docet idem Diana locis citatis post multos, & grauissimos auctores quos ibi allegat quibus addo Isamb. loco citato art. 5.

Probatur, quia vnica Vnctio modo dicto facta, sufficienter denominat hominem vnctum, sicut vnica ablutio in Baptismo, & sicuti ex hoc non est necesse hominem trina

na Baptizare ablutione, ita non erit necesse infirmum quintuplici vngere Vnctione.

Confirmatur, quia hic adest huius sacramenti forma, adest vnctio, & etiam tota & adequata materia, in vna eius parte implicitè contenta; ergo. Ex quibus infert Diana, quod tempore pestis potest eo modo Extrema vnctio conferri, licet fortè melius esset cito omnes sensus percurrere vngendo vnum oculum, vnam aurem, &c. & totam formā proferre, nimirum: *Per istam sanctam &c. indulgeat tibi Deus quod peccasti per visum, auditū &c.*

Sed petes, an sit probabilis illorum sententia, qui dicunt posse inungi vnam solū partem, proferendo formam partialem sibi correspondentem; vt vngendo solum oculum, & dicendo. *Per istam sanctam Vnctionem &c. indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum*? Affirmatiuè respondet Diana *de sacram.* resol. 179. post Syluium, quem ibi citat. Et hanc sententiam omni conatu defendit Beccanus de *sacram.* c. 25. q. 7. nu. 6. vbi docet vnam sufficere vnctionem, in capite, vel pectore factam &c. Probat 1. quia nec in scriptura, nec in vniuersali traditione Ecclesię aliud colligi potest 2. quia forma Ambrosiana, & Veneta nisi vnam significant vnctionem 3. quia sicut in Baptismo vna sufficit immersio, ita in hoc sacramento vna Vnctio. Sed non est recedendum à communi sententia Theologorū cum D. Thoma 4. dist. 23. q. 1. art. 1. Ratio est, quia omnes vnctiones vnam, & adequatum complent huius sacramenti significationem; ergo nisi ponantur saltem implicite, modo dicto, vel non ponetur sacramentum, vel saltem non cōpletum; sicuti enim non licet in Altaris sacrificio vnicam tantum consecrare speciem, licet vtraque sit se ipsa verum sacramentum secundum suas partiales rationes; quia non ponitur integrum sacramentum in ratione cōuiuij, vt de Eucharistia diximus; ita neque hic licebit vnicam solum ponere vnctionem, quia non ponetur integrum sacramentum

res actiones sunt de perfectione huius sacramenti.

Dico secundò, *vnaquaque vnctio suam causat partialem gratiam: vnde cum primum vnguntur oculi, omnia remittuntur peccata mortalia, quæ quis habet, licet putet non habere, & actum habet attritionis; nam vt diximus de sacrā. in genere, omnia sacramenta viuorum primam conferunt aliquando gratiam, & faciunt ex attrito contritum, quando quis bona fide recipit illa; & deinde remittuntur omnia venialia, quæ per oculorum sensum commissa fuerunt. Secūda vnctio, remittit venialia illi sensui correspondentia, & sic de cæteris, & omnes istæ partiales vulnerum curationes vnam integrant curationem, ratione cuius vnum specie efficitur sacramentum.* Hæc cōclusio sic explicata est expressè in D. Thoma loco citato, ob id hoc sacramentum, Eucharistiæ comparat, cuius vtraque pars suam producit gratiam; &c. ob hanc eandē rationem vult D. Thomas, quod sicut in Eucharistia si moriatur sacerdos post primę speciei consecrationem, debeat alius supplere, ita idem fieri debeat in hoc sacramento, vt suo (vt illud, non careat complemento, &c.

QVAESTIO IV.

De forma huius sacramenti, deq; annexis illius.

Dvo possunt in huius sacramenti forma considerari, sicut & considerata fuere in alijs sacramentorū formis, essentialia nimirum, & non essentialia, siue integralia sint, siuè accidentalia: vt in forma consecrandi calicis, essentialia sunt prima verba *Hic est calix sanguinis mei*: integralia sequentia; accidentale *enim* Huius sacramenti forma adequatè sumpta est: *Per ista sanctam vnctionem, & per suam pijssimā misericordiam indulgeat tibi*

Deus

Deus quidquid peccasti per visum, illam replicando super omnem sensum, nam renes & pedes non sunt partes necessario vngendæ, mos tamē propriæ Ecclesiæ seruandus est. Hæc forma depræcatiua est, vt patet ex verbis D. Iacobi, & hoc conuenientissimè, vt hoc sacramentum, à Pœnitentia distingueretur. Nam cum hoc sacramentum peccatorum faciat remissionem, & sit infirmorum pœnitentia, & sit sacramentum, Pœnitentiæ sacramenti, cōsumatiuum, vt docet Tridēnum sess. 14. debuit modo deprecatiuo confici, vt sic, infirmo peccata dimitterentur, sine eius labore, sed sola Dei misericordia, sine vllo satisfactionis opere; & licet hæc forma, oratio depræcatiua sit, ita tamen efficaciter gratiam facit, ac aliæ aliorum sacramentorum formæ, quæ orationes absolutæ sunt. Vnde patet falsitas sententiæ Becani de sacram. c. 27, q. 7. vbi dicit sufficere formā indicatiuam; cum hoc verbis D. Iacobi repugnet, & omnium Theologorum sensui.

Forma essentialis huius sacramenti his verbis continetur. *Per vnctionem indulgeat tibi Deus*: per ista namque verba sufficienter huius sacramenti effectus significatur; nam illa particula *per vnctionem* significat materiæ remotæ nempe olei applicationem, materia namque proxima, est remotæ applicatio: *indulgeat*, exprimit depræcationem, & gratiam peccatorum remissiuam, cum indulgentia peccatorum quam facit Deus, non nisi media gratia fiat: illa particula *Deus*, significat quod hæc indulgētia fit potissimè per Dei misericordiam. Aliæ particulæ ponuntur ad maiorem explicationem, & effectus expressionem. Videatur Ilambertus hic disput. 3. art. 2. & Petrus de S. Ioseph, in sua Idea, qui optimè probant quod nō sit necesse ad veritatem sacramenti, quod sensus in forma exprimantur, licet inungi debeat modo supra dicto; quodque probabile dicit Diana 10. p. tract. 12. resol. 32.

Sed quæres primò, an ad valorem sacramenti debeat

huius

huius sacramenti forma ad singulas sensuum Vnctiones repeti? Respondetur ex dictis quod non, sed sufficit quod dũ quinque sensus inunguntur tota forma super illos sine repetitione proferatur, hoc modo: *Per istam sanctam vnctionem, & per suam pijssimã misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum*; aliæ duæ partes, non sunt necessario vngendæ, imò nullo modo renes in feminis, vt Rituale præscribit Romanum, & si aliquis inungere vellet, sufficeret illas cũ alijs in eadem forma coniungere: est communis Theologorum sententia.

Quæres secundò, an extra necessitatis casum, possit quis non replicare ad omnes sensuum vnctiones propriam formã, sed vnica sufficiat prolatio, sensus omnes amplectens, modo mox dicto? Dicastillus apud Dianam par. 10. tract. 11. resol. 11. dicit nullũ esse peccatũ mortale, formæ relinquere repetitionem, sed vnico cõtextu omnes sensus nominare: rationem assignat, quia cum Presbyteri oratio sit omnibus sensibus communis, etiam formæ prolatio cõmunis esse poterit. Sed hæc sententia nullo modo est admittenda, cum sit contra praxim Ecclesiæ in re graui: dico ergo extra necessitatis casum nullo modo licere vnicã ad omnes sẽsus adhibere formam, sed vnicuique propriã partialem, addendam esse.



Ffff DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA

De Extremæ vnctionis effectibus, deque ministro, subiecto, dispositionibus, & obligationibus ministrandi, & recipiendi illud.

HAec omnia sub vnica coniungimus disputatione, ne pro vnaquaque quæstione, vna instituatur disputatio. Explicuimus disputatione præcedenti Extremę vnctionis essentiã, ad quam eius subsequuntur effectus, postea minister, deinde subiectum capax illius, dispositiones requisitæ in tali subiecto, vt dignè hoc sacramentum recipiat, & tandem obligationes ministri ad illud administrandum, & subiecti ad illud recipiendum, & sic, omnia quæ de hoc sacramẽto pertractari solent explicata manebunt.

QVAESTIO I.

Quinam sint Sacramenti Extremæ vnctionis effectus.

EFfectus alij sunt primarij, alij secundarij, alij per accidens. Dico primò: *gratia sanctificãs prout fundat ius in infirmo, qui hoc recipit sacramentum, ad recipiẽda specialia*

cialia Dei auxilia, vt iuuetur, & confortetur eius animus, in fide, spe, & fiducia diuinæ misericordiæ: vt iuuetur ad perferendos morbi dolores, & corroboretur ad fortiter diaboli sustinendos insultus; est huius sacramenti primarius effectus. Hæc cõclusio est expressa D.Thomæ sentẽtia q.30.suppl.art.1. quatenus dicit, quod huius sacramẽti effectus primarius, sit expellere reliquias peccatorum: pro quo nota, quod hic terminus *peccatorum reliquiæ*, variè à Theologis explicatur, aliqui namque per *peccatorum reliquias* pœnas intelligũt temporales, quę peccato dimisso quoad culpam exoluendæ aliquando remanent, & has reliquias volunt esse primarium huius sacramenti effectum; sed hoc esse nequit, alioqui pauci qui hoc sacramentum susciperent, ad Purgatorium irent, nisi in casu quo post illud aliquod veniale committerẽt, vel mortale, sed vel confiteretur, vel per contritionem deleretur. Alij per *peccatorum reliquias* intelligunt sanitatis corporalis restitutionem, quia putant infirmitatem esse peccati reliquiã, sicut dolores, &c. Sed vt ex dicendis patebit, iste nõ potest esse primarius huius sacramenti effectus. Alij volunt habitus vitiosos esse *peccatorum reliquias*, & hos tolli primariò per huius sacramẽti susceptionem.

Sed D.Thomas loco citato vult quod sit *quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti tollit illud, si inueniat, siue mortale, siue veniale, &c.* Pro horum verborum pleno intellectu nota cũ Nugno ibidem, quod homo in mortali existẽs, habet pronitatem, & procliuitatem ad malum, & quandam ineptitudinem, langorem, & debilitatem ad operandum bonũ, qui peccati effectus ablata culpa saltem ex parte manẽt, & hæ *peccatorum reliquiæ* dicuntur: & sic proprius huius sacramenti effectus est causare gratiam, lætificantẽ ani-

mam roborantem, & confe-rentem vigorem, erigentem animum in fidem, ſpem, & fiduciam diuinæ miſericordiæ, &c. & quia gratia id præſtat medijs auxilijs, ideo diximus in cõcluſione effectum huius ſacramenti primarium eſſe conferre gratiam, quæ fundat ius ad ſpecialia recipienda auxilia, quibus languor, & debilitas ex peccatis relicta, tollatur, & ſubinde infirmus roboretur, confortetur, &c.

Probatur concluſio ſic explicata ex verbis Iacobi, & *alleuiabit eum Dominus*: quaſi dicat: Dominus gratiam cõferet, qua infirmus alleuietur, roboretur, &c. reliquijs peccatorũ excluſis. Hæc omnia proſequitur Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 2. vbi dicitur: *Res porrò & effectus huius ſacramenti illis verbis explicatur: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei, Res etenim hæc, gratia eſt Spiritus ſancti, cuius vnctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuina miſericordia fiduciam excitando; qua infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tẽtationibus Demonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti anima expediret, conſequitur.*

Dico ſecundò. *Remiſſio peccatorum tum mortalium, tum venialium, eſt ſecundarius, ſed proprius huius ſacramenti effectus.* Patet ex illo Iacobi, & *ſi in peccatis fueris remittentur ei*, & ex Tridentino mox citato. Quod hoc ſacramentũ, modo quodam ſpeciali, & ſibi proprio, peccata remittat venialia, cõcedunt omnes, alioqui perfectum non conferret robur, nec perfectè animam alleuiaret, & erigeret in ſpem viuam, & fiduciã diuinæ miſericordiæ, cùm venialia, hæc habeant impedire. Quod autem habeat etiam mortalia remittere patet ex dictis, cum faciat, ex attrito contritum; & quod etiam hoc ſit huius ſacramẽti proprium, patet ex modo dictis.

Dico tertiò: *Sanitas corporalis quando id expedit, eſt proprius*

prius huius sacramenti effectus, licet secundarius: patet ex dictis. Dico quartò: *habet etiam hoc sacramentū ex opere operato aliquas pœnas peccatis debitas dimittere*; patet ex dictis de satisfactione, quod namque est ex opere operato, culpæ remissiuum, est etiam remissiuum alicuius pœnæ, quod omnia præstant sacramenta, vt alibi diximus.

Sed quæret hic aliquis, quonam tempore, hi producantur effectus, an ad singulas vnctiones, an vero postquam totum sacramentum consūmatum est? Respondetur ex dictis, quod sicut singulæ vnctiones suas producunt gratias, etiam sibi correspondentes producunt effectus, singulæ namque vnctiones suam habent particularem materiam, & formam, & sic singulæ, propriam peccati radicem destruere debent; sensus namque sunt omnium radices delictorum, iuxta illud, *mors intrat per fenestras*.

Petes, an habitus vitiosi computentur inter reliquias peccatorum? Respōdetur affirmatiuè, quia re vera pronitatem ad malum causant: & licet per hoc sacramentum vitiosi habitus totaliter non tollantur, minuuntur tamen.

QVAESTIO II.

Quisnám sit huius sacramenti minister.

DIco primò, *in casu necessitatis, quilibet Sacerdos est sufficiens huius sacramenti minister*. Hæc conclusio est de fide definita in Tridentino sess. citata can. 4. vnde Diaconus etiam ex Pontificis dispensatione non potest esse huius sacramenti minister. Ratio est quia cum hoc sacramentum sit Pœnitentiæ complementum, characterem supponere debet sacerdotalem. Et quia, quælibet actio sacramentalis in corpus Domini mysticum (si Baptismum excipias, cum sit summæ necessitatis sacramentum) supponit

nit in ministro potestatem aliquam in corpus Domini verum, quæ in solo sacerdote habetur, ergo potestas hoc sacramentum ministrandi, cũ sit in corpus Domini mysticũ, debet sacerdotium supponere, quod dat potestatem in corpus Domini verum.

Non excipio Matrimoniũ, quia licet eius administratio sit actio sacramentalis, est tamen difficultas, an pertineat ad corpus Domini mysticum, cum matrimonij sacramentũ videatur humanam respicere propagationem, sed de hoc, alibi.

Ex hac conclusione infertur, quod in casu extremæ necessitatis sacerdos excommunicatus, vel suspensus erit sufficiens huius sacramenti minister.

Dico 2. *huius sacramenti minister extra casum necessitatis, sunt Papa pro toto orbe, Episcopus pro sua diæcesi, & Curatus pro sua Cura, siue Parecia, & alij de istorum licentia. Et Prælati regulares respectu suorum subditorum.* Ratio est, quia hoc sacramẽtum cum sit pœnitentiæ complementum, cum in eo fiat peccatorum remissio, aliquã supponit in ministro iurisdictionem, vt supponit Pœnitentia; ergo. Sed quæres an peccet mortaliter simplex sacerdos qui sine venia hoc sacramentum ministrat extra casum necessitatis? Respondetur affirmatiuè, est namque peccatum graue alterius vsurpare iurisdictionem; At Regulares exempti vltra peccatum mortale incidunt in excommunicationem, si præsumpserint absque venia hoc sacramentum ministrare, secus si bona fide procedant. Imò in casu necessitatis possunt illud administrare quando Parochus nolet id facere etiam ipso renuente, tunc enim Pontifex censetur potestatem facere. Diana p. 8. tr. 1. resol. 56.

Excipiuntur tamen aliqui casus in quibus Regulares, licite possunt hoc sacramentũ sæcularibus ministrare, ex multis priuilegij, quæ videri possunt in Diana p. 9. tract. 7. resol. 56. Primo namque possunt hoc sacramentum ministrare Regularium ipsorum fa-

familiaribus, hospitibus, iter agentibus, peregrinantibus, qui in eorum monasterijs fuerint infirmati, cum non deceat vocare Parochum vt in loco exempto, suæ iurisdictionis ponat exercitium: Secũdò Architectis, & cuiusuis artis ministris, qui in monasterio operam dant, etiam si sint illius vrbis ciues, habeantque in ea domicilium, si contingat morbo corripi periculoso, & repentino in Cõuentu, vt in facti contingentia vidi obseruari in vno, qui ex alto cecidit loco, & animã ferè agebat, licet tempus esset vocandi Curatum, cum valde prope esset. Tertiò ijs qui se ibi receperũt vt Ecclesiæ gauderent immunitate. Quartò omnibus laicis, quibus cõtingit intra monasterij septa repẽtino casu hoc indigere sacramento. An autem idem dici debeat de illis, quibus in Regularium grangijs id ipsum euenit, dubitant aliqui, aliqui affirmant per priuilegiorum extensionem, quia gangiæ in fauorabilibus nomine Cõuentuum volunt venire, cum sint quædam Regularium eremitoria, vel cõuẽtus partes. Videatur Quintana tom. 1. tract. 5. singul. 4. num. 4. & alij.

Sed quæres primò, an plures ministri possint successiuè hoc sacramentum ministrare? Respondetur affirmatiuè, dũmodo ille idem qui primam facit vnctionem etiam formam proferat, item ille, qui secundam, & sic deinceps, secus si vnus vngeret, & alter formam proferret, tunc enim temporis nullum fieret sacramentum. Prima pars patet, nam cum hoc sacramentum plures habeat partes realiter separabiles, potest vnus Sacerdos & vnam partem vngere, & formam proferre, vt patet in sacramento Eucharistiæ, vbi vnus Sacerdos potest vnam speciẽ consecrare, & alius aliam. Secunda pars patet, quia cũ materia debeat per formam determinari, debet ab eodem ministro vngẽte proferri. Aduerte tamen quod extra necessitatis casum, non licet hoc sacramentum à pluribus ministrari.

Quæres secundò, an etiam possit

possit hoc sacramẽtum à pluribus Sacerdotibus simul ministrari; ita quod quinque Sacerdotes, quinque faciant simul sensuum vnctiones, & vnusquisque supra sensum, quem vngit suam proferat formam? Respondetur affirmatiuè: imò id licitum esse dicunt plures, vt Isamb. disput. 5. art. 3. vbi citat Suarez, idem dicentem, &c. in casu tamen necessitatis, quod videtur colligi ex D. Iacobo dicente *inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.*

Quæres tertiò, an in his duobus casibus fiat vnum sacramentum, vel plura numero? Respondetur quod siue hoc sacramentum ab vno, siue à pluribus cõficiatur ministris semper eandem retinet vnitatem; nam si in ordine ad totalem, & completam accipiantur, partes inunctæ, significationem, vnum numero conficient sacramẽtum; si vero vna quæq; pars sigillatim accipiatur, & prout ab alia distincta, & distinctam partialem habet formam, & significationem, plura sacramenta numero erunt. An autem vnaquæque pars sigillatim accepta suam causet gratiam, an solum prima, vel vltima expectetur, diximus supra.

QVAESTIO III.

Quodnam sit subiectum capax huius Sacramenti recipiendi.

DIco primò, *subiectum capax huius sacramenti recipiendi est homo viator Baptismali charactere insignitus*. Quod huius sacramenti subiectum debeat esse homo Baptizatus, patet, quia Baptismus est omnium ianua sacramentorum. Quod debeat esse viator, seu viuus patet ex verbis Apostoli, *infirmatur quis in vobis.*

Dico

Dico secundò, *subiectum capax huius sacramenti est homo adultus vsum habens rationis, vel saltem quod illum habuerit*: patet ex verbis Apostoli dum dicit, *inducat Presbyteros*, qui enim vsum non habet rationis, vel non habuit, non potest humano modo Presbyteros inducere Ecclesiæ; at vero qui habuit aliquando vsum rationis censetur habere consensum saltem interpretatiuum, quem esse sufficientem, de sacramentis in genere docuimus ad dictos Presbyteros inducẽdos, ac proinde huius sacramenti capax erit.

Sed petes, quid faciẽdum est, quãdo dubitatur, an puer vsum habeat rationes? Respondetur sacramentum esse tunc sub conditione ministrandum, non enim per talem dubietatem debet puer hoc sacramento priuari, quod tot confert vtilitates, & fructus in mortis articulo. Diana de sacram. resol. 169. & alij communiter.

Dico tertiò: *subiectum capax huius sacramenti, ea debet laborare corporis infirmitate, quæ vitæ afferat periculum.* Hæc conclusio videtur definita ab Eugenio in suo vnionis decreto, dum dicit de hoc sacramento. *Hoc sacramentum nisi infirmo de cuius morte timetur, dari non debet.* Idem docet Tridentinum sess. 14. cap. 3. ob quod dicit, quod hoc sacramentum, noncupatur sacramentum exeuntium. Obseruat autem Rituale Romanum in præfatione ad hoc sacramẽtum, quod non debet expectari ad illud dandum, quod infirmus iam agat animam, hoc enim valde repræhensibile est, sed dari debet quando morbus est periculosus, & infirmus adhuc sensibus viget, quia tunc cum maiori fructu recipitur, ob infirmi deuotionem &c. Vnde valde repræhendendi sũt, qui curam habent infirmorũ, qui ob humanum timorem, expectant quando infirmus iam sensibus defecit, & tunc Parochum monent, & dum requisita parantur, infirmus multoties sine hoc sacramento discedit.

Hinc, huius cõditionis defectu, sequitur, non posse da-

ri hoc sacramentum Christiano sano, sed iamiam per suspendiũ morituro, vel in prælio, vel in naufragio. Secus qui vulnere iam infirmatur; imò absolutè concedunt vulneratum ex scelo vulnere, in mortis periculo constitutum, posse hoc sacramentum recipere, quia ipsum vulnus infirmitas quædam est, quod & mihi placet, cum Diuus Iacobus non limitauerit ad infirmitatem ex febri procedentem, sed absolutè loquutus est, ac proinde de omni infirmitate intelligi potest.

Sed an debeat hoc sacramentum dari mulieri in partu deficiente, est opinionum diuersitas: aliqui namque id negant vt Bonacina disput. 7. quæst. vnica par 5. nu. 6. Naldus v. Extrema vnctio nu. 5. Sequuti quoddam Mediolanense Concilium sub Sancto Carolo, id prohibens. Alij id affirmant, & sunt plures, quos refert, & sequitur Diana par. 10. tract. 12. resol. 9. quibus addo Isamb. disput. 6. art. 2.

Sed iudicium meum sit, id fieri posse, quãdo nulla adest irreuerentia, secus quando adest, & in hoc sensu puto loquutum fuisse Mediolanense Concilium, non vero in casu præcisè quo mulier parturiens vitæ patitur periculũ ex aliqua naturali ægritudine, ex acerbissimis doloribus causata, & ex membrorum vexatione, & torsione, quæ naturalis ægritudo non potest tunc non adesse, cum & doloris vehementia, & membrorum extorsio, infirmitas sit; alioquin inungi non posset ille, qui vitæ discrimen pateretur ex intestinorũ doloribus, quod est falsum.

Dico quartò: *qui habet conditiones in tribus præcedentibus conclusionibus dictas, est huius sacramenti capax, etiamsi nunquam peccasset, nec peccato veniali.* Ratio clara est, quia peccatorum deletio non est huius sacramenti effectus primarius, sed secundarius; primarius namque vti diximus est gratia sacramentalis, modo explicato; ergo etiam si peccatorum expulsio non detur, sufficienter hoc sacramentum saluari potest. Vnde concedunt ferè omnes, adul-

tum

tum recenter Baptizatum, in periculo mortis constitutum, inungendum esse; cum tunc sit gratiæ capax, licet non peccatorum deletionis. Hinc infertur, quod si Parochus ex pueri confessione cognoscat, cum nunquam peccasse mortaliter, nec venialiter, quod est difficile, adhuc debet hoc sacramentum ministrare, & quia eius saluatur effectus primarius, & quia alios habebit effectus secundarios, conferet namque robur aduersus diaboli tentationes, ad superandam tristitiam ex infirmitate manantem, &c.

Sed quæret hic aliquis, an tristitiæ alleuiatio sit effectus miraculosus, an naturalis? Respondetur non esse miraculosum; neque naturalem, sed virtute supernaturali ordinaria fieri, vt ex mox dicẽdis patebit.

Hinc, deduces maiorem elucidationẽ illius quod dicebamus, nimirum debere hoc sacramentum conferri, quando infirmitas est quidẽ periculosa, non tamen expectandum est, quod nulla maneat spes vitæ, non solum quia hoc est contra reuerentiam huic sacramento debitam, non solum quia infirmus maiori, & vberiori fructu priuatur, sed etiam quia est contra finem secundariũ eiusdem sacramenti, qui inter alios est sanitas corporalis, licet enim supernaturali virtute sanitatem causet corporalem, sicut & alios secundarios effectus, non tamen hoc facit miraculosè; miraculosè autem causaretur, si conferretur quando nulla est salutis spes. Non tamen debet hoc sacramentum ministrari antequam infirmitas sit periculosa; quia, vt dicebamus, tunc sacramentum nullum est, licet oppositum teneat Quintana. tract. 5. singul. 2. num. 2. Nec quando solum est dubium de periculo, tunc enim expectanda est maior certitudo, licet Chapeauilla cap 5. quæst. 11. dicat id fieri posse; puto namque quod si in dubio periculi hoc sacramentum ministraretur, deberet saltem sub conditione repeti; à fortiori si

collatum fuisset antequam morbus periculosus esset, adueniente namque periculo absolutè administrari debet.

Dico quintò, *qui semel vnctus est, non est amplius vngendus eadem infirmitate durante, nisi diuturna sit, & nouum accidat mortis periculum, quod potest in infirmitatibus longis pluries euenire.* Est communis sententia. Idem putarem, si noua & periculosa superueniret ægritudo, vel quādo morbus diuersum mutat statum, de periculoso in periculosum, nam cum hoc sacramentum characterem non imprimat, iterabile est, licet non in eadem omnino infirmitate, & sic quoties diuersa censetur, iterari poterit.

QVAESTIO IV.

Quomodo disponendus sit infirmus, vt hoc Sacramentum cum fructu recipiat.

Dico primò, *infirmus in mortali existens, antequam hoc sacramentum recipiat tenetur confessionem præmittere.* Ratio est, quia tunc temporis Pœnitentiæ sacramentum obligat, confessio tamen vt suppono non obligat ratione extremę vnctionis, sed ratione sui, modo suo loco explicato; adhoc namque vt sacramenta viuorum recipiātur gratiæ status sufficit, qui sufficienter per contritionem haberi potest, excipitur tamē sacramentum Eucharistiæ, vt suo loco docuimus. Vnde non placet, quod docent aliqui, Extremam vnctionem, per se, Pœnitentiam supponere, cum illi sufficiat per se loquendo contritio, proutpro alijs sufficit sacramentis, excepto Eucharistiæ sacramēto.

Dico secundò. *Infirmus in mortali existens nō potens confiteri, poterit hoc sacramentū accipere fructuosè, nō solum si contri-*

tri-

tritus est, verum etiam si attritus, bona tamen fide putat esse contritus. Hęc conclusio patet ex dictis de sacramẽtis in genere, vbi cũ D. Tho. & Thomistis ostẽdimus in hoc casu hominem fieri ex attritio cõtritum Addunt aliqui, id etiã esse verum, quando infirmus confiteri non potest, & solam habet attritionem cognitam, tunc enim ex attrito fiet contritus, causare namque gratiam con sola attritione per se, solum conuenit Baptismo & Pœnitentiæ, per accidens tamen, quando quis confiteri non potest, attritio sufficiet. Sed hæc doctrina displicet, puto namque attritionem cognitam solum sacramentis viuorum posse deseruire; & si huic sacramẽto deseruit ideo est quia, vt talis ignoratur. In vno casu talem sententiam admitterem, quando nimirum in mortali existens attritionis elicit actum, vt peccata sua confiteatur, & statim sensus amittit, si tunc hoc sacramentum recipiat, putarem (meliori saluo iudicio) fieri ex attrito contritum, cum .n. omnium remissio peccatorum sit effectus specialis huius sacramenti, vt ex Tridentino & Diuo Thoma supra retulimus, videtur quod talis doctrina admitti debeat. Ex quibus colliges hoc sacramẽtum dari posse omnibus illis fidelibus, qui Christiano more vixerunt, quia etiam si illud non petierint repentino morbo correpti, interpretatiuè tamen censentur petijsse, eo ipso quod sic vixerunt, cũ censeantur voluisse mori, aliorum fidelium more. Quod si constet christiano more non vixisse, vel in talem morbum incidisse impenitentes, administrari non potest, nisi doloris signa ostenderint, vel saltem probabiliter pręsumi possit illos saltem esse attritos.



QVAE-

QVAESTIO V.

Qualis sit obligatio recipiendi hoc Sacramentum qualisque obligatio ministrandi illud.

QVoad primum. Dico primò *posse ægrotum obligari ad hoc sacramẽtum recipiendum ratione scandali, vel conscientiæ, quia putat ægrotus illud sibi hic, & nunc esse necessarium*; Hæc conclusio clara est, nec nostro indiget labore. Dico secundò, *esse peccatum mortale illud ex contemptu respuere.* ita Tridentinum sess. 14. c. 3. vbi dicit: *Non posse esse tanti sacramenti contemptum, absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti iniuria.* Et ratio est, quia contemptus formalis sacramenti, res grauissima est, & sic non potest non inducere peccatum mortale: secus esset, si solum esset quidam cõtemptus materialis, vt si quis in morbo huius meminit sacramenti, & renuit illud accipere, nõ quia paruifaciat illud, sed quia putat se posse sine eo resistere diaboli tentationibus & fortiter morbi dolores sustinere, &c. licet in hoc casu putem adesse peccatum veniale. Dico tertiò *nullum esse præceptum de hoc sacramento recipiendo.* Non positiuum quia nullibi extat; non naturale, quia non est medium ad salutem necessarium, quod à posteriori colligitur, quia tempore interdicti prohibetur: tum quia *nullum est sacramentum ad salutem necessariũ, nisi quod primam confert gratiam, vt Baptismus, & Pœnitentia.*

Sed quæres primò, an hoc sacramentum suscipi debeat post Eucharistiam? Respondetur affirmatiuè, si tamen quis posset prius hoc sacramentum recipere, quam Eucharistiam, & sine vlla causa vellet ordinem inuertere; peccatum esset veniale, cum facia

ciat contra Ecclesiæ consuetudinem in re saltem leui; vnde non est audiendũ Suarez apud Nugnum loco citato, dum dicit, in eo casu nullum esse peccatum, & posse infirmos sua sponte, istum ordinem variare.

Quoad secundum in quæstionis titulo positum. Dico primò, *Sacerdos simplex, seu ordinarius, qui scilicet non est ouium Pastor, non tenetur, nisi ex Charitate, Extremæ vnctionis sacramentum ministrare.* Res clara est, & nulla indiget probatione, qui namque curam nõ habet animarum, seu spiritualium ouium, non tenetur eas pascere ex iustitia, sed ex charitate solum.

Sed difficultas est, quando nam charitatis præcepto simplex vrgeatur Sacerdos, vt hoc administret sacramentũ? Sunt duæ sententiæ probabiles, vna est, quæ tenet simplicem obligari Sacerdotem in grauibus huius sacramenti necessitatibus. Hanc tenet Nugnus q. 33. art. 1. & est valde probabilis. Vnde secundum hanc sententiam si simplex Sacerdos videat aliquẽ, sine hoc sacramento discedere, etiam si sit cõfessus, & viaticum receperit, & Curatus sit absens, vel nolit hoc sacramentum ministrare, ad id tenebitur ipse.

Altera sententia communior, quam post alios defendit Diana de *sacram.* resol. 170. oppositum tenet, & vult simplicem Sacerdotem solum obligari in extrema ægri necessitate; vt si sciat ægrum nõ esse in bono statu, & non posse pœnitentiæ sacramentum, nec Viaticum ministrari, quia loquelam, & sensus amisit, & si hoc sacramentum ministretur forte saluabitur, quia fortè attritus est, & si non ministretur damnabitur; tunc ex charitatis præcepto tenetur etiam cum vitæ periculo (vt pestis tempore) hoc sacramentum ministrare. Ratio est, quia æterna animæ proximi salus, nostræ præpõderat corporis saluti; si autem solum suscipio, vel leue dubium esset de malo statu ægri, non teneretur certam, vel ferè certam facere iacturam salutis propriæ corporalis; cum hæc certa, præualeat illide

qua

qua est sola suspicio, &c. Dixi, *& non possit Pœnitentiæ sacramentum, nec viaticum ministrari*, quia per vtrunque istorum si attritus est, in eo casu in bono ponitur statu, & tunc si tali obligatione simplex liberatur Sacerdos. Sacramentum namque Eucharistiæ facit ex attrito contritum, quãdo attritus putat se esse contritum.

Dico secundò. *Parochus tenetur vel per se, vel per alium idoneum, ex iustitiæ debito, suis subditis extremè, vel periculosè ægrotãtibus Extremæ vnctionis sacramentum ministrare.* Ratio est, quia cum sit suarum ouiũ Pastor, tenetur illas pascere, præbendo illis remedia ordinaria à Christo Domino ad hoc instituta, etiam si subditi ipsi ad id non teneãtur; vt in simili diximus de confessione. Vnde quoties infirmi opportuno tempore hoc sacramentum reposcunt tenetur Parochus illud vel per se, vel per idoneum substitutum ministrare.

Difficultas est, an ad hoc teneatur Parochus, quando infirmus morbo laborat contagioso? est opinionum diuersitas: Alia namque dicit, ad id omnino teneri, nec posse alium substituere; & se ipsum, quãdo pestis grassatur, in saluum ponere: imò tenet hæc sententia, quod nec Episcopus potest à ciuitate discedere ad locum aliquem intra diœcesim, ex quo de sufficiẽtibus prouideat ministris, sed tenetur multoties exire per vicos, & plateas illius ciuitatis, vt multa videat, & agenda per se ipsum cognoscat.

Hæc sententia requirit in Episcopo S. Caroli sanctitatẽ, quã multi carent, & minus reperiuntur habentes. Vnde ego puto ita debere fieri, ita debere consuli: sed si quis Episcopus timidus esset, & vellet extra castra exire, posset, dummodo non solum, de sufficientibus prouideat ministris, verum etiam vt ex eo loco inuigilet, vt res benè se habeat erga gregem. Sed relinquamus Episcopos, & reuertamur ad Parochos, qui immediatius, & proximius curam habent animarũ. Alia sententia præcedenti omnino opposita tenet Parocos nullo

modo

modo obligari ministrare hoc sacramentum contagiosis, cũ infectionis periculo. Primam sentẽtiã sequitur Nugnus loco citato difficultate 2. Hanc sequitur Diana post Villalobos, Armillam, & Suarium loco citato resol. 174.

Ego puto esse distinctione vtendum, vel enim Parochus nouit infirmum esse benè dispositum, quia confessus est, & Viaticum deuotè recepit, & tunc puto nec per se, nec per alium, teneri Parochum, cum vitæ periculo, hoc sacramentum ministrare; non enim tenemur vitam exponere, nisi quãdo spiritualis proximi salus periclitatur, quod in hoc casu non contingit. Si autem Parochus cognosceret, vel grauiter dubitaret de bono ægri statu, nec posset aliter ei subuenire, nisi per huius sacramẽti administrationem, quia loquelam, & sensuum vsum amisit, &c, tenetur hoc sacramentũ ministrare. Et ratio est, quia sicut quilibet tenetur cum proprio vitæ periculo, suo proximo subuenire, quando est in extrema vitæ spiritualis necessitate, à fortiori ad id tenebitur Parochus, qui vltra charitatis obligationem, aliam habet strictiorem, scilicet iustitiæ, ex vi muneris pastoralis, liberè acceptati, & ob quod eos recipit fructus per quos viuit.

Sed quæres primò, quid dicendum quando Parochus esset solus, qui sacramenta administraret, & si extremã infecto administrat vnctionẽ, forte alij, alijs priuabuntur sacramentis, nempe Pœnitentia, & Viat co? Respondetur quod in hoc casu non teneretur, cum melius sit, quod pereat vnus, vt saluentur multi. Sed caueant Parochi, ne hunc casum, & alium similem facile fingant, quod nemo occurrat, qui sacramenta administret, prę sertim quando beneficium est satis pingue, quia tunc vndique current sacerdotes vt substituantur.

Quæres secundò, an idem dicendum sit de administratione Viatici, quod diximus de extremę vnctionis administratione, proportione tamen seruata? Duas sententias probabiles affert Diana

de *sacram.* resol. 174. vnã negantẽ & est Villalobos, & Rodriquez: aliam affirmantem, & est Maioris, & Molfesij, sed de hac re iam egimus de Eucharistia, ideo sistimus.

Quæres tertiò, an huius sacramenti minister teneatur vngere cæcum, surdum, manibus, pedibusque troncatũ, quoad has partes; an solum illas, quas habent intactas? Respondetur quod si isti defectus post rationis vsum habeantur, quando scilicet potuit iste per illas partes peccare inungi debeant: ita concedunt omnes; tunc enim verba, huius sacramenti forma, verificantur: si verò ante vsum rationis habeantur, vt cœcus à natiuitate, surdus à natiuitate, qui sine olfactu natus est, qui sine manibus, &c. tunc est sententiarum diuersitas, aliqui enim volunt hominem illo membro carẽtẽ in eadem parte esse vngendum, vt cœcus à natiuitate debeat inungi in oculi cauo, &c. Hanc sequitur Valentia disput. 8. q. 2. pun. 2. Alij in parte viciniori, vt Tannerus hic: vtriusque sententiæ ratio est, quia licet per illorum sensuum exercitium non peccauerint, peccare tamen potuerunt per desiderium. Sed hæc ratio aliquibus displicet; quia verba formæ extra suum sensum extrahi nõ debent, & ad alium sensum detorqueri, atqui detorquerentur secundum has sententias; ergo. Minorem probant, nam forma inungendorum, gratia exempli, oculorum, non est *indulgeat tibi Deus quidquid per desiderium visus, vel per visum, & eius desiderium peccasti*; sed solum: *quidquid peccasti per visum*, peccare autem per visum, non est peccare per dederium visus. Vnde putant sententiam Decastilij apud Dianam 10. p. tract. 16. resol. 81. quod tunc non debeat sic carens inungi, probabilẽ esse, & magis conformẽ sensui formæ; sed à prioribus sententijs recedundum non est, quia, vt supra dicebatur, hoc sacramentum saluatur, vbi nullũ peccatum est. Nec tunc formæ sensus detorquetur, quia sensum faciunt, quod gratia peccarũ remissiua producatur.

QVAE-

QVAESTIO VI.

Quibus ritibus debeat hoc sacramentum ministrari.

PRimus ritus est, quod dũ vngitur infirmus Psalmi Pęnitentiales, litaniæ & alia, quæ in manuali continentur, recitentur; de quibus certum est in casu necessitatis nullum esse peccatum illa omittere; extra tamen casum necessitatis, puto esse obligationẽ saltem sub veniali, aliqua, non omnia, ex illis recitare; id enim cõmunis omnium praxis suadet.

Secundus ritus est, vnius clerici præsentia, qui ipsum adiuuet sacerdotem in orationibus recitandis, si tamen non habeatur, ipse sacerdos solus omnia prestare poterit. ita Alexandro III. definiente in c. *quæsiuit de verb. significat.* vbi dicitur: *sacerdos vno præsens clerico, & etiam solus, potest infirmum vngere*. Sed qærit Diana p. 9. resol. 46. an possit sacerdos vti, quando nullus vir adest, fœminæ ministerio, vt ipsum adiuuet? & affirmatiuè cum Quintana respondet, si enim est probabile quod etiam in Missæ ministerio potest fœmina deseruire, à fortiori in hoc sacramento vbi minor indecẽtia reperitur: sed ego suaderem tunc sacerdotem per se ipsum omnia persoluere, cum id fieri possit etiam extra necessitatis casum, vt Alexandri dictum suadet.

Tertius ritus est, super pellicei, & stolæ vsus, quæ extra necessitatis casum adhiberi debent, an autem sub mortali, puto quod sic, quoad stolam, secus quoad super pelliceum: vnde quendam regularem prudentem, & doctum obseruaui qui sine super pelliceo, cum sola stolla supra capam extra necessitatis casum hoc sacramentum administrauit, tamen oppositum semper suadendum est,

ob maiorem erga hoc sacramentum reuerentiam. An autẽ in casu necessitatis possit administrari etiam sine stolla, Suarez, & alij apud Dianam loco citato negant; alij distingunt, quando infirmus non haberet huius sacramenti necessitatem, non posse ministrari, posse autem, & debere, quando necessitatem haberet; sed alij melius dicunt, absolutè ministrari debere, licet enim pro Viatico præbendo infirmo, non possit sacerdos sine indumentis celebrare, quia Eucharistiæ sacramentum, est sacramentum sacramentorum, & sic cum indumentis confici debet, at vero hoc sacramẽtum cum non sit tantæ excellentiæ, sine illis indumentis confici poterit.

Tum, quia, si est probabilis aliquorum sententia; quod Viaticum in necessitatis casu sine vestibus sacris præberi potest, etiam hoc sacramentum in eodem necessitatis casu, sine eisdem præberi poterit. Addit Diana, quod si plurium DD. opinio concedit laico, quod possit Viaticum ministrare, quod faciet sine vestibus sacris, à fortiori id concedi potest sacerdoti & respectu illius, & huius sacramenti.

Quartus ritus est, aliquarum candelarum accensarum vsus, qui in casu necessitatis relinqui potest, extra illum autem dicit Diana cum Leãdro, & Posseuino esse veniale, hoc sacramentum præbere sine lumine. Et hæc de hoc sacramento ad laudem Omnipotentis Dei, B. Virginis, & omnium Sanctorum. Amen.

FINIS.

RERVM

RERVM, ET VERBORVM INDEX.



A

Appro-

M

pecca-

R

at

F I N I S.

REGESTRVM.

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXHZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sff Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk.

Omnes sunt fol. 80. integri, præter Kkkk. est dimid.

